

13
15 D
3

JOANNIS
LAUNOII
CONSTANTIENSIS,
PARISIENSIS THEOLOGI,
REGIA
IN MATRIMONIUM
POTESTAS:
vel
TRACTATVS
De jure sæcularium Principum Christianorum in sanciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus.







PARISIIS,
Apud Viduam EDMUNDI MARTINI, via Jacobæa, ſub Sole aureo, & Sacrificio Abelis.

M. DC. LXXIV.
CUM PERMISSU.



ILLUSTRISSIMO VIRO

ACHILLI HARLÆO

GENERALI

IN PARISIENSI SENATU

COGNITORI REGIO.

EMINENS *magiſtratus ille, quem cum univerſis ingenii dotibus, & tanta cum integritate morum & innocentia geris, effecit,* VIR ILLUSTRISSIME, *ut meus de regia in Matrimonium poteſtate Tractatus tibi dicaretur. Vix occurrebat alius, in cujus nomine æque ac tuo poſſet convenientius apparere. Obverſabatur mihi ante oculos paterni & materni generis ac manantium ex utroque genere virtutum ſplendor, qui tibi perpetuo & ubique lucet. Athletæ fortiſſimi te hinc inde circumſtant, magnus*

ille Achilles Harlæus, Christophorus Thuanus, & Pomponius Bellevræus, tres Senatus Principes, qui optime munus obierunt suum, quia ex vtilitate omnium obierunt. Exemplaria sunt plane tria, eaque non aliena, sed domestica, in quibus contemplandis atque imitandis curæ & cogitationes semper evigilant tuæ. O te beatum, cui tot conjunctissima & perfectissima contigerunt exemplaria! Et si mihi liceat fateri nescire quod nesciam, medius fidius nescio, an sit fueritve mortalium vllus, qui te felicitate pari superet aut coæquet. Quidquid in causa, majores eos imitandos nactus es, quibus te natura simillimum esse voluit: nec naturæ votis eventus defuit. Res ei, prout voluit, mirifice successit: atque ita nunc te familiæ ostendis amplissimæ, cum alias tibi familiam ostendebas amplissimam. Deinde mihi veniebat in mentem legum, canonum, historiarum scientia, quam cœpisti ab ineunte ætate comparare, & comparatam accessionibus in dies novis cumulas: persuasus, hominem, quisquis ille sit, non eadem celeritate discere qua obliviscitur; & quia nihil semper suo statu manet, decrescit scientia quæ non augetur. Ceterum ex persuasione illa evenit, vt cum in Senatu justitium edicitur, seu ad paucos, seu ad multos dies, nullum tibi remittis tempus, neque te respicis infinitis publicarum & forensium discepta-

tionum molibus onuſtum : abſit, vt dicam oppreſſum, aut pene oppreſſum. Etenim tam robuſto & valenti es animo, vt opprimi non poßis: recrearis, dum alii opprimerentur. Quod plerique conciliare nequeunt inter ſe, tu recte concilias, jucundum & negotioſum otium: nec miror, aut quicquam dißimulo. Vix retineretur aliter optima illa hereditas, omnique patrimonio excellentior, quæ tibi ab avis perſonis heroicis tradita eſt, virtutis rerumque præclare geſtarum gloria. His demum acceßit, quod Senatus de Matrimonio, & de rebus Matrimonii naturam antecedentibus, comitantibus & ſubſequentibus non ante pronuntiat, quam finiendæ cauſæ præluxeris vel per te, vel per Patronos regios, Dionyſium Talæum, Chriſtianum Franciſcum Lamonium, Guillelmi Senatus Principis filium, Hieronymi Bignonii ſucceſſorem, nomina omnia probitatis antiquæ, juriſprudentiæ ſanctioris, & eruditionis variæ, qua forum totum quantum eſt, circumfunditur, & quotidie circumſonat. Finiendæ enimvero cauſæ ita præluces, & prælucere cenſeris, vbi conceptum datur judicii ſpecimen, quod eſt legum interpretibus præjudicium, & Juſtiniano legum latori præjudicialis actio. Et ne quis ſit offenſioni veræ locus, atque vt nonnullus detur guſtus operis, rem ſic explicari neceſſe eſt. Quæ Matrimonii naturam antecedunt, ea ſunt leges,

quas de celebrando rite Matrimonio Principes diversis ætatibus jure suo condiderunt. Has leges Theologi vocant impedimenta Matrimonium dirimentia, non quod contractum jam Matrimonium reipsa dirimant vel dissolvant, sed quod prorsus impediant ne contrahatur reipsa Matrimonium; & nisi data immunitatis tabula contrahatur, frustra & inaniter contrahitur. Romana simplicitate diceretur magis proprie & apertius, non servatis, nec solutis legibus vir & mulier ad contrahendum Matrimonium redduntur inhabiles, solutis habiles redduntur: suus tamen est & arti & scholæ cuique loquendi modus, quem qui nescit, vagari, vt putant, atque errare cogitur. Quæ comitantur Matrimonii naturam, in mutuo & legitimo conjugis vtriusque consensu vnice positam, ea censentur formulæ pactorum, quæ inter virum & mulierem conveniunt, vt instabilitatis humanæ vincula, quæ abundarent alias, si homines essent cujusmodi esse deberent. Tunc autem consensus est legitimus, cum ille juxta præscriptas ad Matrimonium contrahendum leges præbetur, cum personæ ad Matrimonium contrahendum non sunt inhabiles; & quia personæ per se ipsæ subsunt Principibus, personarum consensus per easdem personas iisdem Principibus intelligitur necessaria consecutione subesse. Illa vero subsequuntur naturam Matrimonii, quæ

temporis progressu ad pacta firmanda & exequenda, & ad hereditaria jura qualibet pertinent. Hæc autem sunt omnino tria, quæ & naturalem tenent ordinem, & civilis prudentiæ, quæ genuina est Principum regula, limites non excedunt, eamque ob causam regiæ potestati non possunt non subesse. In hoc vno, me vide, cardo rei vertitur, & causa Principum tota consistit. Hinc fit continuo, vt superfusa in quocunque, si velint, Fœdere Matrimonio sacramenti dignitas, Matrimonii naturam haud immutet, & patiatur facile, vt quo antea jure in Matrimonium fruebantur Principes, hoc integrum postea & salvum retineant conserventque. Capturus est illud sine vllo negotio, qui tum demum capiet, aquis inditam sacramenti, quod baptismus dicitur, rationem non efficere, vt quod in aquas jus obtinent Principes, id amittant: non amittunt revera, & de aquis cum in foro civili movetur controversia, tunc perinde fertur judicium, ac si penitus abesset Sacramenti ratio. Exemplum intellectu facillimum, qui non assequetur, in quolibet argumenti genere futurum erit fere nihil, quod assequatur vnquam. Alia sunt igitur in Matrimonio, quæ civile; alia, quæ sacerdotale Forum attinent. Conjungenda non sunt quæ Sacramentorum auctor separari, & duplici Foro subjacere voluit. Penes civile Forum trium illo-

rum quæ antecedunt, comitantur & subsequuntur naturam Matrimonii, quatenus est Matrimonium, seu contractus civilis, judicium & potestas esse debet. Penes sacerdotale disceptatio & cognitio veritatis Sacramenti, quod inest Matrimonio, & quæcunque ad Sacramentum per se & directo spectant, materia, forma, partes, proprietates, spiritualis effectus, & dispositiones ad eum consequendum necessariæ, nuptialis benedictio. Nam si agitaretur quæstio quid vice materiæ, quid vice formæ fungatur in sacramento Matrimonii; num Matrimonium in veteri lege Sacramentum fuerit, & si fuit, quale fuerit; num in nova lege gratiam producat, & quam; quo in statu erga Deum & Ecclesiam esse debeat, qui Matrimonium legitime contrahit; quæ conjugibus contra fas contrahentibus vel agentibus imponenda sit pœnitentia: hoc totum quidquid est, quam multum, & quam multa circumspectione dignum, ad Sacerdotes ut ad proprios oportet judices referri. Nec nova est, nec gratuita hæc meditatio, sed vetus & certa doctrina, quam præceptores minime suspecti nobis tradiderunt. Annus volvebatur octingentesimus vicesimus secundus, cum universalis Synodus Imperii totius, & generale placitum celebrata sunt in palatio, quod Attiniacum in pago Remensi ad Axonam situm nominatur.

Legati

Legati Romanæ Sedis placito & Synodo interfuerunt. Agembertus & Northildis vir & uxor proclamando ad Ludovicum Imperatorem detulerunt connubialem causam, cujus arcanum ut dicatur, pudor minime sinit. Imperator Episcopis judicandæ causæ provinciam delegat; Episcopi judicare causam detrectant: sed illius judicium laicis transmittunt, vindicato sibi tantum jure imponendæ conjugibus pœnitentiæ, si quid ab illis peccatum sit. Nec mirandum est Episcopos ita se gessisse: hi siquidem in sacris institutionibus eruditiores erant Imperatore, qui connubialem causam ab iis decidi voluerat. Tunc Sacerdotes apprime noverunt quid in ejusmodi causa sibi concessum, quid non concessum esset; & quanquam delegati ab Imperatore Antistites de re, de mutuis maritum inter & uxorem querelis cognoscere, statuere & judicare poterant: id tamen facere non sunt ausi, ne falcem in messem alienam mittere viderentur. Successores autem illorum, si suis sint, ut esse debent, finibus contenti, nunquam nisi gratis & injuste conquerentur de civili Magistratu, de te, & de duobus regiis Advocatis, triumviris æquitati simillimis, quibus id solum videtur habere rationem, quod habet justitiam. Hæc notissima sunt, & quo notiora, eo minus nostro (si quis sit noster) vel alieno egent stilo. Tractatus noster, quem tibi

offero, VIR ILLUSTRISSIME, *patrocinio egeret tuo, nisi ad conservandum jus regium semper incumberes, nisi te totum & animo & corpore ad salutem Reipublicæ sic conferres, ut tuis curis ac vigiliis addi quidpiam sit difficile, & quod vere affirmateque possem dicere, non dico ἀδύνατον, ut tollatur omnis adulandi suspicio. Igitur cum jampridem ab hac parte securus sim redditus, securum ab alia me reddi vehementer cupio: scilicet, ut per opus qualecunque nostrum observantiæ erga te meæ venerationique fides integra constare possit.*

Illustrissimæ amplitudini tuæ
devinctissimus

JOANNES LAUNOIUS
Parisiensis Theologus.

INDEX
ARTICULORUM
ET
CAPITUM
HUJUSCE TRACTATUS.

PRIMA PARS TRACTATUS

ARTICULUS PRIMUS.

ẽ ij


ARTICULUS II.

Ecclesia seculares Principes jure statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia hactenus non spoliavit, aut illud jus sibi reservavit. 86

ARTICULUS III.

In quo dirimentes Matrimonium leges præcipuas jam tum primum ab Imperatoribus aut Principibus institutas esse demonstratur. 217

ARTICULUS IV.



SECUNDA PARS TRACTATUS,

ARTICULUS I.

ARTICULUS II.

Impedimenta & causæ ejusdem generis matrimoniales, quæ ad secundam Regum Galliæ stirpem pertinent, attinguntur. 317

ARTICULUS III.

Impedimenta & causæ ejusdem generis matrimoniales, quæ ad tertiam Regum Galliæ stirpem pertinent, attinguntur. 352

TERTIA PARS TRACTATUS.

De jure Principum sæcularium Christianorum in sanciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus. 441

ARTICULUS I.

Quid in causis impedimentisque Matrimonii quidam Imperatores cum Græci, tum Latini post divisum Imperium egerint, attingitur. ibid.

INDEX.

ARTICULUS II.


Quæ in causis impedimentisque Matrimonii plerique Occidentalium partium Reges & Principes egerint, attinguntur. 534

JOANNIS



JOANNIS LAUNOII CONSTANTIENSIS, PARISIENSIS THEOLOGI, REGIA IN MATRIMONIUM POTESTAS, vel TRACTATUS

De jure sæcularium Principum Christianorum in sanciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus.



Quem de jure Principum Christianorum in sanciendis legibus, quæ Matrimonium dirimant, tractatum aggredimur, hunc tres in partes commodum tribuemus, vt quæ res alias obscuritatem involvere, & graves a nonnullis sustinere

difficultates creditur, ex certa differendi ratione, cum ad intelligendum lucem, tum ad capiendum facilitatem præ ſe ferat.

Prima pars commune jus omnium Chriſtianorum Principum explicabit, & hæc erit juris quæſtio. Altera explicatum jus illud apud Galliæ Reges in vſu perpetuo fuiſſe oſtendet. Tertia idem quoque jus a ceteris Regibus ac Principibus, prout vnumquodque Regnum tulit, paſſim retentum docebit. Hæc vtraque pars in facti conditione verſabitur.

Prima pars reliquarum fundamentum cum ſit, & ad quam ſubinde redeatur a Doctoribus, paulo longiorem diſputationem continebit. Enimvero hæc, ſi recte perpendatur, nulla in aliis duabus partibus, ſive in legibus, ſive in factis vel exemplis, quæ referentur, ſupereſſe poterit legitima difficultas. Quotus enim quiſque eſt, qui bonam in partem non interpretetur factum Principis, quod alioquin ex certo conſtantique jure trahitur?

Hæc igitur prima pars, quæ potiſſima eſt, quatuor concludetur articulis, qui deinde in varia capita dividentur.

Articulus primus repræſentabit Principes, qui, ſi natura rei ſpectetur, ex communi Theologorum conſenſu & invictis rationibus, leges Matrimonium dirimentes inſtituere poſſunt.

Articulus ſecundus in ea facti quæſtione verſabitur, vt probet hanc Principum poteſtatem ab Eccleſia haud imminutam fuiſſe, ac proinde quoſdam erraſſe Doctores, qui quam ex naturali jure feren-

darum legum auctoritatem concedunt Principibus, hanc Pontifices ſibi reſervaſſe ſcripſerunt; pluribus quidem, ſed nullis argumentis, & quæ ſola ſui expoſitione fatiſcunt.

Articulus tertius expediet duo: e re quidem Eccleſiæ non eſſe, vt illa poteſtate ferendarum legum, quæ Matrimonia dirimant, Principes ſpoliet; deinde hac poteſtate civilem ſpoliari non poſſe principatum in perpetuum, & ex iis, qui civilem principatum gerunt, ſiquando & ſi qua neceſſitate nonnulli ſpoliarentur, alios non continuo ſpoliari: quippe inuſitatum facinus eſſet, pari modo cum ſontibus & inſontibus agi.

Articulus quartus indagabit originem legum, quæ impediunt ne contrahatur Matrimonium, & contractum dirimunt. Rationem aperiet, qua hæ leges Matrimonium dirimunt. Hæc autem ratio multiplex non erit; ſed vnica, quæ in eo conſiſtit, vt ad contrahendum Matrimonium perſonæ reddantur inhabiles. Tum conſtabit, pleriſque iſtis legibus canones, non canonibus adjectas fuiſſe leges: quo ex ordine, ſive in hac, ſive in alia materia, Nomocanon a Græcis tractatoribus dictus eſt.

Altera pars tractatus tribus concludetur articulis, qui deinde in varia capita dividentur.

Articulus primus attinget impedimenta, & connubiales ejuſdem generis cauſas, quæ ad primam Regum Galliæ ſtirpem pertinent.

Articulus ſecundus idem in ſecunda Regum Galliæ ſtirpe perſtringet.

Articulus tertius idem quoque in tertia delibabit.

Hinc consuetudo, inde leges; hinc exempla, inde varia instrumentorum genera, quibus Reges suis quisque temporibus suam in Matrimonia subditorum & procerum auctoritatem asseruerunt, confirmarunt, vindicarunt.

Tertia pars tractatus duobus concludetur articulis, qui deinde in varia capita dividentur.

Articulus primus perstringet quid in causis impedimentisque Matrimonii Imperatores quidam cum Græci, tum Latini post divisum Imperium egerint. Quid autem egerint ante divisum Imperium, habetur in prima parte tractatus, articulo quarto qui originem legum Matrimonia dirimentium disquirit.

Articulus secundus attinget, quid in iisdem causis impedimentisque Matrimonii plerique Occidentalium partium Reges & Principes egerint: Gothorum primum in Hispania, deinde Castellæ Reges, Alamanni, Bajuvarii, Longobardi, Siculi, Angli, Scoti, Poloni, Ungari Reges, Lotharingiæ, Sabaudiæ, Etruriæ Duces, ac tandem Romani Pontifices, qua supremum temporale dominium in Ecclesiastica ditione exercent. Non quod mihi sumam, vt quæ omnia pro retinendo in Matrimonium subditorum & optimatum jure fecerint, adnotaverim; fieri enim qui posset? sed vt ea cum primis adnotaverim, quæ, si cum prima tractatus parte conjungantur, ad argumentum rei conficiendum sufficient, immo nimis multa forsitan videbuntur.

Ad methodum autem disserendi quod attinet,

facti potius, quam juris viam vniversim amplector. Hoc enim satis liquet in secunda & tertia parte tractatus, vbi leges & facta quædam Principum referuntur, explicantur, vel tandem ea diluuntur, quæ incautis negotium aliquod facesserent. In prima vero parte tractatus non a me quidem juris quæstio disputatur, sed ab aliis, quorum sententias rationesque certum in ordinem coegi. Quod operis mei genus facti quæstionem attinet: vel siquando juris quæstionem agito, eam ex receptissimis aliorum Theologorum principiis agito; & quæ ex illis recte concluduntur, aliena sunt, non mea. Si quæ vero non recte, quod absit, concludantur, mea sunt omnino. Itaque & hæc & reliqua omnia non modo Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ, sed & cuicumque erudito & cordato Theologo summissa esse volo.



Chriſtus apud S. Matthæum cap. XXII.

Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis JESUS : *Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei : Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.*



Celeſtinus I. in epiſt. X. ad B. Cyrillum.

Indifficulter eſt Eccleſiarum & Catholicæ fidei ſperanda tranquillitas, quando pro hac elaborare Chriſtianiſſimos Principes ſic videmus. Non eſt enim inefficax in divinis maxime cauſis cura Regalis, quæ pertinet ad Deum, qui fideliter tenet corda Regnantium.



PRIMA PARS TRACTATUS de jure Principum sæcularium Christianorum in sanciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus.

ARTICULUS I.

Christianus Princeps sæcularis leges Matrimonium dirimentes statuere potest.

CAPUT I.

Parisiensium Theologorum de proposito themate judicia recensentur.

QUONIAM nihil in Ecclesia Catholica salubrius fieri dicit beatus Augustinus, quam vt rationem præcedat auctoritas, a multorum ex diversis Academiis Theologorum auctoritate sumendum esse disputationis exordium duximus: atque imprimis ex auctoritate Parisiensium, qui vt ceteris ætate, sic & doctrina, vt plurimum antecelluerunt.

1. Parisiensium igitur Theologorum agmen ducet Magister sent. in IV. dist. XXXIX. sic Matrimonium legitimum definiens: *Matrimonium legitimum est, quod legali institutione, vel provinciæ moribus, non contra jussionem domini contrahitur.* Hac, vt apparet, definitione Magister cum legitimi Matrimonii naturam ex legum institutione & provinciarum moribus repetat, Principum, quibus illa duo subsunt, ordinationi, vt valeat, vel non valeat, Matrimonium reliquit. Quod auctor

celebris cum ex disciplina sui temporis, tum ex Justiniano desumpsit. *Legitimas*, inquit Imperator, *nuptias inter se Romani contrahunt, cum ea servant, quæ legibus nuptiis præcepta sunt.* Cyrillus Alexandrinus in libri II. super Joannem capite IV. Justiniano prævivit. *Non enim*, inquit, *qui ex voluptate fit, coitus, sed qui secundum legem est, consensus, & quæ ex casto amore conjunctio existit, inculpatas nuptias efficiunt.*

II. Albertus Magnus in IV. sent. dist. XXXIV. *Matrimonium*, inquit, *licet sit de moralibus secundum suam substantiam; tamen modus contrahendi est judicialis: & ideo variatur secundum leges contrahentium, ut dicit Nicolaus Papa.* Hæc autem quæ docet Albertus, ad sæcularem jurisdictionem pertinere quis negaret? Sacerdotum enim non est varias contrahentibus leges, pro variis Regnorum administrationibus præstituere, licet variis de Matrimonio consultationibus respondeant. Illud Imperatorum est ac Principum, qui varias contrahentium leges publicæ subditorum paci ac tranquillitati admetiuntur.

III. Sanctus Thomas tribus in locis, & primo quidem in IV. sent. dist. XXXIV. quæst. I. art. I. ad IV. *Ad quartum*, inquit, *dicendum, quod personæ illegitimæ ad Matrimonium contrahendum dicuntur, ex eo quod sint contra legem, qua Matrimonium constituitur. Matrimonium autem in quantum est in officium naturæ, statuitur jure naturæ; in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili; in quantum est sacramentum, statuitur jure divino: & ideo ex qualibet dictarum legum naturæ, humanæ & divinæ potest persona effici ad Matrimonium illegitima.*

Deinde dist. XXXVI. art. V. in corpore. *Dicendum*, inquit, *quod Matrimonium, cum fiat per modum contractus cujusdam, ordinationi legis positivæ subjacet, sicut & alii contractus.* At sane reliqui contractus civiles ordinationi Principum ita subjacent, ut ab iis irriti nonnumquam reddantur.

Denique lib. IV. contra Gentes cap. LXXVIII. *Considerandum est*, inquit, *quod quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem, quia finis est proportionatus agenti: generatio autem humana ad multa ordinatur, scilicet ad perpetuitatem alicujus boni positivi, puta populi in aliqua civi-*

civitate; ordinatur etiam ad perpetuitatem Ecclesiæ, quæ in Fidelium collectione consistit: unde oportet, quod hujusmodi generatio a diversis dirigatur. In quantum igitur ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura inclinante in hunc finem: & sic dicitur esse naturæ officium. In quantum vero ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi civilis legis. In quantum igitur ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod subjaceat regimini Ecclesiastico. Ea autem, quæ populo per ministros Ecclesiæ dispensantur, Sacramenta dicuntur. Matrimonium igitur, secundum quod consistit in conjunctione maris & feminæ intendentium prolem ad cultum Dei generare & educare, est Ecclesiæ Sacramentum. Unde & quædam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiæ adhibetur, sicut & in aliis Sacramentis per ea, quæ exterius aguntur, spirituale aliquid figuratur.

His omnibus, quibus nihil clarius est, opponi non debent, quæ idem Doctor scribit in IV. dist. XLII. art. II. ad IV. *Prohibitionem* scilicet *legis humanæ non sufficere ad impedimenta Matrimonii, nisi interveniret Ecclesiæ auctoritas hoc idem prohibentis.* Hæc, inquam, opponi non debent, cum hæc Ecclesiæ, de qua loquitur, auctoritas, non ad vim legis, sed ad majorem legis solennitatem ab eo referenda sit, qui noverit sanctum Doctorem superiori loco & accuratiori, non cuicunque humanæ legi, sed civili tantum personam ad Matrimonium inhabilem reddendi jus concedere, nec in statuendis impedimentis dirimentibus, sed in ministerio Matrimonii, qua sacramentum est, & in impertienda nubentibus benedictione Ecclesiasticum regimen, cui Matrimonium subjacere tradit, designare. Et vero licet in opinione beati Thomæ valeat, servi, non consentiente domino, Matrimonium: tamen non sequitur idem valere contra certam Regis voluntatem initum, cum Rex, non privatus aliquis dominus, ferendarum legum, quibus dirimatur Matrimonium, potestatem habeat. Quare beatus Thomas de tali mancipii conjugio loquitur, quod vel non accedente Principum lege, vel quod veteri abrogato consentientibus Principibus civili jure tunc contraheretur. Quidquid id est, locus tertius, qui est in libro quarto contra Gentes, cum posterior sit commentario in quartum

Sententiarum, potest corrigere quidquid in eo videretur contrarium, & omnia complanare.

IV. Petrus Aureolus in IV. dist. XXVI. art. vnico ad III. *Plus potest*, inquit, *Papa in materiam hujus Sacramenti, quam in aliorum, quia in eo Sacramento est jurisdictio admixta; Papa vero habet jurisdictionem plenariam.* Hæc Aureoli ratio, non Papæ, nisi qua dominus temporalis est, favet, sed Regibus: admixtam quippe jurisdictionem vocat, spiritualem scilicet ac temporalem. At quamvis falsum, & apud Bellarminum sacræ Scripturæ & canonibus adversum sit, Pontificem temporalem jurisdictionem habere præterquam in terris ditioni suæ subjectis; hacce tamen ratione significat auctor temporalem jurisdictionem requiri ad ordinandam Sacramenti Matrimonii materiam, nec sufficere spiritalem, quæ Matrimonium respicit tantum, qua Sacramentum est, non qua dirigitur ad bonum communitatis.

V. Petrus de Palude in IV. dist. XXVI. art. I. conclus. I. *Præceptum*, inquit, *vel prohibitio juris civilis, scripti, vel consuetudinis nihil facit licitum vel illicitum, debitum vel necessarium in contractu Matrimonii, si est contra legem Evangelii vel canones sanctorum Patrum.* Videsis quid juri civili tribuat, vbi nihil Evangelio vel canonibus contrarium decernit.

Deinde dist. XXXVI. quæst. I. art. III. conclus. V. *Si alicubi sit consuetudo, quod contrahens cum servo fiat serva, valet. Nam sicut jus scriptum potuit invenire novum modum servitutis, sic jus non scriptum; ita vt etiam mulier alterius terræ ligetur eo ipso quod contrahit in terra tali consuetudine affecta.* Hoc autem ad sæculares Principes spectat.

Tum dist. XXXVII. quæst. I. art. III. conclus. III. *Ecclesia potest facere personas inhabiles ad contrahendum Matrimonium carnale sicut & spiritale, & si non ratione sui, tamen ratione fundamenti, quia pactio & conventio in qua fundatur Matrimonium, subest ordinationi Principum & Prælatorum.* Hæc dicuntur ad mentem sancti Thomæ, qui quatenus ad bonum politicum ordinatur Matrimonium, hoc civilibus legibus subjacere docet; quatenus vero ad bonum Ecclesiæ, regimini Ecclesiastico, hoc est, ministris Ecclesiæ, per quos Ecclesiæ Sacramenta dispen-

ſantur. Quare cum in IV. diſt. XXVI. art. III. concl. III. ſcribit, *humanam legem non habere effectum in Matrimonio, niſi fuerit jure canonico probata:* non ita intelligendus eſt, quaſi hoc probationis genus humanæ legi vim obligandi tribuat; ſed tantum vt nihil continere, quod naturali vel poſitivo juri contrarium ſit, declaretur.

VI. Guillelmus Okam in tractatu de poteſtate Imperatoris in cauſis matrimonialibus. *Abſque dubitationis ſcrupulo*, inquit, *ad Imperatorem, qui tam fidelibus, quam infidelibus Romanis Auguſtis in pleno jure Imperii Romani ſuccedit, videtur cauſa matrimonialis, maxime quantum ad illa, de quibus ſacræ Literæ non loquuntur, pertinere. Unde & de Matrimonio, & de contrahentibus ipſum, antequam leges Eccleſiaſticæ aliquæ apparerent, Imperatores tam fideles, quam infideles leges ediderunt non paucas.*

VII. Thomas de Argentina in IV. diſt. XLII. art. IV. *Ad primum*, inquit, *dicendum, quod quamvis Matrimonium ſit de jure naturali, tamen ſine omni præjudicio juris naturalis leges poſitivæ poſſunt determinare perſonas matrimonialiter copulandas pro gentis & temporis congruitate*, &c. *Ad ſecundum dicendum, quod quamvis Sacramentum Eccleſiæ ſecundum ſe non debeat ſæcularibus legibus ſubjacere, conſideratis hujuſmodi legibus ſecundum quod ſæculares ſunt, tamen quantum ad determinationem poſſunt ſubjacere ſæcularibus legibus, ſed vt per Eccleſiæ approbationem canonizatæ ſunt.* Hoc eſt, Matrimonium, qua Sacramentum eſt, ſæcularibus legibus non ſubjacet ex ſeſe; ſed qua in officium communitatis ordinatur. Porro de eadem Eccleſiæ approbatione loquitur, de qua locutus eſt Paludanus, vt ex relatis verbis facile colligitur.

VII. Bertrandus de Trilla in IV. quæſt. I. de Matrimonio. *In Matrimonio*, inquit, *ſunt duo. Primum eſt contractus quidam, qui eſt de jure naturali & civili, quo vnus transfert ſe in poteſtatem alterius. Secundum eſt ratio Sacramenti ſuperaddita. Secundum neceſſario ſupponit primum: primum ſubeſt ſtatuto humano; ſecundum ſubeſt ſtatuto divino. Poteſt igitur facere ſtatutum humanum, quod talis non poſſit ſe transferre in poteſtatem alterius, ſicut ſervus non habet vendere ſe, nec res ſuas; nec alienatio facta a furioſo*, &c. *videtur de jure: & oppoſitum certe poſ-*

set esse de jure, si jus institueret. Sic postea de humano circa contrahentes personas jure concludit. In his autem notanda sunt duo. Unum, auctorem nostrum affirmare Matrimonium, qua contractus civilis est, non Ecclesiastico, sed civili juri subesse. Alterum, humano statuto posse contrahentes personas inhabiles reddi. At ex verborum serie humanum statutum aliud non intelligit præterquam civile. Bertrandi commentarius est MS. in Bibliotheca Cœnobii sancti Victoris Parisiensis.

VIII. Joannes Capreolus in IV. dist. XXVI. sic in beati Thomæ sententiam discedit, vbi solutionem Paludani ad argumentum de sacramentalis materiæ mutatione sibi objectum retulit. *Hæc ille & bene concorditer sancto Thomæ* XXXIV. *dist. hujus quæst.* I. *art.* I. *ad* IV. *vbi dicit: Personæ illegitimæ ad Matrimonium contrahendum dicuntur, ex eo quod sint contra legem, qua Matrimonium constituitur,* & cetera quæ supra retulimus.

IX. Guillelmus Vorillonius in IV. dist. XXXIX. hæc scribit tam de suo, quam de Magistri sensu: *Postquam in dist.* XXXVII. *determinavit de impedimento illegitimante respectu cujuscumque personæ jure Ecclesiastico; & in dist.* XXXVIII. *egit de impedimento illegitimante respectu cujuscunque personæ jure Dei veridico: nunc tertio agit de impedimento illegitimante, non respectu omnis, sed respectu alicujus personæ jure politico.* Sic ergo jus politicum personam efficit ad Matrimonium inhabilem. Enimvero asserit dist. XXVII. art. I. *in legitimitate Matrimonii diversas provincias in suis abundare sensibus.* Quæ verba non in aliud quam in jus civile referenda sunt.

X. Franciscus de Victoria relectione VII. de Matrimonio primus omnium, ni fallor, quæstionem amplissime tractavit: *Utrum Princeps secularis possit ponere impedimentum Matrimonio, hoc est, an personæ legitimæ ad Matrimonium possint lege civili illegitimæ reddi, ita vt si contrahant, factum non teneat.* Et post alia: *Ad hanc quæstionem respondeo primum. Mihi non est dubium quin Princeps secularis ex genere & natura suæ potestatis vim habeat & jurisdictionem super Matrimonium, etiam ad prohibendum connubia inter cognatos aut affines, & posset leges ferre & impedimenta ponere, sicut Ecclesia. Nec valet dicere, quod Matrimonium*

est Sacramentum, & ideo eximitur a quacunque potestate non spirituali. Primo, quia redibit difficultas de Matrimonio, antequam esset Sacramentum proprie, sed solum in officium. Secundo, quia non obstat quod sit Sacramentum, quin privati homines leges & conditiones apponant Matrimonio, sine quibus non est Sacramentum.

XI. Claudius Espencæus tractatu de clandestinis Matrimoniis, vbi cum doceat, contracta a liberis sine parentum consensu conjugia nulla esse, supponit aliam ab Ecclesiastica potestatem vetare, ne illa vere contrahantur, eamque civilem esse ac supremam, cujus refert leges & edicta pro bono reipublicæ condere, & de deferendo parentibus a filiis honore providere.

XII. Claudius Guillaudus in Matthæum cap. VII. *Unde si disputatur, vt aliquando fit de Matrimoniis clandestinis ac furtivis, quæ contra parentum conscientiam & voluntatem contrahuntur, num justa sint & valida. Habent hic legem in novo Testamento juxta quam interrogent seipsos, num velint sibi tale quid fieri, nempe filiam suam ab eo sibi fraudulenter & contra animi sententiam subripi, quem nolunt habere generum. Profecto nollent.* Quibus verbis aperte significat, civilem potestatem id habere juris, quo contracta sine parentum consensu Matrimonia nulla efficiantur.

XIII. Philippus Gamachæus in tertiam partem sancti Thomæ cap. XV. de Matrimonio. *Addimus*, inquit, *posse quoque Reges & Principes laicos, simpliciter & absolute loquendo, Christianis sibi subjectis quædam impedimenta Matrimonii facere, prout opus fuerit, ad bonum communitatis & ad regni tranquillitatem, quia contractus Matrimoni est etiam politicus.*

XIV. Andreas Duvallius in lectionibus publicis, quas in Scholis tradidit in III. partem disputatione postrema de Sacramento Matrimonii, de impedimentis ejusdem cap. IV. & vltimo quæst. I. *Utrum Ecclesia possit quædam impedimenta statuere. Concl. I. tertia ratione. Tertio*, inquit, *probatur ex Imperatoribus, qui circa Matrimonii contractum quædam impedimenta statuerunt, vt patet digestis de ritu nuptiarum, & ad legem Iuliam de adulteris. Igitur multo magis id licebit potestati Ecclesiæ,*

&c. *Secunda conclusio contra Ruardum Tapperum : Nec objicias Christum nihil immutasse de natura contractus, sed eum reliquisse in statu, in quo antea erat; atqui Princeps, seu respublica civilis potestatem habet in contractum naturalem & civilem: ergo poterit impedimenta quadam ad eum irritandum statuere. Respondeo Principes ex se certa quadam impedimenta statuere posse, si non esset illis ab Ecclesia prohibitum. Cum enim ex se potestatem habeant in contractum civilem, consequenter potestatem in eum, quatenus est Sacramentum, habere poterunt.* Hanc autem prohibitionem factam fuisse dicit, non probat; sed istud expendetur postea suo loco. Utut sit, Principes in illius Doctoris opinione sanciendi impedimenta Matrimonium dirimentia potestatem habuerunt & habent, nisi ablata sit.

XV. Jacobus Hennequinnus, qui in iisdem Scholis olim magna cum laude Theologiam docuit, cum videatur in hanc quæstionem præ ceteris recentioribus Magistris Parisiensibus incubuisse diligentius, operæpretium erit hoc loco inserere, quæ in illius lectionibus præcipua judicamus de impedimentis Matrimonii.

Secunda primæ assertionis pars. Potest publica, civilis & secularis potestas impedimenta prohibentia & dirimentia apponere contractui civili Matrimonii, seu Matrimonio. Post multas Scholasticorum auctoritates subdit: *Porro accedit, tum quia ex dictis hoc libro passim, maxime* XIV. *immo communiter ex Theologis Christus Matrimonium instituendo Sacramentum, nihil in illo ut contractu civili immutavit, sed tantum illi ut prærequisito fundamento necessario imposuit, trunco inseruit, principali annexuit, materiali affixit naturam & dignitatem Sacramenti, ita ut Matrimonium contractum civilem reliquerit hujusmodi post, cujusmodi erat ante sui institutionem & elevationem in Sacramentum. At ante sui elevationem subjiciebatur : ergo & post sui elevationem, saltem priusquam de facto habeat sibi impositam naturam & dignitatem Sacramenti, seu revera sit inter baptizatos initum tanquam Sacramentum, subjicitur potestati publicæ sæculari prohibendum ac dirimendum, seu impediendum ne licite & valide ineatur. Tum quia propter omnimodam humanæ superioritatis, jurisdictionis, inferioritatis, subjectionis Ecclesiasticæ spiritalis, & sæcularis corporalis*

diversitatem ac distinctionem Matth. XXII. versu XXI. Rom. XIII. versu I. ad VIII. primæ Petri II. versu XIII. ad XVIII. & alibi sæpius in Scripturis inculcatam, possunt Principes laici independenter ab auctoritate & approbatione Principum Ecclesiasticorum pro varietate locorum, temporum, personarum in suo, seu reipublicæ sæcularis regimine sæculari connaturaliter & relative ad suum finem & scopum proprium ac distinctum, videlicet sæcularem, ferre leges civiles, id est, ad pacem & tranquillitatem ac bonum reipublicæ pertinentes: quibus vt alios contractus civiles, ita Matrimonium contractum civilem (cum vtrinque par sit ratio, & vtrinque communis vtilitas sæcularis postulare queat) suorum subditorum imbaptizatorum & baptizatorum, quatenus totius corporis & status civilis, membrorum, partium, civium prohibeant & dirimant; alioqui carerent potestate sufficiente, qua bono suæ reipublicæ civilis, & suorum subjectorum communi & consentaneo prospicerent & consulerent. Nec obstat, quod Matrimonium baptizatorum sit Sacramentum, cum etiam sit essentialiter contractus civilis, qua parte & ratione est directe & immediate fori ac tribunalis politici, vt justa ex causa vetetur & irritetur, ac si non esset Sacramentum, reddendo personas inhabiles ad contrahendum, ideoque illegitimum & invalidum contractum; cum tamen Matrimonium Sacramentum præsupponat, & prærequirat Matrimonium contractum civilem legitimum ac validum, tanquam suum fundamentum, truncum, principale, materiale, intrinsecum. Et certe cum ex omnium consensu Principes politici Matrimonium baptizatorum Sacramentum, quatenus contractum civilem, possint impedire, ne contrahatur licite, seu sub pœna tam corporali, exempli causa, mortis, quam spirituali, exempli causa, peccati, proindeque privationis gratiæ Matrimonio Sacramento propriæ, adhibendo impedimenta prohibentia; etiam poterunt impedire, ne contrahatur valide sub pœna nullitatis, adhibendo impedimenta dirimentia: cum tam prohibitio, quam diremptio Matrimonii baptizatorum Sacramenti, in suo ordine, saltem mediate & indirecte Matrimonium Sacramentum respiciat & attingat. Hæc ille, cujus vt & aliorum Parisiensium doctrinam secutus, has duas assertiones publice in Facultate Theologiæ defendi, dum Actum Minoris Ordinariæ, vt vocamus, in Scholis nostræ Regiæ Navarræ

celebravi anno MDCXXXIII. XXI. Junii. *Qui absolutam habent condendi leges potestatem, possunt spectata natura rei inducere impedimenta Matrimonii.* At Reges & Principes talem habere potestatem quis negaret?

Deinde hæc alia: *Princeps justa de causa potest suorum subditorum Matrimonia impedire, vel ad ea obligare.* Iterum alius in iisdem Scholis hanc propositionem in Actu Majoris Ordinariæ sustinuit anno MDCXXXIX. mense Januario: *Licet Principi justa de causa suorum subditorum Matrimonia impedire, vel ad ea obligare propter bonum publicum, vtilitatemque. Imperii quod regit: quod nulla ratione lædit Matrimonium, vt Sacramentum est.* Ista, ni fallor, omnia sufficiunt, vt quænam sit hac in parte Parisiensium Theologorum sententia, judicetur.

CAPUT II.

Burdigalensium Theologorum de proposito themate judicia recensentur.

UNVS instar omnium erit Joannes Baptista Gonetus ex Ordine Prædicatorum Theologus, de Sacramento Matrimonii disp. VII. de impedimentis Matrimonium dirimentibus art. vnico.

Dico I. in Ecclesia esse potestatem constituendi impedimenta Matrimonium dirimentia. Probatur auctoritate Tridentini Concilii. Et paullo post: *Ratio suffragatur. Cum pax & tranquillitas reipublicæ magna ex parte ex bene initis connubiis pendeat, & contra ex male copulatis conjugibus magna in ea turbatio oriri soleat: in omni republica bene ordinata necessaria est potestas ad providendum abusibus, qui in Matrimoniis possunt contingere, & statuendi Matrimonio impedimenta, quibus stantibus valida contrahi nequeat. Ergo talis potestas non debet denegari Ecclesiæ, quæ est respublica bene ordinata, ne deterioris conditionis sit, quam reliquæ sæculares, quæ hanc potestatem habent, vt ex variis earum legibus de ritu nuptiarum constat.* Hic notandum est obiter rationem

tionem, qua Gonetus vtitur, ex iis quæ reipublicæ civili propria sunt, non ex iis, quæ Ecclesiasticæ, procedere. Tum si quid pro Ecclesiastica republica probaret, nimis probaret, quia jus mactandi violatores sepulcrorum vltimo supplicio inesse Ecclesiæ debere, probaret, ne deterioris conditionis sit quam reliquæ respublicæ civiles. Pergendum est.

Dico II. *Principes fideles potestatem habent statuendi suis subditis fidelibus impedimenta Matrimonium dirimentia. Ita sanctus Thomas in quartum quæstione vnica art.* 1. *ad quartum, vbi sic ait: Matrimonium*, & cetera. quibus relatis, vt ea supra relata sunt, subjicit: *Matrimonium enim non solum est Sacramentum in bonum Ecclesiæ, & fidelium sanctificationem ordinatum, sed etiam contractus civilis in bonum politicum, & in officium communitatis: sed contractus civiles juri civili & Principum secularium legibus subjiciuntur. Ergo & Matrimonium, subindeque Principes fideles potestatem habent statuendi suis subditis fidelibus impedimenta Matrimonium dirimentia: nec talem potestatem ab eis abstulit Christus, cum Matrimonium ad dignitatem Sacramenti evexit; sed potius eam præsupposuit, non minus quam præsupposuit contractum valide initum, vt materiam hujus Sacramenti.* Hæc ille in libro, quem cum Burdigalensis Academiæ Cancellarius, & plures illius Theologi comprobarunt, suum comprobando fecerunt.

CAPUT III.

Remensium & Mussipontanorum Theologorum de proposito themate judicia recensentur.

EX Remensibus vnum dabimus, sed qui propter summam eruditionem multorum instar esse potest. Is est Gentianus Hervetus oratione de clandestinis conjugiis tota, quam sic nervose concludit: *Quod si clandestina Matrimonia vestra sententia ita comprobetis,* (Tridentini Patres) *vt parentum non esse requirendum consensum statuatis, & eum qui contradixe-*

rit, vestra sententia anathemate notetis: videte, videte, inquam, & diligenter considerate, quanta audacia filios alioquì satis hodie insolentes in parentes armetis. quos ergo nunc mihi videor audire vnumquemque suo patri ita dicentes: Ego te vel invito, pater, cum quo volo Matrimonium inibo; & si tu contradixeris, ego te non solum vt excommunicatum, sed etiam vt anathemate notatum vitabo. Miseri autem parentes hoc vnum solatii habebunt, quod si sint anathemate notati, Evaristum, Leonem, Basilium, Tertullianum, Ambrosium, viros longe sanctissimos, eodem anathemate secum comprehendi videbunt: qui omnes aperte dixerunt, in contrahendo Matrimonio parentum omnino requiri consensum. Quorsum vero sic parentum consensus requiritur, nisi quia & naturalis ratio & civiles leges id expostulant?

Gentiano præluxisse videtur Hincmarus Remensis Archiepiscopus, in opusculo seu in epistola, quam de nuptiis Stephani & filiæ Regimundi Comitis scripsit ad Rodulfum Bituricensem & Frotarium Burdigalensem Archiepiscopos, num. 11. *Et quoniam qualiter debeat iniri conjugium, & vetus & nova lex edocet, Domino per Moysen præcipiente, & Evangelio demonstrante: Cum esset, inquit, desponsata mater* JESV *Maria Ioseph, antequam convenirent, id est, antequam nuptiali celebratione convenirent; sicut in nuptiis celebratis idem ostendit, quas sua præsentia sanctificare, & miraculo ibidem patrato inlustrare dignatus est. Sed & sanctus Evaristus quartus a beato Petro Romanæ Sedis Episcopus, & sanctus Siricius, & beatus Leo, atque ceteri quique Doctores ostendunt. quæ omnia hic ponere propter pluralitatem & longitudinem devitamus. Tantum dicere necessarium duximus, quia inter ingenuos & inter æquales legitima fiunt conjugia, cum a parentibus, quorum interest, petita & legaliter desponsata & dotata & publicis nuptiis honorata femina conjugii copulæ sociatur, & ex duobus vnum corpus vnaque caro efficitur, sicut scriptum est: Erunt duo in carne vna, jam non duo, sed vna sunt caro. & : Quod Deus conjunxit, homo non separet. De qua conjunctione Magnus Leo Papa ad Narbonensem scribit Episcopum: Non omnis, inquiens, mulier juncta viro vxor est viri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt libera, & inter æquales.* Et paulo post: *Unde cum societas nuptia-*

rum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in quo docetur nuptiale non fuisse mysterium. Et nos e regione hinc etiam ostendere possumus, quia non omnes nuptiæ conjugalem copulam faciunt, quas non sequitur commixtio sexuum: sicut nec semper illius est filius omnis & hæres, cujus esse noscitur hæres. Nec habent nuptiæ in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum, sicut beatus Augustinus dicit, si se nuptialiter non vtuntur, id est, si eas non subsequitur commixtio sexuum. Nec pertinere poterit illa mulier ad Matrimonium, cum qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. quod ita esse præfatus Leo demonstrat, dicens: Unde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum. Et item idem: Igitur, inquiens, qui filiam suam viro habenti concubinam in Matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam conjugato dederit: nisi forte illa mulier & ingenua facta, & legitime dotata, & publicis nuptiis honestata videatur. Paterno arbitrio viris junctæ carent culpa, si mulieres, quæ a viris habebantur, in Matrimonio non fuerunt. Quibus sententiis evidenter ostendit, quia tunc est vera legitimi conjugii copula, quando inter ingenuos & æquales fit, & paterno arbitrio viro mulier juncta legitime dotata, & publicis nuptiis honestata, sexuum commixtione conjungitur: & tunc habent nuptiæ in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum; & tunc pertinere noscitur mulier illa ad Matrimonium, in qua & sexuum commixtio, & nuptiale docetur fuisse mysterium. Hic duo sunt; prius vnum, alterum posterius. In priori conjugii ratio tota consistit, quæ, vt apparet, ad legum civilium dispositionem pertinet. In posteriori, ratio Sacramenti, quæ conjugio succrescit, & succrescendo non efficit, vt conjugium legum civilium dispositioni subducatur.

Ex Mussipontanis vnum quoque dabimus, qui Academiæ sensum exponet. Is est Nicolaus Baionensis cap. IX. de Matrimonio lectione IX. num. LI. *Potestne Ecclesia sua lege impedimenta Matrimonii constituere? Respondeo posse: & ratio est; quia Matrimonium præterquam quod est Sacramentum, est etiam contractus civilis. At Ecclesia leges statuere potest in iis, quæ*

ſpectant ad hujuſmodi contractum: ergo etiam in iis, quæ ſpectant ad Matrimonium. Unde Ecclesia Christianis Principibus hanc poteſtatem circa Matrimonia fidelium eripuit occaſione Sacramenti. Sic in Christianis Principibus agnoſcit ſanciendorum Matrimonii impedimentorum jus, quod ipſis Eccleſia eripuerit. An eripuerit, vel potuerit eripere, videbitur inferius.

Hic auctor poſtea indicat, Principum poteſtatem directam eſſe, ſed Eccleſiæ indirectam, vbi ait, jus ſanciendi impedimenta Matrimonium dirimentia, ad Papam & Concilium generale pertinere. *Hoc*, inquit, *ſolum pertinet ad Papam & Concilium generale, quia dum hoc fit, vtitur Eccleſia poteſtate indirecta, quam habet circa res temporales.* Hoc diſcutietur poſtea: interim quod quæritur habemus, jus in Matrimonium Principibus aſſertum.

CAPUT IV.


Lovanienſium Theologorum de propoſito themate judicia recenſentur.

I. FAMILIAM ducet Hadrianus VI. qui ex Theologo & Cancellario Lovanienſi ad ſupremum tandem Eccleſiaſticæ dignitatis apicem conſcendit. Ille igitur de Sacramento Matrimonii reſpondens ad illud argumentum, quo probatur non eſſe Sacramentum, quia mutationi foret obnoxium, hæc tradit in rem noſtram. *Non eſt*, inquit, *abſurdum per accidens mutari poſſe. Sicut ſtatutum poteſt facere, quod non valet alienatio facta per hominem de rebus ſuis, vt puta ab homine interdicto bonis quia prodigus, vel etiam a furioſo, vel minorenne quindecim annis; ita poteſt facere, quod non valet alienatio de ſeipſo. Nam ſicut ſervus non poteſt dare id quod habet, nec ſeipſum dare vel vendere ſine domini voluntate; ſic homo, qui eſt membrum communitatis, contra juſtam ordinationem rectorum vniverſitatis non poteſt ſe dare in vaſallum vel ſervum, nec per conſequens in maritum.* Quibus verbis nihil eſt clarius.

II. Adriani diſcipulus Albertus Pighius controverſia XV. in fine: *Cum contractu quodam*, inquit, *celebretur Matrimo-*

nium, ille non solum Ecclesiasticis, sed etiam civilibus & politicis interdictis subjacet; atque adeo subjacet, vt etiam civilibus legibus & publica consuetudine inter ethnicos quoque irritari interdicique possint quædam Matrimonia, & fieri non solum posse illicita, sed etiam invalida, & cetera, quæ alibi referentur. Potuit validius? potuit apertius?

III. Ruardus Tapperus Lovaniensium Theologorum Decanus art. II. Lovaniensi editionis Coloniensis anni MDLXXXVII. *Quibus præmissis articulum nostrum probamus hac ratione: Contractus reliqui quicunque fiunt contra leges ipsos dirimentes, sunt irriti, inanes & nulli. Igitur neque contractus matrimonialis erit validus, si initus contra dispositionem legis ipsum dirimentis. Antecedens patet de contractibus factis contra dispositionem legis sive Ecclesiasticæ, sive civilis.* Et paullo post: *Competit autem potestas condendi hujusmodi leges Magistratui sæculari & Ecclesiastico ex jure divino. Ex quo enim præfecti sunt populo ad regimen, (sicut Ecclesiasticos Præsides præficit Dominus, & præficiendos sæculares tam ipse, quam naturale rationis dictamen demonstrant) statim consequitur esse per media convenientia perducere ad populum, propter quem consequendum coadjuvantur. Istud autem cum nequeat fieri, nisi adhibeantur variæ leges, statuta, &c. mox evidens fit, his oportere Magistratum vti in regendo populo sibi commisso, prout viderit congruere fini, quem spectare dicitur, sive is sit naturalis tantum civilis & politicus, veluti est pax & concordia inter cives, & vtilitas temporalis reipublicæ; sive spiritualis, qui est, vt populus contineatur in timore, amore, & vero Dei cultu, quorum hunc spectat Magistratus Ecclesiasticus; illum autem sæcularis, in quantum hujusmodi. Ex quibus liquet hos Magistratus habere potestatem disponendi, atque adeo leges condendi, quas observent sibi subditi in contractibus suis, cum ex his potissimum pendeat concordia communitatis.* Et post alia: *Quod si addas contractus istos matrimoniales in Christiano populo, non naturales tantum esse, sed de genere supernaturalium, tum propter rationem Sacramenti accedentem contractibus, tum propter finem propter quem ineatur, videlicet vt fiat multiplicatio populi Dei, perspicue videbis ad Magistratum Ecclesiasticum spectare leges, & canones condere, quibus ita ordinentur Matrimonia in populo, vt suo fini*



congruant. Ad Magistratum vero sacularem videatur dumtaxat spectare ea qua concernunt finem naturalem, cui serviunt Matrimonia. Rem Auctor perspicue decidit.

IV. Jacobus Latomus in tractatu de substantia Matrimonii: *Sacramentum*, ait, *Matrimonii præsupponit contractum, quo invicem potestas conceditur in mutua corpora. Hinc fit, vt quidquid contractum impedit, consequenter & Sacramentum impediat: sublato enim priori posterius auferri necesse est. Neque istud est huic Sacramento peculiare, quia etiam aliis Sacramentis convenit, vt verbi gratia, qui facit ne corpus aqua tinguatur, facit ne homo baptizetur; & in Eucharistia, si quis impediat ne Sacerdos habeat panem & vinum; & in Pœnitentia, si quis impediat ne Sacerdoti peccator subjiciatur, impeditur Eucharistiæ vel Pœnitentiæ Sacramentum. Non autem refert, quibus de causis accedat impedimentum. Nam ex æquo impeditur matrimonialis donatio & potestas in corpora, sive ex penuria mutui legitimique consensus, sive ex natura rei proveniat, vel in pueris, ebriis, furentibus, vel fatuis, qui naturaliter consentire non possunt, sive ex lege divina, vt inter parentes & liberos, sive ex ordinatione humana, vt inter consobrinos, de quibus circa tempora Augustini lata fuit lex, vt ipse refert* XV. *de Civit. cap.* XVI. Et post relatum beati Augustini locum subdit. *Ratio prædictorum est, quia natura donationis & accipientis consensum requirit & rei donatæ facultatem. Id quod non est in pueris, ebriis, aut furentibus, aut morionibus per naturam. Inter parentes autem & liberos, aut inter fratres & sorores, vbi ejusmodi donatio rata non est, impedientur lege divina. In ceteris, vbi donatio & contractus est invalidus, illic impedimentum præstat humana ordinatio.* Latomus hic tria legum agnoscit genera, quibus, ne validum fiat Matrimonium, impeditur, naturalem, divinam & humanam, cujus nomine civilem intelligit, vt docet relatum ex Augustino testimonium, quod alibi referetur commodius, dum de consanguinitatis impedimento agetur.

V. Franciscus Sonnius Episcopus Antuerpiensis, in tractatu VII. de Sacramentis, cap. IX. *In Matrimonio concurrunt tria, contractus politicus, institutum divinum, & Sacramentum. Quæcunque ergo excludunt & irritum faciunt valorem contractus, eadem*

porro excludunt & irritum faciunt Matrimonium. At contractus politicus ad Principes politicos spectat.

VI. Guillelmus Mercerus ab Atho in tertiam partem sancti Thomæ quæst. I. de impedimentis Matrimonii: *Quæritur*, inquit, *secundo an Princeps sæcularis possit illa constituere. Respondetur distinguendo. Nam Princeps infidelis potest suis subditis tam infidelibus quam fidelibus constituere hujusmodi impedimenta, quia ejus est curare ea, quæ pertinent ad tranquillitatem reipublicæ, ad quam magni interest, quibus legibus Matrimonia contrahantur. Confirmatur, quia Ecclesia non potest ejusmodi impedimenta statuere, nisi quatenus Matrimonium est contractus civilis: ergo ubi Princeps non est Ecclesiæ subjectus, ad ipsum pertinet de illis curare, cum hic contractus subsit dispositioni juris civilis, & circa ea quæ civilia sunt, directe & per se potestatem habeat Princeps sæcularis; Pontifex autem nonnisi indirecte, quatenus scilicet id necessarium est ad finem spiritualem.*

Sic quoque Princeps fidelis, habens subditos infideles, potest pro eorum conjugiis statuere impedimenta dirimentia, quia hæc conjugia sunt contractus mere civiles, & Ecclesia non habet jurisdictionem in subditos infideles, & non abstulit Principi potestatem statuendi de suorum subditorum infidelium conjugiis. At Princeps fidelis non potest ea constituere circa Matrimonia suorum subditorum fidelium, eo quod potestas Ecclesiastica causas fidelium matrimoniales suæ cognitioni reservarit, licet alioqui spectata natura potestatis sæcularis præveniendo Ecclesiæ dispositionem id posset, eo quod etsi Matrimonium fidelium sit Sacramentum, non tamen desinit esse contractus civilis. Hæc ille de jure Principum ex se considerato: hujus reservatio ab Ecclesia facta pertinet ad facti quæstionem, quæ suo postea discutietur loco. Sic Lovanienses Theologi Regum potestatem in sanciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus agnoverunt, & rationibus comprobarunt.



Caput V.

Duacensium Theologorum de themate proposito judicia recensentur.

Instituta recens Academia plures suppeditare Theologos non potest; eos tamen suppeditat, qui & assertioni cumulatissime satisfacient, & reliquorum Academicorum sensum exhibebunt.

I. Primus est Matthæus Galenus Duacensis Cancellarius catechesi CCX. *Huc*, inquit, *adde sanissimos quosque Theologos non arbitrari tantum penes Ecclesiam jus esse personas ineptas* (ad conjugium) *decernendi; verumetiam Regibus Imperatoribusque potestatem ducendarum cognatarum faciendi, quoties id rerumpublicarum utilitas tranquillitasque postularit.* Insanos, opinor, eos Doctores intelligeret, qui quod a sanissimis Theologis assertum est, negarent; nempe jus non esse penes Reges impedimenta dirimentia sanciendi, & in iis pro utilitate rerumpublicarum dispensandi.

II. Guillelmus Estius Duacensis quoque Cancellarius in IV. dist. XXXIV. §. I. *Quod adeo*, inquit, *negandum non est, Ecclesiam posse*, (statuere impedimenta dirimentia) *cum potuerint etiam Principes infideles circa suorum subditorum Matrimonia, atque etiam possint fideles Principes sæculares, quatenus ab Ecclesia permitterentur, ut fatetur Dominicus Soto, & ratio suadet.* Quod autem de Ecclesiæ permissione addit, id vel ex eo factum est, quod statuendi impedimenta jus ab Ecclesia Principibus ablatum esse forte supponat: qua de re suo loco disputabitur. Satis est, hunc Doctorem in Principibus jus illud agnovisse, & id ratione suaderi.

III. Matthæus Kellisonus quæst. L. de impedimentis Matrimonii, art. unico, dubio unico. *Probatur secundo, quia cum Matrimonium sit contractus civilis, licet in nova lege inter baptizatos sit etiam Sacramentum, possunt per se Principes non solum fideles,*

fideles, verumetiam infideles in suis regnis constituere impedimenta Matrimonii: ergo etiam Ecclesia. Probatur antecedens ex divo Thoma lib. IV. *contra Gentes cap.* LXXVIII. *& ex communi Doctorum opinione.* Et paullo post: *Probatur ratione, quia cum Matrimonium adhuc sit contractus civilis, (licet etiam Sacramentum sit ex institutione Christi, & multum concernat rempublicam, Matrimonia recte contrahi) potest Princeps impedimenta ponere hujus, sicut & aliorum contractuum; ita vt non solum peccent contrahentes, verumetiam & irritus sit Matrimonii contractus, nisi fiat cum talibus & talibus conditionibus, tali vel tali solennitate, vel numero testium, tali gradu affinitatis.*

IV. His Duacensibus Theologis adjungendus videtur Eligius Bassæus Capucinus Gallobelgicus, in Floribus Theologiæ Moralis, Matrimonium VII. num. I. *Dupliciter potest Ecclesia contractus irritare, primo mediate reddendo personas inhabiles ad contrahendum Matrimonium; secundo immediate irritando contractum Matrimonii: qua ratione potest etiam irritare Matrimonia infidelium, modo illa irritet, non tanquam Princeps Ecclesiasticus, quia non habet potestatem supra infideles, sed tanquam Princeps sæcularis erga subditos.* Et paullo post num. III. *Secundum probabiliorem & veriorem sententiam, Princeps sæcularis ex genere & natura suæ potestatis posset impedimenta dirimentia fidelibus sibi subditis ex justa causa suis legibus indicere, nisi summus Pontifex hanc sibi potestatem reservasset, quia juxta divum Thomam in* IV. *dist.* XXIV. *art.* I. *ad* IV. *Matrimonium in quantum contractus civilis est in officium communitatis institutum, subjacet legis civilis ordinationi.* Sic explicata Duacensium Theologorum mente, ad alios transeundum est. De reservatione alibi tractabitur.



D

CAPUT VI.

Salmanticensium & Complutensium Theologorum de proposito themate judicia recensentur.

1. EX iis Theologis, quos recensebimus, plures Concilio Tridentino interfuere. Ac imprimis Petrus Sotus lectione IV. de Matrimonio : *Possunt etiam positiva jura illegitimos aliquos reddere. Non omne itaque impedimentum inhabiles aliquos reddens est juris divini; nec tamen est juri divino contrarium. Sicut in ceteris omnibus quædam non prohibuit jus divinum, sed gubernandi auctoritatem tradens Prælatis potestatem dedit ea prohibendi, cum id ratio expedire judicaverit saluti animarum, & divinæ gloriæ convenire: ita & in Matrimonio potestatem iis reliquit, quos gubernandis populis præfecit. & hæc est communior ratio omnium prohibitionum juris positivi. Est enim in Matrimonio specialis ratio. Cum igitur sit contractus & officium naturæ necessarium reipublicæ gubernandæ ac propagandæ, atque Ecclesiæ, etiam ipsi bonoque religionis Catholicæ merito, gubernantium in Ecclesia vel republica est, si quid videretur expedire, vt officium hoc Matrimonii recte agatur ad conservationem religionis Christianæ, id statuere. Unde beatus Thomas supradicta intrepide asserit, jura ipsa civilia & Imperatoris leges illegitimos aliquos reddere ad contrahendum; ita videlicet, vt nullum sit Matrimonium, neque negant hoc alii, quanquam non ita aperte asserant. Et certe hoc est solidissime fundatum in illo verbo Evangelii: Quod Deus conjunxit, homo non separet. Deus enim per causas naturales & ordinatas humanos contractus perficit, id est, auctoritate legum, sicut naturales res per causas naturales. Non itaque Deus conjunxit quod contra justas leges humanas conjungitur. Hoc dicimus, quoniam Iuristis multis visum est, non esse potestatis secularium legum Matrimonium nullum reddere, sed tantum Ecclesiasticarum. Et certe Iuristæ nulla auctoritate juris divini aut canonici hoc probant, nec etiam vlla efficaci ratione: nec advertunt nihil per hoc*

derogari auctoritati Ecclesiasticæ, sed potius conducere Ecclesiæ paci. Si enim jus divinum ipsum permittit prohiberi ab Ecclesia, quod ipsum non prohibet: quare non permittet sæculari potestati prohibere circa Matrimonium quod ipsa non prohibet. Fatemur igitur leges civiles non posse licitum Matrimonium facere, quod Ecclesiasticæ illicitum reddunt; sic nec Ecclesiasticas leges approbare, quod divinum jus reprobat: hoc enim esset, inferiorem superiori contradicere. Verum quod Ecclesiasticæ leges non prohibent, cur sæculares prohibere non poterunt, sicut quod non prohibet jus divinum, prohibent leges Ecclesiasticæ? Nec debent Prælati Ecclesiæ gravate suscipere, si quid temporali paci viderint necessarium sæculares Principes statuant. Nec est cur illis se opponant, sed permittant potius Matrimonium legibus humanis ordinandum, cum officium humanum sit; & addant postea ipsi, si videbitur, quod ad bonum religionis pertinet: quamquam civiles leges in his omnibus ex pietate certe & voluntate Principum facile cesserint Ecclesiæ, vt jam nullum censeatur Matrimonium illegitimum, quod Ecclesia tale non judicat. Sed ista sane non aliis quam objicientibus nocebunt. Jus Principum non potuit distinctius explicari.

11. Dominicus Sotus, qui & Tridentino Concilio interfuit, in IV. dist. XXXIX. quæst. vnica art. I. ad III. *Tertio cum probabilitate possumus asserere, quod quæcunque respublica etiam infidelium potest leges condere Matrimonia irritantes, si suæ reipublicæ expedierit.* Et post pauca: *In hac parte infideles non sunt fidelibus inferiores, cum fideles Principes nostri, vt sequenti dist. dicemus, possunt hujusmodi leges ferre, nisi ab Ecclesia cohibeantur.* Et dist. sequenti art. V. *Respublica*, inquit, *civilis & Principis potestas in pacem & prosperum reipublicæ statum instituta est. Hujusmodi autem pax & tranquilla felicitas plurimum ex nuptiis contrahendis pendet, imo plusquam ex aliis civilibus contractibus: ergo potest legibus hujusmodi Matrimonia definire & dirigere.*

Secundo quia rationes illæ, ob quas gradus cognationis prohibentur, lumine naturali innotescunt, nempe quia fœditatem habent, & quia cum consanguinei in eadem habitant domo, in periculo incestuum versarentur: quos quidem incestus Principi incumbit suæ reipublicæ cavere.

Item Principi etiam incumbit amicitias in sua republica propagare, quod per Matrimonia diversi sanguinis contracta fieri solet: ergo de hujusmodi conjugiis leges potest condere. Nec obstat cavillus, quod cum Matrimonium jam sit Sacramentum, non potest Princeps materiam ejus & subjectum mutare, hoc est, prohibere, ut si cognati contraherent, Matrimonium non teneret. Non, inquam, hoc obstat, quoniam institutio Sacramenti non abstulit, quominus Matrimonium sit civilis contractus: & qua ratione civilis contractus est, a potestate civili non eximitur. & sæpe Matrimonia inter consanguineos in perniciem reipublicæ vergerent. Unde divus Thomas in dist. XXI. *quæst.* II. *art.* I. *ait quod Matrimonium, quatenus ad civiles utilitates, qualis est amicitia & mutuum obsequium, institutionem habet a lege civili. Et dist.* XXX. *art.* IV. *ad* IV. *ait, quod in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili. His demum accedit, quod jure civili adoptiones filiorum instituuntur & approbantur, ex quibus legale vinculum contrahitur Matrimonium impediens, ut* §. 1. *Instituta de nuptiis.* Quod autem subjicit, *ad Ecclesiam pertinere de Sacramentis, ac proinde de personis ad contrahendum Matrimonium legitimis vel illegitimis censere*, cavillus est. Nam Ecclesia seu Sacerdotes de Matrimonio quatenus Sacramentum est, censebunt, & respublica civilis seu Principes de Matrimonio quatenus contractus civilis est, censebunt; & quænam sint personæ ad contrahendum Matrimonium habiles vel inhabiles, decernent: atque ita non erunt in eodem, sed in diverso genere capita duo. Et sane mirum est, virum doctum & summum dialecticum non pervidisse illud quod putabat absurdum, absurda complexione penitus carere.

III. Michael de Palatio in IV. dist. XIX. *Matrimonium*, ait, *contractus civilis est, & inter infideles verum est Matrimonium, & Principes infidelium possunt illegitimare personas, ut de facto illegitimant, ad hujusmodi contractum, sicut & ad alios.* At eadem est ratio de Principibus fidelium.

Idem dist. XXVIII. disp. III. *Sicut Ecclesia, quia Matrimonium est Sacramentum, illegitimat personas ad Matrimonia ineunda: ita Principes infidelium si advertant mala suboriri ex clandestino, quæ aliter curari nequeunt, nisi inhabilitando, ad clan-*

destina possent idem facere. At cum Principes infidelium id faciant qua Principes sunt, idem Principibus fidelium ex se convenire potest.

Idem dist. XXXIV. sub finem disput. I. *De impedimentis istis, quæ obstant Matrimonio contrahendo, & solvunt contractum, quæ enumerantur quindecim, consule, si juvat, leges Regni, habes lib.* XVI. *tit.* II. *part.* IV. *& lib.* X. & in margine habetur: *Quindecim impedimenta Matrimonii, secundum leges Regni.* Quid sibi vult, *secundum leges Regni*, nisi quod Regnum Hispaniæ jus habeat augendi vel minuendi ea impedimenta, quæ Matrimonium dirimunt?

IV. Josephus Angles in Floribus quæst. de impedimento consanguinitatis art. III. *Potestas civilis potest aliquos inhabilitare, quominus contrahant: & de facto si contrahatur, Matrimonium erit nullum.* Hæc ille in eo libro, qui a Complutensis Academiæ Doctoribus comprobatus est.

V. Petrus Ledesma additionibus ad tertiam partem quæst. L. art. I. *Quamvis potestas constituendi impedimenta etiam dirimentia conveniat etiam potestati civili, juste tamen illam usurpavit potestas Ecclesiastica. Prima pars hujus conclusionis est communis inter Doctores. Ratio est, quia Matrimonium ex natura sua ordinatur ad bonum civile & commune.*

Deinde in Theologia Morali cap. XI. de impedimentis Martimonii: *Prima conclusio. Quamvis potestas constituens impedimenta etiam dirimentia conveniat etiam potestati civili, juste tamen illam usurpavit potestas Ecclesiastica. Prima pars hujus conclusionis est communis inter Doctores, & probatur: quia Matrimonium ex sua natura ordinatur ad bonum civile & politicum; ergo potestas civilis potest constituere impedimenta, quando & quantum fuerit necessarium ad bonum naturale ejusdem Matrimonii. Conclusionis pars secunda probatur: quia potestas Ecclesiastica est altioris ordinis, quam civilis. nam respicit ordinem magis elevatum & sublimem, scilicet supernaturalem; sed maxime expedit ad hunc finem supernaturalem, quod Ecclesia habeat hanc potestatem, maxime cum Matrimonium habeat rationem supernaturalem Sacramenti: ergo juste & sancte potest illud facere.* Hic primum notanda est partis primæ probatio, quæ in duobus consistit. Eorum alte-

rum est communis Doctorum consensus; alterum vero efficax ratio, quæ rem secundum Principes decernit. Tum notanda est partis secundæ probatio, in qua & communis Doctorum consensus & efficax ratio desiderantur. Quinetiam propositio, quæ probanda suscipitur, nonnihil potestati Ecclesiasticæ invidiosum & odiosum objicit: nempe potestatem Ecclesiasticam, jus quod Principibus convenire duplici modo probavit, juste vsurpasse. Deinde quid sibi vult, juste & sancte vsurpasse, quasi justa & sancta esset juris alieni vsurpatio? & vere Theologica ratio suppeteret, qua vsurpatio hæc confirmaretur. Argumentum fallax est, formaque & figura carens, quod sponte sua dissilit. Præterea non potest tempus assignari, quo potestas Ecclesiastica jus illud Principibus assertum vsurpare cœpit; sed vtrum vsurpare potuerit, suo postea loco disputabitur.

VI. Petrus Cornejo tom. II. in III. part. tract. II. disp. VII. dubio III. de impedimentis Matrimonii, conclusione prima: *Princeps sæcularis sive Christianus, sive gentilis, ex natura suæ potestatis habet posse hujusmodi impedimenta apponere, quia omnes contractus civiles & humani in bonum reipublicæ ordinati debent subjacere potestati civili Principis, vt eo ipso quo incipiant esse nocivi communitati, irritentur, & sub forma & circumstantiis, quæ magis bono communi expediant, disponantur. Sed Matrimonium est contractus humanus & civilis: ergo cum maxima boni communis pars constet ex contractibus, vt patet, debent cadere sub regia potestate. Confirmatur, quia de facto plures leges extant jure civili, quibus aliqua Matrimonia prohibentur, vt patet in lege Semper, lege Palam, l. finali, §. de ritu nuptiarum. Confirmatur secundo, quia potestas civilis Regis aut reipublicæ potest irritare, & de facto irritat plures contractus civiles, reddendo personas inhabiles ad eos celebrandos, vt patet in contractibus minorum sine licentia tutoris, & in contractibus vxoris sine licentia viri. Ergo similiter potest irritum facere contractum Matrimonii, sine hac vel illa solennitate.* Et post alia: *Ad secundum fundamentum respondeo, Matrimonium in quantum Sacramentum non cadere directe sub potestate civili sæculari, sicut neque sub Ecclesiastica Pontificis; cadere tamen sub vtraque, vt contractus humanus, & hac ratione posse optime Principem sæcularem & Ecclesiam illud*

irritare, nisi sub certis conditionibus sibi placitis fiat, æque bene ac si talis contractus Sacramentum non esset. Constat autem, quod deficiente valida ratione, contractus non potest fundare rationem Sacramenti. Hæc ille de jure Principum sæcularium.

VII. Petrus de Orchagavia tractatu III. de Matrimonio quæst. XXXVII. conclusione I. *Princeps sæcularis ex vi & natura suæ potestatis sæcularis bene potest suis subditis fidelibus impedimenta dirimentia Matrimonium statuere.*

VIII. Antonius Fernandes de Moure tertia parte Examinis Theologiæ Moralis cap. XVI. *Interrogatio. Potestne Princeps sæcularis aut respublica statuere impedimenta dirimentia Matrimonium? Responsio. Respublica civilis infidelium, qui Ecclesiæ non subjacent, itemque respublica civilis Christiana, si suæ ordinationi relinquatur, potest valida impedimenta apponere naturali ac civili contractui.* Et post alia: *De facto vero ita statutum est lege Sororis, §. Si quis, lege Semper, §. Si Senatorium, lege fin. §. de ritu nuptiarum.*

IX. Henricus Villalobos in summa Theologiæ vernacule scripta de Sacramento Matrimonii tractatu IV. difficultate prima, tertia conclusione, his verbis, quæ Latine reddimus: *Spectata Principum potestate in se suaque natura dubium nullum est, quin ad sancienda impedimenta Matrimonii dirimentia extendatur. Commune pronuntiatum est Doctorum id ex eo probantium, quod aliis contractibus eadem impedimenta possit ab iis Principibus apponi.*

His Doctoribus addo Ludovicum Caspensem Cæsaraugustanum Ordinis Capucinorum, tract. XXVI. de Matrimonio disp. IX. sect. I. vbi sic habetur conclusione prima: *Omnis Princeps & Magistratus sæcularis potens subditis suis condere leges, potest & Matrimonii impedimenta dirimentia sancire respectu Matrimonii, quod non est Sacramentum, sive Princeps sit infidelis, sive fidelis. Ita communiter omnes Doctores. Et probatur: quia Principibus & Regibus data est a Deo potestas condendi leges pro subditis ad eorum rectam gubernationem in bonum reipublicæ; sed quandoque expedit ad bonum reipublicæ & communitatis impedimenta dirimentia inducere: ergo valent legitime statuere ea Matrimonii impedimenta. Et confirmatur, quia eodem titulo ac jure*

possint alios contractus civiles irritare, has vel illas personas ad eos inhabiles reddere, appositis impedimentis eosdem contractus dirimentibus: ergo pari ratione id possunt in ordine ad contractum civilem Matrimonii, vbi in eo ratio Sacramenti non invenitur.

Ex quo infero primo cum Sanchez lib. VII. *disp.* III. *& fere communi sententia, etiam Principes Christianos idipsum posse etiam respectu Matrimonii, quod est Sacramentum, scilicet attento precise jure & potestate suæ dominationis regalis, nisi Ecclesia justas ob causas sibi reservasset munus & potestatem statuendi ea impedimenta, eoque modo restrinxisset potestatem, quam de se alioquin habent Principes Christiani.* Reservatio hæc postea examinabitur.

X. Melchior Canus, qui Tridentino Concilio interfuit, a collegis suis Hispanis nec dissentit, nec dissentire potest ea in sententia, quam de Matrimonio sine ministris Ecclesiæ celebrato tuetur. Illius adscribo verba e libro VIII. de locis cap. V. *Non igitur*, inquit, *Ecclesia docet, quodlibet fidelium Matrimonium Sacramentum esse, nisi quis adeo desipit, vt Cajetanum damnet, qui & probabilissime, & me quidem judice, verissime Matrimonium, quod inter absentes per literas procuratoresque contrahitur, Sacramentum esse inficiatus est. Nam qui in hoc Cajetanum errasse clamant, hi non intelligunt, nec quæ loquuntur, nec de quibus affirmant. Quod si nullo idoneo & necessario argumento, sed multis turbulentisque clamoribus alienas refellere sententias pergunt, atque adeo damnare, quæ probabiliter & vere dicta sunt, tum nos in quiete & silentio taciti illorum stultitiam amentiamque ridebimus. Concedant illi vnum pro altero Sacramentum sumere, cum pro altero contrahit. Concedant Sacramenta Christi absentibus administris, eisdemque & gratiam conferre & peccata remittere. Nos enim, quoniam hac absurda sunt, concedere potius volumus, ejusmodi contractus, qui inter absentes transiguntur, Matrimonia quidem verissima esse, vera Sacramenta nullo modo.* Qua ratione Matrimonium nihil habet, quo a civilibus regulis eximatur, aut eximi possit; immo quia tunc Matrimonium purus putus est civilis contractus, is totus secularium Principum legibus subjacet, quibus rite ineatur, aut ineatur non rite, si leges illæ non observentur. Hactenus de Theologis.

logis Salmanticensibus & Complutensibus, & aliorum Hispaniæ locorum.

CAPUT VII.

Theologorum Italiæ de proposito themate judicia recensentur.

I. EX iis Theologis, quos recensebimus, nonnulli Tridentino Concilio interfuerunt, Ambrosius Catharinus, & Jacobus Naclantus; sed Theologorum Italiæ primus erit Franciscus Ferrariensis in lib. IV. contra Gentes cap. LXXVIII. vbi de Matrimonio sic disputat ad mentem sancti Thomæ: *Quando aliquid ordinatur ad diversos fines, indiget diversis dirigentibus in finem, cum finis proportionetur agenti. Unde quantum ad primum, oportet vt dirigatur a natura in hunc finem inclinante, & sic dicitur quoad naturæ officium. Quantum ad secundum, subjacet ordinationi legis civilis. Quantum vero ad tertium, oportet vt regimini subjaceat Ecclesiastico.* De potestate Matrimonii ad diversos fines dirigendi Ferrariensis pronuntiat, quasi ea de re nulla esset vel esse posset difficultas.

II. Hieronymus Savanarola in lib. III. de veritate fidei cap. XV. *Septimum est conjugalis copulæ Sacramentum ad carnalem propagationem, hoc est, sobolis ordinatum, sine qua spiritalis multiplicatio deficeret. Nam propagatores administratoresque corporalis vitæ secundum duo considerantur; id est, secundum originem naturalem, quæ ad parentum genituram pertinet, & secundum regimen politicum, vt hominum societas pacifice conservetur: id quod ad Reges ipsos & Principes spectat.* At istud ad Reges spectare non potest, quin ad eosdem statuendi leges quasdam Matrimonium dirimentes spectet auctoritas, nisi sine hac potestate quis putet humanam societatem conservari pacifice posse.

III. Chrysostomus Javellus V. parte Philosophiæ Christianæ tract. VIII. cap. V. vbi cum dicit, potestatem statuendi impedimenta dirimentia quondam a populo Christiano emanasse in proceres Ecclesiæ, non obscure significat, jus illud

suam in politica congregatione originem habere. Nam quæritanti Luthero, penes quem esset statuendi impedimenta dirimentia facultas, sic respondit: *Populus Christianus in primitiva Ecclesia unanimi consensu voluit hanc potestatem esse in Majoribus & Prælatis Ecclesiæ.* Quæ autem potestas ferendarum legum in politica congregatione residet, ad illius Principem & Magistratum non potest non pertinere. Sed an hæc potestas a populo in proceres Ecclesiæ emanarit, alibi disputabitur. Inpræsentiarum satis est, Javellum hanc statuendorum impedimentorum potestatem, non in Ecclesiæ Prælatis, sed in populo quoad originem agnovisse: sic enim ex natura sua civilis est.

IV. Joannes Tabiena in Summa verbo *Imp.* I. parag. II, ubi verba beati Thomæ in IV. sent. dist. XXXIV. art. I. ad IV. suppresso auctoris nomine sua repetendo facit; & verbo *Matrim.* II. paragr. VI. ubi vult ex eodem sancto Doctore notari, quod *cum Matrimonium fiat per modum cujusdam contractus, ordinationi legis positivæ subjaceat, sicut & alii contractus*, qui sine dubio Principum sæcularium auctoritate irritari possunt.

V. Eustachius de Zichenis de Sacramento conjugii: *Tametsi Sacramentorum rationem humana non variat auctoritas; verumtamen contractus quosdam deprehendimus in conjugio humanos, ac legibus humanis obnoxios, atque citra quos nullum coit conjugium: fieri potest, ut nonnumquam ejusmodi humani contractus præoccupari possint, quominus sint ipsius conjugii capaces.* Et post alia: *Adde iis, quod & aliud quoddam habet conjugium humanis legibus obnoxium, utpote officium humanæ propagationis, quæ vere ut humanæ reipublicæ maxime saluberrima est, ita & maxime humanis legibus & spectanda & moderanda est.* Hæc ille, quæ ad sæcularium Principum jura & leges facile referuntur.

VI. Ambrosius Catharinus Archiepiscopus Compsæ, in quæstione de clandestinis Matrimoniis inter alios ejusdem tractatus edita Romæ anno MDLII. cum privilegio Julii III. *De his quærimus an valida sint, & ita rata, ut dici mereantur Sacramentum. Si leges civiles attendimus Principum Christianorum, certe hujusmodi invalida sunt.* Et post alia, quæ suo tan-

dem alio loco referentur. *Non est autem dubium, quin saeculares Principes ea possint circa Matrimonia providere ac statuere, per quae probi & civiles mores ad illum finem custodiantur, atque serventur, ad quem ipsae respublicae constituuntur. Itaque quidquid non est contra legem Dei & legem naturae, credo Principes posse circa Matrimonium tanquam circa suam & non alienam materiam, suis legibus providere.* Hæc omni luce clariora sunt.

VII. Jacobus Naclantus Clugensis Episcopus, tractatione XVI. de irritandis clandestinis conjugiis, sic probat Ecclesiam posse Matrimonia clandestina rescindere. *Ex unico*, inquit, *argumentabor medio, quod eo erit efficacius, quo procedit ex propriis, & sic habet: Potest Princeps seu respublica saecularis rescindere, vel si contrahatur, contractum reddere nullum, qui praejudicialis est bono communi. Hoc est notum tum ex ratione politicae potestatis, tum ex praxi*, &c. *Ergo poterit Princeps seu respublica Ecclesiastica illos rescindere contractus*, &c.

VIII. Clemens Monilianus Cardinalis, in compendio Theologicarum Institutionum cap. LXIII. secundæ editionis Romanæ ann. MDLXV. *Cum igitur abrogata sit lex Moysi de gradibus consanguinitatis & affinitatis in XVIII. Levitici posita, cum noster esset padagogus in Christo; (translato enim sacerdotio necesse erat secundum Apostolum ad Hebraeos septimo, & ut legis translatio fieret, praecipue cum de eis nulla habeamus Dei praecepta, & jus naturale propter suam generabilitatem & ambiguitatem non sufficiat ad populi Christiani directionem, praecipue pro secunda nuptiarum honestate) necessarium fuit constitui Magistratus tam politicos quam Ecclesiasticos: similiter & leges & canones statui, quibus explicarentur generalia divini & humani juris praecepta de supradictorum contractuum gradibus, & Matrimonii impedimentis, ac quibuscunque aliis, quae in praefatis rebus politicis pro illarum communi utilitate expedire videbantur.* Et post alia: *Ex praedictis concludimus quod necessarium est, ut contractus conjugalis, qui Sacramentum est, & propagandae Ecclesiae officium, subsit ordinationi & irritationi Magistratus Ecclesiastici in ordine ad pacem Ecclesiae, & fidelium salutem, quamvis etiam subsit ordinationibus & legibus potestatis civilis, secundum quod refertur ad pacem & bonum reipublicae.* Viderat hic auctor, quam de

gradibus consanguinitatis legem tuletat olim Imperator Theodosius, antequam de iis Ecclesia quidquam decernetet. Quare ante canones legum mentionem facit, quibus de iisdem gradibus & impedimentis Matrimonii generalia divini naturalisque juris præcepta explicantur, & necessariæ ad vere contrahendum conditiones sanciuntur. Unde concludit, *conjugalem contractum, qui Sacramentum est, subesse legibus & ordinationibus potestatis civilis, secundum quod refertur ad bonum & pacem reipublicæ.*

IX. Alexander Pesantius in Additionibus ad sanctum Thomam III. parte quæst. L. vbi probat Ecclesiam posse impedimenta ditimentia statuere. *Et ratio*, inquit, *naturalis dictat, etiam penes potestatem sæcularem esse hujusmodi facultatem, si consideratur Matrimonium, vt est contractus mere naturalis, quia propter bonum publicum expedit vt Princeps reddat quasdam personas inhabiles Matrimonio.*

X. Martinus Bonacina in quæstione III. de impedimentis Matrimonii puncto I. *Ecclesia potest statuere aliqua impedimenta, non solum impedientia, sed etiam dirimentia Matrimonium. Ratio est, quia Ecclesia potest irritare contractus, quando non fiunt sub certis conditionibus & sub certa forma: sed Matrimonium est contractus. Advertendum est Ecclesiam posse dupliciter contractus irritare: primo, mediate reddendo personas inhabiles ad contrahendum Matrimonium; secundo, immediate irritando contractus Matrimonii. qua ratione potest irritare contractus infidelium, non tanquam Princeps Ecclesiasticus, (Ecclesia non habet potestatem supra infideles, juxta illud: Quid mihi de iis qui foris sunt?) sed tanquam Princeps sæcularis erga subditos.* Hæc juris quæstio est, quæ suo loco enucleabitur. *Secundo sequitur Principes sæculares posse seclusa prohibitione Ecclesiæ constituere impedimenta Matrimonii, quatenus Matrimonium est quidam contractus. Principes enim sæculares habent potestatem supra contractus, & possunt præscribere formam sub qua celebrandi sint: verumtamen illam potestatem super Matrimonium illis ablatam esse ab Ecclesia in Caput, Ecclesiæ sanctæ Mariæ Novæ.* Hæc ille celebris per Italiam Doctor.

XI. Vincentius Candidus Pœnitentiarius Romanus ad sanctam Mariam Majorem, in Disquisitionibus Moralibus, disqui-

fitione XXVIII. de Matrimonio dubit. V. *Dico*, inquit, *nono: Principes sæculares fidelium possunt, seclusa prohibitione Ecclesiæ constituere impedimenta Matrimonii, quatenus Matrimonium est quidam contractus, quia Principes sæculares habent potestatem supra contractus, & possunt præscribere formam sub qua celebrandi sint.* Duo patibus verbis asserunt Bonacina & Candidus. Alterum sæculares Principes posse ex natura suæ potestatis impedimenta Matrimonium dirimentia inducere, & istud hoc articulo quærimus; alterum, hanc potestatem ab Ecclesia Principibus ablatam esse: atque istud suo postea loco examinabitur.

XII. Celestinus quidam apud Antoninum Dianam parte V. Resolutionum Moralium tractatu de Immunitate Ecclesiastica resolut. XVI. *An Principes laici possint statuere impedimenta dirimentia Matrimonium.*

Ad hanc quæstionem respondet novissime Celestinus in compendio Theologiæ Moralis tract. II. *cap.* XXXI. *num.* I. *ubi sic ait: Principes fideles, si præcise eorum potestas spectetur, possunt ex justa causa statuere impedimenta Matrimonium dirimentia, respectu suorum subditorum tam fidelium quam infidelium in terris suis degentium. Ita divus Thomas in* IV. *dist.* XXXIV. *quæst.* I. *art.* I. *ad* IV. *& Becanus de Sacram. cap.* XLIX. *quæst.* III. *ubi tamen recte notat hanc potestatem impediri posse a Pontifice, respectu subditorum fidelium, non autem infidelium: quia Pontifex reservavit sibi causas matrimoniales, ut patet ex gloss. fin. cap. Si quis ingenuus,* II. *quæst. Quia vero statutum hoc est positivum humanum, & potuit a primæva sua publicatione non recipi in aliquibus provinciis & Regnis, vel si receptum fuit, potuit per non usum abrogari: hinc fit ut si in aliquo Regno & provincia edicto cautum esset, ne quis contraheret Matrimonium parentibus renitentibus, vel etiam ipsomet Principe, sub pœna nullitatis Matrimonii, edictum hujusmodi servandum esset. Et si quis contra formam in illo contentam celebraret matrimonialem contractum, irritus, cassus & nullus omnino foret, prædicti statuti virtute; modo tamen sit longo usu confirmatum, & ab immemorabili tempore ad abrogandam legem Ecclesiasticam requisito ac sufficienti receptum. Ita Celestinus loco citato.*

Hæc de Theologis, qui per Italiam variis in locis docuerunt, & nativum jus Principum sæcularium in statuendis impedimentis Matrimonia dirimentibus agnoverunt. Ferrariensis, Savanarola, Javellus, Tabiena, Zichenius, Catharinus, Naclantus, Candidus, sunt omnes Theologi ex Ordine Prædicatorum.

CAPUT VIII.

Theologi variarum e Societate JESU *nationum de proposito themate judicia recensentur.*

NUNC veniendum est ad illustriores e Societate JESV Theologos, qui per varias orbis Christiani partes de jure sæcularium Principum in ferendis legibus Matrimonium dirimentibus sententiam dixerunt.

I. Agmen ducet Edmundus Augerius, qui in libri de Sacramento Matrimonii Gallice edito capite XIV. hæc tradit, quæ Latine vertimus: *Quod spectat ad Principes, possunt illi quidem inhibere, ne certa Matrimonia contraherentur, ubi inde Regnorum suorum periculum seu damnum futurum evidenter agnoscerent, suisque inhibitionibus pœnas addere gravissimas. Nam ut res civilis ad eorum finem pertinet*, quasi diceret, Matrimonii contractum, qui sub pœnis gravissimis prohiberetur, res civilis cum sit, iis Principum subjacere legibus, quæ, si opus esset, invalidum illum ac nullum redderent.

II. Joannes Azor Institutionum Moralium parte II. lib. V. cap. II. *Item*, inquit, *objicies: Ergo pari ratione civilium Principum auctoritate potest constitui & condi lex, qua reddatur irritum Matrimonium hoc vel illo modo contractum. Respondeo: Posset id Princeps justis de causis, nisi Ecclesia prohiberet.*

III. Joannes Maldonatus tertia parte disputationis de impedimentis Matrimonii quæst. I. *Quod autem possit hoc Ecclesia, ex eo manifestum est, quod respublica etiam possit. Nam quia Matrimonium est contractus quidam civilis, videmus ab Imperatore*

varias esse leges latas de contrahendis vel non contrahendis Matrimoniis: quibus legibus id certe efficiebatur, ut si Matrimonium contra leges illas contraheretur, non esset contractus legitimus, quia Sacramentum Matrimonii non potest esse, nisi nitatur quasi fundamento ipso contractu Matrimonii.

IV. Gregorius de Valentia quæst. V. de impedimentis Matrimonii puncto I. *Non solum Ecclesiastica auctoritas, sed etiam politica seu civilis posset Matrimonio impedimenta apponere, quatenus est contractus quidam ordinatus ad bonum etiam commune reipublicæ civilis.*

V. Robertus Cardinalis Bellarminus cap. XXXII. de Matrimonio: *Causæ matrimoniales tertii generis* (de impedimentis & aliis) *nos dicimus ad politicum Magistratum pertinere posse, sed cum subordinatione ad Ecclesiasticum.* Infra: *Iam antea diximus posse etiam Principem politicum de impedimentis Matrimonii legem ferre, sed Principe Ecclesiastico approbante.* Hæc ille, cujus rationes alibi expendentur commodius.

VI. Henricus Henriques lib. XII. Theologiæ Moralis de impedimentis Matrimonii cap. I. num. IV. *Impedimenta irritantia posset Princeps sæcularis addere Matrimonio, nisi Ecclesia inter Christianos eam facultatem suo judicio reservasset.* Hæc reservatio facti quæstio est, quæ discutietur postea. Hic satis est, quod auctor jus Principum agnoscat.

VII. Ferdinandus Rebellus in opere de obligationibus justitiæ lib. III. de impedimentis Matrimonii quæst. I. II. conclusione. *Secluso omni jure Ecclesiastico etiam potestas civilis hujusmodi impedimenta constituere potest, quod sit contractus civilis, qui perinde ac ceteri in bonum commune regimini Principis sive reipublicæ subditus esse debet.*

VIII. Thomas Sanchez lib. VII. de Matrimonio disp. III. *Absque dubio dicendum est posse Principem sæcularem ex genere & natura suæ potestatis Matrimonii impedimenta dirimentia fidelibus sibi subditis ex justa causa suis legibus inducere eo pacto, quo Pontifex summus potest, nisi sibi hanc potestatem reservasset.* Et post alia: *Nec obstat Principis sæcularis potestati Matrimonium esse Sacramentum, quia ejus materia est contractus civilis. Qua ratione perinde potest illud ex justa causa irritare, acsi Sacramentum*

non esset, reddendo personas inhabiles ad contrahendum, & sic illegitimum & invalidum contractum redderet.

IX. Martinus Ledesmius II. part. quæst. LXI. art. II. & quæst. LXV. art. III. eandem propositionem habet cum Rebello, conceptisque verbis scribit, *Sacramentum non eximere Matrimonii contractum a sæculari potestate; veluti si emptio aut venditio esset Sacramentum, non eximeretur a potestate civili, quatenus est contractus quidam.*

X. Luisius Turrianus parte II. de Sacramentis dubio V. concl. I. *Principes sæculares jam nihil possunt circa hæc* (impedimenta Matrimonium dirimentia) *disponere, quia Pontifex sibi hanc materiam reservavit.* Reservationis tempus requiretur postea.

Conclusione II. *Possunt Principes infideles suis subditis præcipere, vt non contrahant Matrimonium, nisi certis conditionibus, & statuere impedimenta dirimentia.*

XI. Jacobus Gretserus in secunda disputatione de Judice causarum matrimonialium, thesi I. *Matrimonium olim quidem fuisse, & nunc etiam extra Ecclesiam civilem contractum: in Ecclesia autem, & apud eos, quos salutaris baptismi vnda abluit, contractum & Sacramentum simul esse, fatentur communiter orthodoxi.*

II. Et paullo post: *Cum autem Matrimonium contractus quidam sit, sequitur illud legum dispositioni & ordinationi subjacere. Nam omni propemodum contractui commune est, vt pro varietate temporum & hominum aliter atque aliter iniri possit & debeat: ita vt ad commune reipublicæ bonum redundet, quem finem omnes contractus, & maxime matrimonialis, spectant. Ut ergo Magistratum esse oportet, qui aliis contractibus leges præscribat, eosque ad reipublicæ emolumentum dirigat: sic necessario requiritur Magistratus, qui contractum connubialem latis legibus regat & moderetur, idque tanto magis, quanto plus commodi, si bene, & quanto plus incommodi, si male ineatur, ex hoc contractu ad hominum societatem manare solet.*

III. *Et quidem apud non baptizatos, quorum Matrimonium neque modo est, neque olim fuit Sacramentum, dubitari nequit, quin ejus Magistratus, cujus erat alias civiles causas cognoscere, fuerit etiam Matrimonium legibus temperare, declarando, qui, cum quibus,*

bus, qua via & ratione contrahere possent, & qui omnino non possent, decretis etiam pœnis, si qui dicto minus audientes sese praeberent. Nam cum omnis potestas a Deo sit, vt divinae Literae saepe testantur, necesse est omnem Magistratum tantum accepisse potestatis, quantum satis est ad bonum commune reipublicae conservandum & amplificandum. At nisi de conjugiis ineundis leges ferre, & controversias, si quae nascuntur, dijudicare & terminare posset, haud tantum potestatis accepisset, quantum ad bonum commune reipublicae requiritur: cum maxima ex parte salus, tranquillitas, & pax hujus vniversi ex Matrimoniis rite & ordine initis pendeat. quod quotus quisque est, vel fuit quondam, praesertim apud infideles, qui sine legum auspicio & beneficio faceret?

IV. *Hinc tot leges veterum Romanorum de connubiis, quas Christiani quoque Imperatores in corpus juris civilis transtulerunt, quarum aliae efficiebant, ne licite; aliae, ne licite simul & valide inirentur a certis, & in lege nominatis hominibus Matrimonia Nam vt leges ad alios contractus, ita & ad hunc personas quasdam certos ob fines inhabiles & minime idoneas reddere poterant. Neque enim cogitandum est promiscue & indiscriminatim, & quovis modo cuivis fas esse Matrimonio jungi, eo quod Matrimonium sit juris naturalis. Licet enim quoad primam institutionem juris naturalis sit; quoad determinationem tamen modi & contrahentium a legibus pendet. Ipsa siquidem natura docet semperque docuit, non cuivis liberam arbitratu suo conjugii amplectendi potestatem relinquendam esse; sed eam quae & cum privata cujusvis, & cum vtilitate communi omnium conjuncta esset.*

V. *Quare libenter subscribimus sententiae illorum, qui censent Principem quempiam infidelem jam quoque habere potestatem faciendi legem, qua simpliciter invalidum faciat contractum, quo suae sectae vel nationis persona cum alia alterius sectae vel nationis contrahit, ad eum plane modum, quo olim invalidae erant nuptiae, cum filia Senatoris nupsisset liberto, aut Senator libertinam duxisset: tametsi libertina Senatori justa vxor esse poterat, si Principis indulgentia libertinae Matrimonium Senatori concessum esset.*

VI. *Iam vero Iudaeorum legislator Moyses, quid de Matrimonio jussu & instinctu non praescripsit, dum partim dirimentia, partim non dirimentia impedimenta constituit, jusque ipsum naturae, sce-*

lere & improbitate hominum nonnumquam obrui & sepeliri solitum, lege positiva denuo sanxit, & a tenebris & oblivione asseruit. Quas leges nisi ipse sua auctoritate non tulerit, sed auctoritate divina; potuisset tamen illas ferre propria auctoritate, & sine peculiari Dei jussu, etiamsi ponamus potestatem ipsius nullo modo, quatenus erat Princeps, & caput illius populi, fuisse spiritualem, sed tantum civilem & politicam: hoc ipso enim, quod populi illius Dux civilis constitutus erat, tantum potestatis accepisse censeri debuit, quantum ad Hebrææ reipublicæ quietem & incolumitatem requirebatur.

Grerserus censet postea Sacramenti rationem efficere, ne Matrimonium apud Christianos politicis legibus subsit amplius: sed hic cum id nec probet, nec probare possit argumento, quod ex duobus veræ Theologiæ principiis ducatur; perinde est ac si nihil omnino diceret. Quocirca rationes quibus jus Principum infidelium in sanciendis apud infideles impedimentis Matrimonium dirimentibus confirmat, vim suam totam in Christianos Principes derivant: ita ut id quod ethnici Principes erga Matrimonium efficiunt, Christiani similiter efficiant; alioqui deterior esset Christianorum, quam ethnicorum Principum conditio. Et hoc ipsum Christianam religionem in odium & invidiam summam adduceret, & Principes ethnicos ab illa suscipienda vehementer absterreret. Et hoc ipsum vir bonus, & propagandæ fidei nostræ avidus, non pervidit: quod si pervidisset, convenienter aviditati suæ & ordinis sui instituto mutasset sententiam, & docuisset quod docendum erat.

XIV. Ægidius Conink disp. XXX. de impedimentis Matrimonii dubio I. conclus. I. *Spectata natura rei omnes ejusmodi impedimenta inducere possunt, qui alias absolutam habent potestatem ferendi leges, ut sunt supremi Principes ac liberæ respublicæ. Ita D. Thomas in IV. dist. XXXIV. art. I. ad IV. & fere communiter Theologi. Probatur, quia Matrimonium est contractus vere civilis non minus quam alii, & consequenter similiter potestati publicæ subjectus est. Sicut igitur supradicti ex justa causa possunt aliquos v. c. prodigos & pupillos reddere inhabiles ad alios contractus: ita etiam ad hunc, quia eadem plane est ratio. Nec*

refert, quod Matrimonium sit Sacramentum: quia ideo non desinit esse vere contractus civilis, & hac ratione subditus potestati politicæ. Quare etsi potestas politica directe nihil possit statuere circa Sacramenta; potest tamen indirecte, impediendo valorem contractus, quem Matrimonium essentialiter involvit.

XIII. Adamus Tannerus disp. VIII. de Matrimonio quæst. IV. dubio I. assert. I. *Possunt Principes tam Christiani, quam ethnici leges pro Matrimoniis infidelium subditorum, iisque etiam certa impedimenta constituere tam dirimentia, quam prohibentia.* Assert. III. *Potuissent etiam Principes fideles seculares ex genere & natura suæ potestatis Matrimonii impedimenta qualibet etiam dirimentia pro ipsis quoque subditis ex justa causa constituere eo modo, quo Pontifex potest, nisi hic potestatem hanc sibi reservasset.*

XIV. Martinus Becanus cap. XLIX. de Sacramento Matrimonii quæst. II. conclus. II. *Princeps infidelis non solum subditorum infidelium, sed etiam fidelium potest talia impedimenta statuere.* Infra. *Hinc sequitur: Sicut Christiani Principes habitantes sub potestate Principum infidelium tenentur servare alias leges civiles, quæ ad pacem reipublicæ pertinent; ita etiam legem irritantem certa Matrimonia, modo non sit injusta.* Quæst. III. concl. I. *Potest Princeps Christianus, si præcise hujus potestas spectetur, statuere talia impedimenta, respectu suorum subditorum. Ratio est, quia non minorem habet potestatem quam Princeps infidelis. Si ergo hic potest statuere impedimenta circa Matrimonium, potest & ille. Nec obstat, quod Matrimonium Christianorum sit Sacramentum, quia impedimenta non statuuntur circa Matrimonium, ut Sacramentum est, sed solum ut contractus civilis est.*

XV. Vincentius Filliucius in secunda parte tractationis de Sacramento Matrimonii cap. I. *Primo ergo quæro an Princeps infidelium possit suis subditis impedimenta statuere. Respondeo & dico primo, posse. Est communis Doctorum ex Sanchez lib. VII. disp. III. num. V. Ratio universalis est, quia regia potestas est instituta ad bonum reipublicæ. Ejus ergo erit providere ea, quæ desiderantur ad hunc finem, cujusmodi est impedimenta Matrimonii. Hinc enim persæpe pendet recta reipublicæ gubernatio. Hinc sanctus Thomas IV. contra Gentes cap. LXXVIII. dixit Matrimonium in*

quantum civilem contractum, subjacere ordinationi legis civilis. Confirmatur, quia potest irritare alios contractus civiles: ergo etiam hunc, cum id possit quandoque necessarium esse ad bonum commune, ut (verbi gratia) si irritaret Matrimonia inter infideles diversæ sectæ, quia id officiat bono reipublicæ. Item præcipere certam solennitatem in eo servandam ad vitanda clandestina, ut agit Tridentinum.

Dico secundo eadem potestate posse Principes infideles statuere impedimenta, tum ea quæ tantum impediunt, tum ea quæ etiam dirimunt.

Infra: *Secundo quæro, an Princeps fidelis sæcularis possit suis subditis impedimenta statuere. Respondeo & dico, eodem modo posse sicut infidelem. Probatur auctoritate eorumdem Doctorum, & ratione. Non obstat autem quod Matrimonium sit Sacramentum, quia materia, ut diximus, est contractus civilis, eaque ratione potest illud irritum reddere; perinde ac si Sacramentum non esset.* Hæc ille in Romano Collegio docuit.

XVI. Joannes Præpositus quæst. VII. de impedimentis Matrimonii dubio 1. *Utrum Ecclesia possit constituere impedimenta Matrimonium dirimentia. Respondeo, posse.* Et post alia: *Immo nisi Ecclesia id ad se revocasset, Principes sæculares id possent; & proinde Principes sæculares nequeunt de facto constituere impedimenta dirimentia Matrimonium Christianis sibi subditis. Possunt,* inquit, *de jure, non de facto.* Sed istud examinabitur postea.

XVII. Paulus Laiman IV. part. de impedimentis Matrimonii quæst. I. *Dico primo: Spectata natura rei, & seclusis Ecclesiasticis constitutionibus, omnis Magistratus sæcularis, qui absolutam potestatem habet ferendi leges ad subditos suos, potest eisdem impedimenta Matrimonii tum dirimentia, tum impedientia tantum ob justam causam decernere.* Et post alia: *Neque obstat, quod Matrimonium in nova lege Sacramentum sit, quia ratio Sacramenti superveniens Matrimonio non mutat, sed potius ut materiam supponit humanum contractum: quo immutato per humanam potestatem, consequenter etiam definit esse materia Sacramenti.*

XVIII. Stephanus Baunius in Theologia Morali tract. XII. de Matrimonio quæst. V. *Dico primo, si spectetur tantum*

id, quod est juris naturæ, posse Principem & alios omnes, qui supremam habent regendi potestatem impedimenta Matrimonii dirimentia statuere suis subditis, quorum violatio certa sit Matrimonii irritatio. Probatur, quia eadem potestate sunt prædití Christiani Principes, qua ethnici; sed hi leges præscribere possunt subditis suis de contrahendo Matrimonio, quas servare teneantur: ergo & Christiani. Major est certa. Nam fides Christiana potestatem Principum non imminuit, quod planum fit exemplo Philippi primi Christianorum Principis, qui plenum jus imperii retinuit, hoc est, omnem illam potestatem sibi vindicavit, quam exercuerat ethnicus. Minor probatur. Cum tuendæ ac promovendæ publicæ tranquillitatis gratia instituta sit, potestas imperatoria ea vetare, præcipere, statuere posse debet, quæ ad hunc finem utilia sunt ac necessaria. At nemo ibit inficias, quin de hoc rerum genere sæpe sint nuptiæ: ergo subditis præscribere suis Imperator poterit, qui, quando & quomodo nuptialia fœdera inire debeant. Confirmatur, cum contractus humani & civiles subjecti sint Principi, certis illis conditionibus præstituere potest, quibus non servatis sint nulli ac irriti; ut patet in donationibus inter virum & uxorem, pupillorum transactionibus, quæ nullæ sunt, nisi firmentur auctoritate tutoris. Sed Matrimonium non est tantum Sacramentum, sed etiam est contractus humanus ac civilis, qui a Deo elevatur ad esse Sacramenti: ergo potest Princeps, aut quilibet alius, potestatem habens ferendi leges, statuere, ut Matrimonium quatenus est contractus, certo modo, aut cum certis circumstantiis ineatur, quæ si omittantur, ratum non sit. Confirmatur secundo. In Magistratu politico auctoritatem tantam esse est necesse, ut cum res temporaque reipublicæ exigunt, contractus, qui in ejus perniciem vergunt, modificare, irritare, ac determinare valeat: ergo cum Matrimonium sit contractus Matrimonii ac civilis more aliorum contractuum, legibus certis ab eo & Principibus, quorum in terris fiet, restringi poterit. Quid clarius?

XIX. Thomas Camptonus in tertiam partem disp. CIV. sect. I. *Spectata sola natura rei, Principes omnes & Magistratus, qui leges ferre possunt, possunt etiam pro suis subditis fidelibus statuere impedimenta dirimentia & impedientia Matrimonium, cum sit contractus humanus; nec per hoc mutatur, quod sit in Sacramentum elevatus. Unde de facto hoc possunt tam Christiani,*

quam ethnici pro Matrimoniis suorum subditorum infidelium; Ecclesia tamen hanc potestatem circa Matrimonia fidelium Principibus sæcularibus ademit, ac sibi reservavit. Ita Sanchez, &c.

XX. Michael Rabardeus contra Optatum Gallum sectione V. num. II. *Gravius errat adversarius, cum dicit Ecclesiam solam a Deo jus habere in Matrimonium. Sapientius divus Thomas & alii Theologi, quos quisque facile notabit apud novos scriptores, docent, Matrimonium esse natura sua ad officium & propagationem generis humani, reipublicæ conservationem, & sanctæ Ecclesiæ propagationem: ex quo sanctus Doctor probat illud rectæ rationis judicio, quod jus naturale vocamus, & diversis legibus tum civilibus, tum Ecclesiasticis dirigendum, ut bene, honeste studioseque celebretur.* Infra num. III. *Multas leges de antiquorum Iurisconsultorum libris, & antecessorum Imperatorum edictis traductas, Iustiniani Imperatoris auctoritate, summorum Pontificum, & sanctissimorum Episcoporum illius temporis conscientia publicatas reperies, in quibus Valentiniani, Gratianus, Theodosius uterque, Arcadius, Honorius & Iustinianus Catholici Imperatores suis legibus formulas & solennitates quasdam decernunt ex necessitate servandas a Christianis subditis suis pro firmitate & validitate Matrimonii, ab Ecclesia Catholica nunquam prius definitas.*

Deinde in defensione legum connubialium. *In hac controversia de potestate Regum & aliorum summorum Principum sæcularium pro constituendis & modificandis impedimentis, quibus Matrimonia subditorum suorum etiam fidelium Christianorum & Catholicorum illegitima, irrita & nulla definiantur, (quæ sane gravissima existit) non unus; sed, quod fatentur adversarii, plures viri sanctissimi atque prudentissimi in doctrina Christiana, in Theologia & utroque jure peritissimi, aperte docent, Imperatoribus, Regibus, & quibuscunque summis Principibus sæcularibus ex natura suæ dignitatis concessam esse jure quodammodo naturali vel gentium potestatem condendi & promulgandi leges, quibus hæc Matrimonia rata, firma, valida seu irrita, nulla & invalida efficiantur.*

XXI. Franciscus Amicus in disput. IX. de impedimentis Matrimonium dirimentibus, sect. I. num. III. *Certum est I. hanc potestatem penes Ecclesiam esse.*

Infra: *Certum est II. hanc potestatem non habere Ecclesiam su-*

pra infideles sibi non subjectos. Probatur ex Innoc. III. cap. Gaudemus de divortiis, qui docet paganos legitimum contrahere Matrimonium in gradibus ab Ecclesia prohibitis, quippe qui constitutionibus canonicis non arctantur.

Infra : *Certum est* III. *hanc potestatem habere Principes infideles: experientia enim constat apud multas barbaras nationes connubia inter alienigenas prohibita esse vt invalida. & hi veri sunt Principes, omnemque potestatem a populo acceperunt, quæ ad bonum publicum conservandum legesque ferendas ad id conducentes necessaria est.*

Infra : *Certum est* IV. *hanc potestatem non esse Principibus sive a Deo, sive a populo concessam, nisi justa & rationabili causa exigente: quia cum quisque jus habeat a Deo & natura ad Matrimonium contrahendum, non poterit Princeps nisi justam ob causam personas ad Matrimonium contrahendum inhabilitare. Porro justa exigente causa non solum poterit Princeps ad tempus, sed etiam in perpetuum, si id bono publico expedire judicaverit, personas ad Matrimonium inhabilitare, nonobstante quod Matrimonia sint de jure naturæ & divino. Nam hoc jus, quod quisque privatus a Deo & natura habet, subordinatur juri naturali, quod de se habet in ordine ad bonum publicum. Translata enim semel in Principem potestate rempublicam vere gubernandi, jure naturæ consurgit in Principe potestas adhibendi omnia ea media, quæ ad ipsam bene gubernandam, bonumque publicum promovendum conducunt, cum natura dictet semper bonum publicum præferendum esse privato.*
Infra num. VI. *Dubitatur* I. *an Principes fideles potestatem habeant statuendi suis subditis fidelibus impedimenta dirimentia Matrimonium. Prima sententia negat.* Et Infra : *Secunda affirmat. Gloss. in can. Si quis ancillam,* XXIX. *quæst.* II. *verbo & legibus. S. Thom. in* IV. *dist.* XXIV. *quæst. vnica art.* I. *ad* IV. *Item contra Gentes* IV. *cap.* LXXVIII. *Victoria, Petrus Sotus, Bellarminus de Matrim. cap. penultimo fine, Henriques, Sanches, Conink, Præpositus, & alii apud Sanchem, qui omnes conveniunt, Principes sæculares, quantum est ex vi potestatis quam vi muneris sui a populo communicatam habent, posse impedimenta Matrimonium dirimentia suis subditis statuere; de facto tamen vsum hujus potestatis sibi soli Pontificem reservasse: excipe Petrum Sotum,* &c.

Quod autem talis potestas de facto sit in Principibus sæcularibus ab Ecclesia impedita, ne valide possit exire in actum, constat ex communi Doctorum sensu, & ex multis canonib. can. Multorum XXXV. *quæst.* VI. *& cap. de consang. & affinit. sui, & cap. Accedent de excessib. Prælatorum. demum ex Trid. sess.* XXIV. *can. ult. ubi definit causas matrimoniales spectare ad Iudices Ecclesiasticos.* Hæc est facti quæstio, quæ postea expendetur.

Infra: *Quod autem Principes sæculares vi sui muneris hanc potestatem habeant statuendi suis subditis fidelibus impedimenta dirimentia, nonobstante quod Matrimonium inter Christianos celebratum sit Sacramentum, probatur ex eo, quod cum Christus Matrimonium in Sacramentum evexit, non abstulit Principibus sæcularibus, quam ipsi in illam habent ut contractus civilis est, sed illam præsupponit, non minus quam præsupponit contractum valide irritum. Confirmatur ex eo, quod Christus verba ex hominum placito significantia evexit ad rationem Sacramenti, non abstulit a republica potestatem illam quoad significationem mutandi ac variandi; sed ea supposita non minus quam supposita verborum significatione ab hominum placito dependente, illa in Sacramentum evexit. Ergo pari modo*, &c.

Et post alia: *Ad argumenta primæ sent. S. Thomas, ut & antiqui citati intelligendi de potestate impedimenta Matrimonio imponendi quatenus Sacramentum est, non quatenus contractus civilis. Quamquam explicari possunt de potestate proxima & expedita ad confirmationem, ea tantum probat de facto penes Iudices Ecclesiasticos tantum esse de causis Matrimonii judicare. An autem hoc proveniat ex defectu potestatis in judice sæculari, an ex prohibitione Ecclesiæ usum hujus potestatis sibi reservantis excitata occasio non colligitur.*

Hactenus de Theologis Societatis JESU variarum nationum, qui & cum aliis bene multis, quorum testimonia retulimus, aperte significant, qui & qualis sit in Ecclesia de regia in Matrimonium potestate sensus, dum suis illa finibus explicatur.



CAPUT

CAPUT IX.

Synopsis rationum, quibus laudati Theologi regiam in Christianorum Matrimonium potestatem explicant & stabiliunt.

AD exponendas rationes, quibus Theologi regiam in Matrimonium potestatem explicant & stabiliunt, non ante mihi veniendum est, quam te de duobus monitum velim. Unum est, cur tot Magistrorum suffragia superioribus capitibus retulerim. Alterum, cur Theologicarum hac in materia rationum synopsim instituerim. Cur tot igitur Theologorum suffragia retulerim, fecit primum rei, quam tractamus, magnitudo. Causam enim Regum, quibus nihil est in sæculo excelsius, majori quam ceterorum hominum examinandam esse diligentia & accuratione quis ignorat? Deinde, vt si quos adversarios habeant Reges, iis constet, politicam in Matrimonium potestatem non ab vno vel altero hujus aut illius nationis ignobili scriptore, sed a quamplurimis diversarum gentium illustribus Magistris assertam esse.

Ad secundum vero impulerunt me duo: tum quia vt esset in promptu, vnde colligendarum hinc inde rationum assertionis nostræ onus levaretur; tum quia vt obstinatorum hominum animis facilius insinuentur repetita rationum momenta, quibus regia in Matrimonium potestas asseratur.

Exposita igitur consilii mei ratione, ad expeditiorem Theologicorum momentorum notitiam ponendum est id, quod necessario & cum rei veritate poni debet, in Matrimonio potissimum spectari duo. Unum, civilis contractus naturam, quæ & in veteri & in novo Testamento fuit eadem semper. Alterum Sacramenti rationem, quæ civili contractui supervenit, sine vlla civilis contractus mutatione supervenisse. Qui adversarius hanc receptissimam, maximeque necessariam distinctionem recipit, captus est, cum ad eam vt ad scopulum

quælibet argumenta contrariæ partis allisa penitus concidant; qui vero rejicit, nullus, cum multo facilius sorbere favillas possit, quam sine vlla distinctione explicare: quo pacto immutata Sacramenti materia dirimentes Matrimonium leges a suis auctoribus præscribantur.

PRIMA RATIO.

Matrimonium humanus contractus cum sit, sequitur illud civilium legum dispositioni & ordinationi subjacere. Nam omni contractui commune est, vt pro varietate temporum & hominum aliter atque aliter iniri possit & debeat, ita vt ad commune reipublicæ bonum referatur: quem finem omnes tractatus, & maxime matrimonialis, spectant. Quemadmodum ergo Magistratum esse oportet, qui aliis contractibus leges præscribat, eosque ad reipublicæ vtilitatem dirigat: sic necessario requiritur idem Magistratus, qui contractum connubialem latis legibus regat & moderetur; idque tanto magis, quanto plus commodi, si bene, & quanto plus incommodi, si male ineatur, ex hoc contractu ad hominum societatem manare solet. Quod autem sit Sacramentum, nihil interest omnino, tum quia contractus civilis, cui innititur Sacramentum, ab Regum potestate non eximitur per Christum Sacramentorum auctorem, tum quia ratio Sacramenti Matrimonio superveniens humanum contractum non mutat, sed potius vti idoneam materiem supponit. Quare sæcularis Princeps æque potest justa de causa hunc contractum irritum facere, ac si non esset ad Saeramenti dignitatem evectum.

SECVNDA RATIO.

Usu venire potest aliquando, vt in magnum alicujus Regni commodum cedat, sive illud sit publica honestas, sive pacis inter fœderatos inita conservatio, sive quodlibet aliud bonum reipublicæ procurandum, vel malum avertendum, quod hæc vel illa conjugia fiant, vel non fiant. Debuerunt igitur Principes ea gaudere potestate, quæ ad prohibenda dirimenda-

que conjugia sufficeret : cum præcipue hic contractus Matrimonii talis esse credatur, vt si semel valuerit, rescindi non possit amplius. Nemo vero afferat, in libera perfectaque republica ejusmodi contingere posse malum, cui nulla potestas Principis ex sese præcurrere aut mederi quear.

TERTIA RATIO.

Bona pars, immo fere tota politicæ congregationis, cum ex Matrimoniis constet, posse debet Princeps illius caput, vbi Matrimonia quædam publicæ vtilitati obessent, leges & edicta ferre, quibus, si secus facta fuerint, irrita declarentur: quidquid enim ad pacificam vivendi rationem, communitatis hominum concordiam, & bonum reipublicæ destinatur, id totum regiæ vel civilis potestatis limitibus circumscriptum est, alioquin hæc potestas sibi non sufficeret: at sibi sufficere debet. quod Gretserus in cap. VIII. demonstravit.

QVARTA RATIO.

Quæcumque adducuntur, adducive possunt, vt impedimenta Matrimonium dirimentia sanciantur, ad civilem magis & naturalem, quam ad spiritualem & supernaturalem finem spectant, cum a lumine naturæ pendeant, atque intra civilis prudentiæ fines contineantur. At politicam prudentiam sæcularium Principum regulam esse certum est. Sive igitur considerentur gradus consanguinitatis, & pericula cognatorum in eadem domo commorantium, ne si conjugii licentia foret, incestus & stupri daretur occasio; sive amicitiarum & familiarum propagatio spectetur, ne inter eosdem lares & parietum ambitus coerceantur necessitudines: totum istud regiam auctoritatem non excedit; & sicut in veteri, ita & in novo Testamento pertinere potest ad civiles leges, quibus stupra & incestus severissime vetantur & puniuntur.

QVINTA RATIO.

Eadem eſt ratio contractus Matrimonii, quæ venditionis aut emptionis; ſed pro bono reipublicæ Princeps ſæcularis ea ſtatuere poteſt, quibus irritetur venditio, vel emptio, ſi fiat aliter quam Princeps voluerit. Igitur & pro bono reipublicæ idem Princeps ea ſtatuere poteſt, quibus irritetur Matrimonium, ſi ſecus ac Princeps ſtatuerit, celebretur. Neque ſuperveniens Matrimonio Sacramentum obeſſe poteſt: quia dirimentes Matrimonium leges non afficiunt Matrimonium, qua Sacramentum eſt, ſed qua tantum contractus civilis. Quemadmodum ſi fingeremus rationem Sacramenti ad contractum venditionis accedere, ex eo hic contractus ſæcularium Principum poteſtati ac legibus non minus ſubeſſet.

SEXTA RATIO.

Inſtitutio legis civilis ad Principem ſæcularem pertinet; ſed impedimentum dirimens Matrimonium lex civilis eſt: igitur impedimenti Matrimonium dirimentis inſtitutio ad Principem ſæcularem pertinet. Major certiſſima eſt, ſed minor probatur: Quidquid ſpectata natura rei ſæcularis Princeps pro bono communi inſtituere poteſt, id legis civilis rationem ſibi vindicat; ſed ſpectara natura rei ſæcularis Princeps impedimentum dirimens Matrimonium inſtituere poteſt, vt conſentiunt omnes Theologi quos retulimus: igitur quod impedimentum dirimens Matrimonium inſtituere poteſt, legis civilis rationem ſibi vindicat. Confirmatur: Ejuſmodi eſſet impedimentum dirimens contractum Matrimonii, cujuſmodi eſſet impedimentum dirimens contractum venditionis aut emptionis; ſed impedimentum dirimens contractum venditionis aut emptionis, legis civilis rationem ſibi vindicat: igitur impedimentum dirimens Matrimonii contractum legis civilis rationem ſibi quoque vindicat.

SEPTIMA RATIO EAQVE PALMARIS.

Cum Matrimonium contractus quidam ſit, ſequitur illud legum diſpoſitioni & ordinationi ſubjacere : nam omni propemodum contractui commune eſt, vt pro varietate temporum & hominum aliter atque aliter iniri poſſit & debeat, ita vt ad commune reipublicæ bonum redundet : quem finem omnes contractus, & maxime matrimonialis, ſpectant. Ut ergo Magiſtratum eſſe oportet, qui aliis contractibus leges præſcribat, eoſque ad reipublicæ emolumentum dirigat; ſic neceſſario requiritur Magiſtratus, qui contractum connubialem latis legibus regat & moderetur : idque tanto magis, quanto plus commodi, ſi bene, & quanto plus incommodi, ſi male ineatur, ex hoc contractu ad hominum ſocietatem manare ſolet. Et certe niſi de conjugiis ineundis leges ferre, & controverſias, ſi quæ naſcuntur, dijudicare & terminare poſſet, haud tantum poteſtatis accepiſſet, quantum ad bonum commune reipublicæ requiritur, cum maxima ex parte ſalus, tranquillitas & pax hujus vniverſi ex Matrimoniis rite & ordine initis pendeat. Hoc autem animis auribuſque tam abſonum quis in ſe reciperet?

CAPUT X.

Ponderandus ſemel atque iterum videtur nonnullorum Theologorum modus hac in materia diſputandi.

CELEBRES ſunt quidam Theologi, qui quod Principes impedimenta Matrimonium dirimentia ſtatuere poſſint, inde conficere ſe putant, eadem ab Eccleſia, vt loquuntur, ſtatui poſſe.

Sic Duvallius in articuli 1. capite 1. diſputat. *Imperatores circa Matrimonii contractum quædam impedimenta ſtatuerunt. Igitur multo magis id licebit poteſtati Eccleſiæ.*

Sic Gonetus in ejuſdem articuli capite II. diſputatur: *Cum pax & tranquillitas reipublicæ magna ex parte ex bene initis connubiis pendeat, & contra ex male copulatis conjugibus magna in ea turbatio oriri ſoleat; in omni republica bene ordinata neceſſaria eſt poteſtas ad providendum abuſibus, qui in Matrimoniis poſſunt contingere, & ſtatuendi Matrimonio impedimenta, quibus ſtantibus valide contrahi nequeat: ergo talis poteſtas non debet denegari Eccleſiæ.*

Sic Kelliſonus in ejuſdem articuli capite V. diſputat: *Poſſunt per ſe Principes non ſolum fideles, verumetiam infideles, in ſuis regnis conſtituere impedimenta Matrimonii: ergo etiam Eccleſia.*

Sic Naclantus in ejuſdem articuli capite VII. diſputat: *Poteſt Princeps ſeu reſpublica ſæcularis reſcindere, vel ſi contrahatur, contractum reddere nullum: ergo poterit Princeps ſeu reſpublica Eccleſiaſtica illos reſcindere contractus.*

Sic Maldonatus in ejuſdem articuli capite VIII. diſputat: *Quod autem poſſit hoc Eccleſia, ex eo manifeſtum eſt, quod reſpublica etiam poſſit.*

His autem ita conſtitutis & diſputatis obſervanda ſunt omnino tria, quæ veritate ſumma nituntur.

Primum eſt, argumentorum iſtorum omnium antecedens explorate percepti & cogniti principii inſtar a ſuis auctoribus haberi: quod minus prudenter ab illis haberetur, ſi antecedens aliud explicatius perceptum & cognitum aſſumi poſſet: alioqui cauſam ſuam niſi prodere, certe perperam tueri dicerentur.

Alterum, antecedens omne, quod ita principii rationem ſibi vindicat, eo quod inde colligitur, certius & magis indubitatum eſſe. Id jure ſuo poſtulat axioma commune: *Propter quod unumquodque tale & illud magis.* Sic quidquid in conſequente certum atque indubitatum eſt, id totum ex antecedente derivatur.

Hæc autem duo cum ita ſint, nec aliter eſſe poſſint, ſi dubitandum eſt de jure ferendarum legum, quæ Matrimonium dirimant, longe minus de jure Principum ſæcularium, quam de jure Eccleſiæ, ſeu potius ſacerdotalis ordinis, vel con-

sessus in ferendis legibus ejusmodi dubitandum erit.

Tertium, antecedens posse verum remanere consequente falso, cum antecedens & consequens nec ejusdem sint ordinis, nec ejusdem finis. Antecedens ad naturalem ordinem & finem, consequens ad supernaturalem ordinem & finem attinet. Principes conservando naturali ordini & fini, qui est pax & tranquillitas publica, incumbunt; Sacerdotes supernaturali ordini & fini advigilant: id executi, quod Sacramenti ratio & dignitas civili Matrimonii contractui accedens exigit. Huc autem non spectant leges illæ, quæ cum ad civilem Matrimonii contractum rite celebrandum referantur, civilem ipsum Matrimonii contractum præcedunt; sed de vitio consequentis jam dictum est nonnihil, dum in cap. II. relatum est Goneti testimonium; & deinceps dicetur amplius, cum sese dabit occasio.

CAPUT XI.

Privatæ rationes aliquot præcedentibus adduntur.

EXPEDITIS rationibus, quas Theologi ad explicandam & stabiliendam regiam in Matrimonium potestatem adhibere solent, privatas aliquot alias rationes subjungimus.

PRIMA RATIO EST.

Quæ ratio probat, maritum solo suo jure adulteram uxorem occidere non posse, aut mutilare, eadem penitus convincit, hominem non posse uxorem ducere sine consensu congregationis politicæ, aut ejus Principis, si ex tali Matrimonio quoddam in republica damnum timeretur. At Durandus in IV. dist. XXVII. quæst. II. Paludanus ibidem dist. XXXVII. & alii Doctores aliud adferunt nihil, præterquam quod si vir perimeret uxorem, politica congregatio vehementer læderetur, cujus est videre, ne quid sibi contingat

detrimenti : contingeret autem plurimum, si quis re sua, id est, vxore male vteretur. Civis enim in iis, quæ ad civitatem spectant, non est homo integer, sed pars civitatis, ad eum fere modum, quo filius est pars patris. Si igitur interest reipublicæ, ne quis re sua, id est, vxore abutatur, ejus multo magis intererit, ne quis re nondum sua, ducenda nimirum vxore, in publicum damnum vtatur. Cum ergo res illa dirimentis obstaculi capax sit, tale sine dubio respublica vel Princeps illius constituere poterit : & si facilius impediatur acquirendum, quam tollatur jam quæsitum, facilius etiam impedietur rei acquirendæ, quam acquisitæ abusus.

SECVNDA RATIO.

Quæ omnia ad finem naturæ & salutem civilis societatis referuntur, Principum ordinationi subjici necesse est. Causas Matrimonii finales ad illud vtrumque revocant Magistri veteres, Bandinus lib. IV. sent. Stephanus Cantuariensis, & Præpositivus in Summa tit. de Matrimonio, Petrus Pictaviensis in IV. sent. Joannes Noviomensis in Summa MS. dist. V. cap. VIII. Guillelmus Autisiodorensis lib. IV. Summæ cap. II. Robertus de Corceon Cardinalis in Summa; Rodericus parte IV. Hist. Hisp. cap. XXI. Durandus in IV. dist. XXVII. quæst. II. At hi Theologi causas finales alias faciunt necessarias, vti est liberorum procreatio ; alias vtiles & honestas, quales sunt victorum vel inimicorum reconciliatio, civitatis dilatatio, bellorum sedatio, & regnorum pacificatio. Causa illa prima finalis propagandos Imperii fines respicit ; altera pacificam illius conservationem. Ad quem vero, amabo te, pertinent hæc duo, nisi ad eum, cui Deus concredidit Imperium, & cui publicorum mœnium jus est commissum? Itaque sicut quod priori fini, id est, bono prolis obest, inter impedimenta dirimentia numeratur : sic quod oberit posteriori, scilicet publicæ regnorum vtilitati, cur impedimenti dirimentis vim obtinere non quiret? Sed a quo tandem obtineret, nisi ab eo, qui politicæ societatis curam gerit? Par est propemodum vtriusque ratio. Sicut enim susceptorum liberorum

rorum defectu regnum enervaretur ac periret; sic & bellorum tam externorum, quam domesticorum acerbitate & hominum stragibus, quæ ob connubia nonnulla possunt accidere, susque deque verteretur. Unde recte docuit beatus Thomas, Matrimonium esse institutum non modo in officium naturæ, sed etiam in officium communitatis.

TERTIA RATIO.

Ex Bellarmino lib. 1. de Matrimonio cap. XXXII. Baio lib. II. Institutionum Christianæ religionis cap. CXLV. & aliis causas Matrimonii trifariam dividentibus. *Quædam*, inquiunt, *sunt omnino politicæ, ut de dotibus, de successionibus, de hæreditatibus*, &c. *Quædam sunt omnino spiritales, ut de partibus Sacramenti, de benedictione sacerdotali; quædam sunt partim politicæ, partim spiritales, ut de gradibus cognationis, de impedimentis Matrimonii*, &c. Et post alia: *Causas primi generis non negamus ad politicum Magistratum simpliciter pertinere.*

Deinde ex Gretsero, qui loco jam citato, Bellarminum & Baium suo judicio correxit, eorumque divisiones tres in duas reduxit hoc modo: *Verum ut hæc omnia planiora & clariora fiant, diligenter animadvertendum est, duplicis generis res partim in Matrimonio contineri, partim cum Matrimonio connexas esse. Quædam sunt omnino politicæ & civiles, cujusmodi dotes, donationes inter virum & uxorem, successiones, hæreditates, & id genus alia jura ex Matrimonio obvenire solita. Quædam propius ipsum Matrimonium attingunt, ex quorum numero sunt impedimenta Matrimonii tam dirimentia, quam non dirimentia, divortia, vel quoad thorum tantum, vel quoad cohabitationem. Res prioris generis omnium judicio pertinent ad Magistratum civilem*, &c. *Res posterioris generis simpliciter ad Ecclesiasticum tribunal spectant, neque potest circa illas ullus Princeps quidquam valide constituere, nisi Ecclesiæ approbatio accedat.*

Ex his sic formamus argumentum. Causæ matrimoniales primi generis ad politicum Magistratum pertinent: ergo & politicus Matrimonii contractus, & quæ ad ejus constitutionem concurrunt, ad eundem Magistratum simpliciter pertinebunt, cum

ſane naturam cognoſcere ejuſdem ſit, cujus eſt cognoſcere effe-ctus & proprietates, vti omnes Philoſophi docent. Ut enim ef-fectus phyſicus ad cauſam phyſicam, ſic & moralis ad moralem refertur, niſi aliter jure ipſo caveatur. At cauſæ, quæ de doti-bus, de ſucceſſionibus, de hæreditatibus inſtituuntur, ex po-litico contractu ſoboleſcunt, & ab eo tanquam rivus a fonte dimanant. De ſucceſſionibus enim & aliis id genus nunquam aut raro diſceptaretur in ſæculari foro, niſi contractus matri-monialis interveniſſet.

Porro ad quem ſimpliciter ſpectat contractus politicus, ad eundem quoque ſimpliciter pertinent impedimenta & leges, quibus contractus fieri, vel non fieri debet. Enimvero longe facilius concipies ſæcularem judicem de Matrimonii impedi-mentis agere, illæſa Sacramenti dignitate, quam de cauſis pri-mi generis, cum Matrimonii impedimenta contractum ipſum Matrimonii, proindeque Sacramentum antecedunt : cauſæ vero de dotibus, de ſucceſſionibus, de hæreditatibus & aliis, & civilem Matrimonii contractum, atque inædificatum con-tractui Sacramentum ſubſequuntur. Quæ vero & Matrimonii contractum, & ſuperveniens contractui Sacramentum ſubſe-quuntur, plus certe poſſunt de excellentia Sacramenti, quo civilis contractus conſecratur, participare, quam impedimen-ta, quæ & contractum Matrimonii, & inditum contractui Sa-cramentum antecedunt. Cum ergo cauſæ de dotibus & aliis ad politicum Magiſtratum ſimpliciter ſpectant, potiori ratio-ne ad eundem ſpectabunt cauſæ de impedimentis, eorumque inſtitutio.

Quidquid id eſt, duplici modo confirmatur. Et primum qui-dem, quod alterum diviſionis membrum ſacerdotali foro gratis attribuitur, & ſine ratione Theologica, id eſt, quæ ex duobus veræ Theologiæ principiis, ſcriptura & traditione, ducatur, ex ſolo diviſoris arbitrio & beneficio attribuitur; & proinde attri-buitur, quomodo non debet attribui, vt quod civile & politicum eſt, aperte ſecernatur, & ſecretum ſine fraude dignoſcatur. De-inde, quod primum diviſionis membrum æque atque alterum ſacerdotali foro adjudicaretur, idque contra mentem eorum, qui diviſionem hujuſmodi fecerunt ; ſcilicet, quia res quæ

dicuntur prioris generis, & res quæ dicuntur posterioris, non sunt vere diversi, sed vnius & ejusdem generis, si sacerdotalem benedictionem excipias. Sunt omnes naturalis ordinis & finis, atque intra civilis prudentiæ, quæ certa est sæcularium Principum norma, terminos continentur: & hoc ipsum est verum principium, quo quæcunque spectant ad Matrimonium, dirigi ac dijudicari necesse est.

Si comparanda fuit rerum matrimonialium divisio, vt dicerentur ea, quæ Matrimonium quatenus civilis contractus est, per se & proxime antecedunt & subsequuntur, sæcularium Principum legibus subjacere; ea vero, quæ Matrimonium quatenus Sacramentum est, per se & proxime antecedunt & subsequuntur, sacerdotali judicio subesse. Ad primum divisionis hujus membrum impedimenta quæcunque, & præsertim dirimentia, dotes, hæreditates, & alia hujusmodi: ad secundum quæ sit Sacramenti materia & forma, quæ necessariæ ad illud recipiendum dispositiones, quæ & qualis gratia conjugibus detur, & quæ sacerdotalis sit benedictio, & alia hujusmodi referuntur. Ceterum Bellarmini, Baii & Gretseri divisio a dialecticorum regulis recedit, nostra non recedit.

QVARTA RATIO.

Dirimentem Matrimonium legem ejus est condere, cujus in eadem dispensare. At Principes olim in ea dispensabant. Id primum constat ex Honorii & Theodosii lege, cui titulus est: *Si nuptiæ ex rescripto petantur.* & ea sic se habet: *Quidam vetusti juris, ordine prætermisso, obreptione precum nuptias, quas se intelligunt non mereri, de nobis æstimant postulandas, se habere puellæ consensum confingentes: quapropter tale sponsaliorum genus præsentis legis definitione prohibemus. Si quis igitur contra hanc definitionem nuptias precum subreptione meruerit, amissionem bonorum, & pœnam deportationis subiturum se esse non ambigat, & amisso jure Matrimonii, quod prohibita vsurpatione meruerit, filios se juste hac ratione susceptos non habiturum, nec vnquam postulatæ indulgentiæ adnotationisve Principis indulto, efficacem se veniæ effectum meruisse, exceptis his, quos consobrinorum, hoc est,*

H y

quarti gradus conjunctione lex triumphalis memoriæ patris nostri exemplo indultorum supplicare non vetavit; exceptisque his, qui parentum sponsione de nuptiis filiarum impleri desiderant, vel sponsalia, hoc est, arrarum data nomine, reddi sibi præcepto legum cum quadrupli pœna deposcunt. Nos enim peti de nobis nuptias supplicatione prohibemus, quas decent de voluntate parentum, vel de ipsis adultis puellis aut mulieribus impetrari. Nam si negato conjugio, quod fuerat ante promissum, lis aliqua legum præcepto nascatur, de jure nos consuli non vetamus. Data Calendis Februarii Ravenn. DD. NN. Honorio VIII. & Theodosio III. AA. Coss. id est, anno Christi CCCCIX. Imperatores exponunt, quando, & quibus, & qua ratione legis veniam dare volunt.

Deinde constat ex veniæ seu dispensationis formula, quæ extat apud Cassiodorum lib VII. variarum cap. XLVI. *Institutio divinarum legum humano juri ministrat exordium, quando in illis capitibus legitur præceptum, quæ duabus tabulis probantur adscripta. Sacer enim Moyses divina institutione Israelitico populo inter alia definivit, ut concubitus suos a vicinitate sanguinis abstinerent, ne & se in proximitatem redeundo pollucrent, & dilationem providam in genus extraneum non haberent. Hoc prudentes viri sequentes exemplum longius pudicam observantiam posteris transmiserunt, reservantes Principi tantum beneficium consobrinis nuptiali copulatione jungendis: intelligentes rarius posse præsumi, quod a Principe jusserant postulari. Admiramur inventum, & temperiem rerum stupenda consideratione laudamus, hoc ad Principum fuisse remissum judicium, ut qui populorum mores regebat, ipse & moderata concupiscentiæ fræna laxaret; & ideo supplicationum tuarum tenore permoti, si tibi illa tantum consobrini sanguinis vicinitate conjungitur, nec alio gradu proximior approbaris, Matrimonio tuo decernimus esse sociandum, nulli nullamque vobis exinde jubemus fieri quæstionem, quando & leges nostræ permitti voluntate consentiunt, & vota vestra præsentis beneficio auctoritatis firmaverunt. Erunt vobis itaque, Deo favente, posteri hæredes solenniter, castum Matrimonium, gloriosa permixtio, quando quidquid a nobis fieri præcipitur, necesse est ut non culpis, sed laudibus applicetur.* Hæc est illa publica formula, qua disponentibus Regibus consobrina legitima fiebat uxor.

Porro autem si quid cum in Imperatorum constitutione, tum in relata deinde veniæ formula dictatum esset, quod vel Scripturæ sacræ, Ecclesiasticæ traditioni, & præcedentibus Conciliis œcumenicis, vel Sacerdotum juri repugnasset, vehementer obstitissent æquales Honorii & Theodosii Pontifices Siricius, Anastasius I. Innocentius I. vehementer obstitissent æquales Cassiodori & Theodorici Regis Italiæ Pontifices Gelasius I. Anastasius II. Symmachus, Hormisda. Non obstiterunt athletæ de Scripturis, de traditionibus, de sacerdotali jure armati, de generalium Conciliorum canonibus, de consuetudine Ecclesiastica succincti: non obstiterunt, inquam, quia obsistendi causa nulla fuit; alioqui de silentio & taciturnitate sua rei coarguerentur a Celestino I. dum in epistola ad Galliarum Episcopos ita scribit.

Quid illic spei est, ubi Magistris tacentibus hi loquuntur, qui si ita est, eorum discipuli non fuerunt? Timeo ne connivere sit hoc tacere, timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito namque nos causa respicit, si silentio faveamus errori: ergo corripiantur hujusmodi, non sit his liberum habere pro voluntate sermonem.

A Leone I. dum in epistolæ XCIII. ad Turribium Asturicensem Episcopum capite XV. ita scribit: *Qui alium ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.*

Ab Hilaro, qui Romana in Synodo, cui præfuit, sic decernit: *Nos qui potissimi Sacerdotis administramus officium, talium transgressionum culpa respiciet, si in causis Dei desides fuerimus inventi, quia meminimus, quod timere debemus, qualiter comminetur Dominus negligentiæ Sacerdotum: siquidem reatu majori delinquit, qui potiori honore perfruitur, & graviora facit vitia sublimitas personarum.*

A Felice III. dum in epistola ad Acacium Constantinopolitanum ita scribit: *Error cui non resistitur, approbatur; & veritas quæ minime defensatur, opprimitur.* Et paullo post: *Negligere quippe cum possis deturbare superbos, nihil aliud est quam fovere. Non caret scrupulo societatis occultæ, qui evidenter facinori desinit obviare.*

A Gregorio I. dum in libri VII. Indict. II. epistola VI. ad Eusebium Thessalonicensem Episcopum ita scribit: *Qui non corrigit resecandâ, committit.* Et in lib. IX. epistola LXIV. ad Brunichildam Reginam: *Non sunt dissimulanda quæ dicimus, quia qui emendare potest & negligit, participem se proculdubio delicti constituit.*

A Leone II. dum in epistola ad Episcopos Hispaniæ ita scribit: *Honorius flammam hæretici dogmatis, non vt decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem non extinxit, sed negligendo confovit.*

A Gregorio VII. dum in libri II. epistola V. ad plures Archiepiscopos & Episcopos ita scribit: *Vos, fratres, in culpa estis, quia dum perditissimis factis sacerdotali vigore non resistitis, proculdubio nequitiam consentiendo fovetis.* Iterum in libri III. epistola I. ad Episcopos, Abbates & Duces Romani Imperii: *Melius est nobis debitam mortem carnis per tyrannos, si oportuerit, subire, quam nostro silentio, timore vel commodo, Christianæ legis destructioni consentire; sanctos quippe Patres nostros dixisse scimus: Qui pravis hominibus sui consideratione officii non contradicit, consentit, & qui resecanda non aufert, committit.*

A Paschali II. dum in epistola, quæ est LXXIV. inter epistolas libri II. epistolarum sancti Anselmi: *Si vero nostro silentio pateremur Ecclesiam felle amaritudinis & impietate radicis pollui, qua ratione possemus apud internum judicem excusari, cum Dominus sub specie Sacerdotum dicat Prophetæ: Speculatorem te dedi domui Israel. Non bene custodit vrbem, qui in specula positus, dum non obsistit, eam hostibus diripiendam exponit.*

Pontifices, inquam, Siricius, Anastasius & Innocentius non obstiterunt Honorio & Theodosio: Gelasius, Anastasius II. Symmachus, Hormisda non obstiterunt Theodorico vel Cassiodoro, nec ob id in crimen, quod malorum fautoribus, Celestinus, Leo I. Hilarus, Felix, Gregorius I. Leo II. Gregorius VII. & Paschalis II. denunciant, incurrerunt. Intelligebant viri sapientissimi, & rerum Ecclesiasticarum peritissimi, Imperatores & Reges non alieno, sed proprio jure vsos esse: quod mox a Parisiensibus, Burdigalensibus, Remensibus,

Mussipontanis, Lovaniensibus, Duacensibus, Salmanticensibus, Complutensibus, Italis, & variarum e Societate JESV nationum Theologis, assertum & omni ex parte confirmatum vidimus.

Ad Theodoricum Italiæ Regem quod attinet, hic quamvis Arianus fuerit, jus tamen ob id suum in civilem Matrimonii contractum non perdidit, quia illud non sectæ, sed regiæ dignitati convenit. Et aliunde plurimum laudatur in annalibus Ecclesiæ, quod opera Cassiodori Regnum optime administraret, quod Catholicos bene haberet, quod Apostolicæ Sedis vindicem se præberet, & cuncta Ecclesiastice peragi vellet. De Theodorico sic loquitur Romana Synodus palmaris dicta, quæ in causa Symmachi Papæ celebrata est: *Sancta Synodus apud urbem Romam ex præcepto gloriosissimi Regis Theodorici ex diversis regionibus congregata, in Christi nomine dixit.* Infra: *Respondit præfatus Rex piissimus bonæ conversationis affectu.* Infra: *Symmachus de evocatione synodali clementissimo Regum gratias retulit.* Infra: *Ad hæc serenissimus Rex taliter, Deo aspirante, respondit.*

CAPUT XII.

Doctores quidam de jure Regum in sanciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus, quamvis obscure locuti, illud reipsa tamen non negarunt.

DE Doctoribus illis, qui sæculum quod excurrit, antecesserunt, sermo est. Nam recentiores sunt maxime tres, Basilius Pontius, Gaspar Hurtadus, Antoninus Diana, qui negarunt ullum esse in Principibus Christianis jus sanciendi impedimenta Matrimonium dirimentia. Quidquid ea super re scripserunt, in articulo 11. examinabimus, & favere magis Regibus quam nocere ostendemus. De Doctoribus illis hic loquimur, qui paulo sunt antiquiores. Capitis lemma non tam probabimus, quam probatum ab aliis, qui Principibus ablatam ab Ecclesia sanciendorum impedimentorum potestatem contendunt, demonstrabimus. E pluribus seligimus

duos, Ægidium Conink, & Petrum Cornejo, quorum primus negantem partem ita proponit disp. XXX. de impedimentis Matrimonii dubio I. *Dubitatur igitur, utrum Principes seculares habeant potestatem inducendi impedimenta Matrimonii. Quidam id absolute negant. Primo, quia Matrimonium est Sacramentum, circa quod seculares nihil possunt constituere. Secundo, quia cap. Tuam III. de ordine cognationum, dicitur, causas matrimoniales ad solum forum Ecclesiasticum pertinere. Ita Richardus in* IV. *dist.* XLII. *art.* II. *quæst.* II. *in corpore, & favent Paludanus ibidem quæst.* I. *art.* II. *conclus.* VII. *Sotus quæst.* II. *art.* II. *ad* II. sed hic alibi contrarium tenet. Deinde postea hæc ita solvit; *Nec refert quod Matrimonium sit Sacramentum, quia ideo non desinit esse vere contractus civilis, & hac ratione subditus potestati politicæ; quia etsi potestas politica directe nihil possit statuere circa Sacramenta, potest tamen indirecte impediendo valorem contractus, quem Matrimonium essentialiter involvit. Sicut etsi lex Ecclesiastica non possit directe impedire potestatem ordinis, potest tamen id facere indirecte, subtrahendo nimirum Sacerdoti jurisdictionem ad absolutionem necessariam. Immo nec potestas Ecclesiastica potest alia ratione irritare hoc Sacramentum, quam irritando indirecte contractum: & hinc patet solutio argumenti positi num.* II. *Ad secundum respondeo, illud solum probare conclusionem sequentem*, quæ dicit, Ecclesiam hanc potestatem Christianis Principibus circa Matrimonia fidelium ob Sacramenti dignitatem ademisse.

Secundus vero negantem partem ita quoque proponit tom. II. in III. part. tract. VI. disp. VII. dubio III. de impedimentis Matrimonii: *Oppositum hujus conclusionis* (quod Princeps ex natura potestatis suæ sancire impedimenta dirimentia queat) *videntur tenere D. Thomas hic quæst.* LVII. *art.* II. *ad* IV. *D. Bonaventura in* IV. *dist.* XLII. *art.* II. *quæst.* II. *Paludanus ibidem quæst.* II. *art.* II. *concl.* VII. *Major dist.* XXXIX. *quæst.* II. *conclus.* I. *& ex Iuristis plures, quos refert Sanches loco citato num.* I. *Fundamentum hujus sententiæ possunt esse duo. Primum est desumptum ex decisione Ecclesiæ. Nam in cap.* I. *de sponsalibus, quod est desumptum ex Concilio Triburiensi sub Bonifacio III. cap.* XXXIX. *ubi decernitur, Matrimonium cum alieni-*

alienigena contractum validum esse, etiamsi celebratum fuerit contra leges civiles suæ gentis & nationis. & in cap. Tuam, de ordine cognationum decernitur, causas matrimoniales non ad forum sæculare, sed ad Ecclesiasticum duntaxat pertinere. Secundum fundamentum sumi potest ex ratione, qua Matrimonium fidelium est Sacramentum & res quædam spiritalis: ergo extra omnem potestatem sæcularem. Et confirmatur, quia potestas sæcularis solum est circa ea quæ pertinent ad forum contentiosum externum, & non se extendit ad forum conscientiæ, quia hoc est Dei, ad quod pertinet Matrimonium. Confirmatur secundo, quia Matrimonium est pactum naturale obligans lege naturali: ergo non cadit sub potestate civili, sicut alii contractus civiles, emptionis & venditionis, & e contra. Confirmatur tertio, quia ad leges civiles solum pertinet præmiare bona, & punire mala; non vero ea quæ de se bona & licita sunt, sua prohibitione mala & illicita reddere: ergo si Matrimonium inter certas personas est natura sua licitum & validum, non poterit illud illicitum & invalidum reddere; sed solum poterit punire eos, quia Matrimonia de se illicita & invalida contraxerint. Et confirmatur ultimo, quia ex opposito oriri posset maxima perturbatio inter fideles. Nam si eisdem subditis posset ex una parte Rex, & ex alia Pontifex apponere impedimenta Matrimonii, in casu, quo contraria sub legibus præciperent, non esset certitudo, cui eorum parendum esset.

Hæc, inquam, ita proponit, quæ deinde ita solvit: *Sed his facile respondetur, & ad primum fundamentum solum probare, jam hodie non posse Principes Christianos condere leges, quibus apponant nova aliqua impedimenta Matrimonio, quæ ab Ecclesia imposita aut approbata non sint: quia hoc sibi reservavit Ecclesia, ut dicemus conclusione sequenti. Hoc tamen non tollit, quominus seclusa tali reservatione haberent Principes Christiani potestatem impedimenta apponendi.*

Ad secundum fundamentum respondeo, Matrimonium in quantum Sacramentum, non cadere directe sub potestate civili sæculari, sicut neque sub Ecclesiastica Pontificis; cadere tamen sub utraque, ut contractus humanus est: & hac ratione posse optime Principem sæcularem & Ecclesiam illud irritare, nisi sub certis conditionibus sibi placitis fiat æque bene ac si talis contractus Sacramentum non

esset. Constat autem, quod deficiente valida ratione contractus non potest fundare rationem Sacramenti.

Ad primam confirmationem respondetur, etiam Principes sæculares habere potestatem, quæ obliget in foro conscientiæ, cum potestas temporalis sit a Deo, non minus quam spiritualis, ex illo ad Rom. XIII. *Omnis potestas a Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Unde etiam alii contractus jure civili, vt emptio, donatio, & similes, obligant in foro conscientiæ.*

Ad secundam confirmationem dico, etiam alia pacta, vt donationes, promissiones, & reliquæ stipulationes esse jure naturæ valida & obligatoria: & nihilominus cadunt sub potestate civili.

Ad tertiam confirmationem negatur antecedens. Nam revera potest Princeps sua lege constituere aliqua in genere vitii aut virtutis, etiam ea quæ ex suo objecto indifferentia aut determinate bona erunt, quando ratione alicujus circumstantiæ id postulaverit expedire bono communi: alias potestas civilis esset insufficiens ad rempublicam gubernandam, & per hoc patet responsio ad alteram confirmationem.

Ex iis autem, quæ auctores hi duo disputant, apparet primum sanctum Thomam, Bonaventuram, Paludanum, Richardum, Majorem & Jurisconsultos, cum negant, sæculares Principes impedimenta Matrimonium dirimentia statuere posse, id nonnisi facta quadam suppositione negare, quod scilicet Ecclesia sanciendi impedimenta dirimentia potestatem sæcularibus Principibus abrogarit; non vero quod spectata rei natura sæculares Principes hanc potestatem non habuerint. Deinde Ecclesiam sæcularibus Principibus hanc eandem potestatem ademisse. Ex his duobus primum juris conditionem attinet, atque illud ipsum est, quod hoc capite quærimus: sæculares nimirum Principes spectata rei natura posse statuere impedimenta, quæ Matrimonium dirimant. Quo fit vt eam quam explicamus sententiam, alii, vt Conink & Sanches, fere communiter a Theologis defendi, & absque dubio tenendam esse dicant; alii vero, vt Sotus, ab iis Theologis, quos referunt Ægidius Conink & Petrus Cornejo, *non negari, licet non ita aperte asserant*, testentur. Et revera, si qui antiquiores Theologi negare videantur, non de ea secundum

se spectata loquuntur, sed prout hanc ab Ecclesia Principibus ablatam esse sibi persuadent. Secundum vero facti quæstionem attinet, in qua auctores illos errare ostendemus.

Theologis accensemus Jurisconsultos, de quibus sermonem habet Basilius Pontius lib. VI. de Matrimonio cap. II. *Huic*, inquit, *sententiæ* (quam scilicet defendimus) *subscripserunt non pauci, qui existimant non valere statutum civitatis, quod inter homines diversarum civitatum non contrahunt Matrimonium sub certa pœna, dummodo possint honeste contrahere inter homines suæ civitatis. quod docet Bartolus & Angelus, & alii quos pro hac parte refert Felinus in cap.* I. *de sponsalium num.* XX.

Jurisconsultos adderemus alios, & inprimis Franciscum Conanum lib. VIII. cap. V. de incœstis nuptiis, & Antonium Contium lib. de clandestino Matrimonio cap. II. & VII. nisi Petrus Montius vetaret, qui cap. XXXI. de abbreviatione legum asserit constare, *quod aliquoties secundum divinam & naturalem legem Juristæ aberrent.* At quæstionem nostram ad divinæ naturalisque legis amussim exigendam esse quis nescit?

CAPUT XIII.

Romanorum Pontificum de proposito themate, seu de regio in Matrimonium jure judicia recensentur.

COMMODUS heic visus est locus, in quo quid Romani Pontifices de regia seu civili in Matrimonium potestate senserint, ostendatur: tum ut quæ hactenus a Theologis diversarum Academiarum & nationum disputata sunt, ab hominibus minime suspectis confirmetur amplius: tum ut explicandis, quæ in aliis tractatus nostris partibus, occurrent, difficultatibus via quædam magnifica sternatur. Interim memoria recolendum est illa Romanorum Pontificum Theodosii utriusque & Arcadii, necnon Theodorici Regis Italiæ æqualium taciturnitas & silentium, quod sub finem capitis XI. pro-

posuimus, & in quo præsidium ingens constituimus. Nunc agitur de Romanis Pontificibus, qui non tacuerunt vt alii, sed locuti sunt.

Primus est Leo Magnus in epistola XCII. ad Rusticum Narbonensem cap. IV. *Non omnis mulier juncta viro, vxor est viri, quia nec omnis filius heres est patris. Nuptiarum autem fœdera, inter ingenuos sunt legitima & inter æquales, multo prius hoc ipsum Domino constituente, quam initium juris Romani existat. Itaque aliud est vxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud libera.* Dirimens impedimentum conditionis agnoscit Leo, non vt ab Ecclesia, sed ab Romano jure institutum. Cum ergo, inquit Ivo epistola XLII. *Qui non sunt hac lege conjuncti, non dicimus esse conjugium; sed veluti contubernium male conjunctorum dissolvimus.* Sed ante Ivonem Carolus Calvus in capitulis quæ in Pistensi Concilio edidit, Leonem tanquam juris sui vindicem & assertorem ita laudat in capite XXXI. *Si autem de istis partibus in illis partibus femina maritum, aut maritus feminam accepit, illud conjugium, quia non est legale, neque legitimum, sicut Leo in suis decretis, & sanctus Gregorius in epistolis monstrant, dissolvatur.* Quid est, quæso, conjugium legale & legitimum, nisi qui secundum leges est initum?

Alter Gelasius apud Gratianum XXVII. quæst. II. cap. XLIX. *Lex illa præteritorum Principum ibi raptum dixit esse commissum, vbi puella, de cujus ante nuptiis nihil actum tradit, videatur adducta.* Legem de raptu a Principibus tanquam a suis genuinis auctoribus profectam laudat Gelasius.

Tertius Gregorius Magnus lib. XII. epistola XXVII. ad Petrum Defensorem. *Petrus*, inquit, *quem Defensorem fecimus, quia de massa juris Ecclesiæ nostræ, quæ Vitelas dicitur, oriundus sit, experientiæ tuæ bene est cognitum. Et ideo, quia ita circa eum benigni debemus existere, vt tamen Ecclesiæ vtilitas non lædatur, hac tibi præceptione mandamus, vt eum districte debeas commonere, ne filios suos quolibet ingenio vel excusatione foris alicubi in conjugio sociare præsumat, sed in ea massa, cui lege & conditione ligati sunt, socientur. In qua re etiam & tuam omnino necesse est experientiam esse sollicitam, atque eos terrere, vt qualibet occasione de possessione, cui oriundo subjecti sunt, exire non debeant. Nam*

si quis eorum exinde, quod non credimus, exire præsumpserit, certum illi sit, quia noster consensus nunquam illi aderit, vt foris de massa, in qua nati sunt, aut habitare debeant aut sociari, sed & superscribi terram eorum: atque tunc sciatis, vos non leve periculum sustinere, si vobis negligentibus quisquam ipsorum quidquam de iis, quæ prohibemus, facile qualibet sorte tentaverit. Luculentius testimonium nullum est, quam quod hic Gregorius de temporali jure suo præbuit in impediendis dirigendisque beneficiariorum Matrimoniis. Neque vero tam ille vetat, ne Matrimonium, quo de agebatur, sine suo fiat assensu, quam quid sit juris domino in vasalli conjugium exponat.

Quartus Nicolaus I. consultus a Bulgaris, an coronæ gestationem, auream argenteamve ligaturam in nuptiis omittere tam grande nefas esset, quantum asserebant Græci, remoto prius ab eis hoc scrupulo, aliaque Romanorum perstricta consuetudine, cap. 111. respondit, sufficere *secundum leges eorum*, (vti legunt Bandinus, Lombardus & alii veteres) vel (vt legit Hildebertus Cenomanensis) *secundum leges solum eorum consensum, de quorum conjunctionibus ageretur.* Hoc loco ad civiles leges spectabat Pontifex, quas ab Imperatoribus de ritu nuptiarum latas esse noverat.

Porro ante Nicolaum hoc ipsum ex jure civili desumpserat Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Joannem cap. IV. *Non qui ex voluptate fit coitus, sed qui secundum legem est consensus, & quæ casto amore conjunctio existit, inculpatas nuptias efficiunt.*

Deinde in iisdem ad Bulgaros responsis cap. XXXIX. *De consanguinitate generationum exquiritis, vt quibus vtique feminis jungi debeatis, liquido cognoscatis. Verum quod leges hinc sanciunt, jam meminimus, memorare summatim operæpretium esse ducimus. Aiunt enim: Ergone omnes nobis vxores ducere licet? Nam quorumdam nuptiis abstinere debemus. Inter eas enim personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum vel nepotem, matrem & filium, aviam & nepotem, & vsque ad infinitum inter eas quoque personas, quæ ex transverso gradu cognationis junguntur, est quædam similis observatio, sed non tanta,*

Heic Pontifex ex jure civili multa desumit.

Quintus quidam Benedictus Papa in appendice Concilii Lateranensis III. tit. de sponsalibus cap. XXVIII. respondens huic Gradensis Patriarchæ Gaudentii consultationi: *Utrum soror illius, quæ Ioanni desponsata ante peractas nuptias obiit, illi eidem Ioanni nubere possit? Censura Apostolica mandamus, hoc absque criminis vitio posse fieri. Nam cur prohibeam, quod prohibitum numquam sacra Scriptura declaravit, sed neque mundanæ leges connumeratis personis, quibus inter se nuptias contrahere non licet, de hujusmodi aliquid dicunt negotio? Ne ergo abnegetis, quod nulla abnegandum ratione monstratis.* Pontifex innuit duo. Unum sæculares Principes legem, quæ ejusmodi nuptias prohiberet, non tulisse quidem, sed ferre potuisse. Alterum, se non posse vetare, quod sacra Scriptura non vetat? *Cur,* inquit, *prohibeam, quod sacra Scriptura nunquam prohibitum declaravit.* Hoc si semel concedatur, regia in Matrimonium potestas in tuto collocata est.

Sextus Alexander II. in epistola XXVIII. ad Constantinum Aretinum Episcopum. *Scripsisti*, inquit, *quendam Ecclesiæ suæ filium concubinæ suæ in quarta linea consanguineam, alterius scilicet desponsatam, pro conjuge duxisse. Iuraverat enim eam, ut asseris, in Matrimonium prius ducere sponsus.* Et paullo post: *Perjurio namque, quia quod observare legaliter non potuit, sine judicio parentum vel judicum temere jurare præsumpsit.* Verba hæc, *quod observare legaliter non potuit, legaliter*, id est, per civiles leges. Nam post pauca sacros canones alio quam ad Matrimonium refert. *Nosti*, ait, *quid sacri canones super hujuscemodi hominem decreverunt, videlicet si laicus, ut non promoveatur ad clerum; si clericus, ulterius non ascendat.*

Deinde in epistola XXXVIII. ad Episcopos, Clericos & Judices Italiæ. *Ad sedem*, inquit, *Apostolicam perlata est quæstio noviter exorta de gradibus consanguinitatis, quam quidam legum & canonum imperiti excitantes, eosdem propinquitatis gradus contra sacros canones & Ecclesiasticum morem numerare nituntur, novo & inaudito errore affirmantes, quod germani fratres, vel sorores inter se sint in secunda generatione, filii eorum & filiæ in quarta, nepotes vel neptes eorum in sexta. Tali namque modo pro-*

geniem computantes, & in hujuſmodi ſexto eam gradu terminantes, dicunt, deinceps viros ac mulieres inter ſe poſſe nuptialia jura contrahere: & ad ejuſmodum profanum errorem confirmandum in argumentum aſſumunt ſæculares leges, quas Iuſtinianus Imperator promulgavit de ſucceſſionibus conſanguineorum. Quibus confiſi oſtendere moliuntur, fratres in ſecundo gradu eſſe numeratos, filios eorum in quarto, nepotes in ſexto; ſic ſeriem genealogiæ terminantes, numerationem ſanctorum Patrum & antiquam Eccleſiæ computationem ad nos vſque perductam perverſa quadam calliditate diſturbare nituntur. Nos vero, Deo annuente, hanc quæſtionem diſcutere curavimus, in Synodo habita in Lateranenſi conſiſtorio, convocatis ad hoc opus Epiſcopis & Clericis atque Iudicibus diverſarum provinciarum. Denique diu ventilatis legibus, & ſacris canonibus diſtincte invenimus ob aliam cauſam, alteram legum fieri, alteram canonum computationem. In legibus ſiquidem ob nihil aliud ipſorum graduum mentio facta eſt, niſi vt hereditas vel ſucceſſio ab vna ad alteram perſonam inter conſanguineos deferatur; in canonibus vero ob hoc progenies computatur, vt aperte monſtretur vſque ad quotam generationem a conſanguineis ſit nuptiis abſtinendum. Ibi præſcribitur vt hereditas propinquis modo legitimo conferatur; ſic vero vt recte & canonice inter fideles nuptiæ celebrentur. Et quibuſdam interpoſitis: *Hanc computationem intelligens prudentiſſimus Papa Gregorius, dum quæreretur in quota generatione conjungi fideles debeant, ipſas ſæculares leges in teſtimonium adducens, Auguſtino Anglorum Epiſcopo ſic reſcripſit: [Quædam terrena lex in Romana Republica permittit, vt ſive fratris & ſororis, ſive duorum fratrum, ſive duorum germanorum, ſeu duarum ſororum filius & filia miſceantur; ſed experimento didicimus ex tali conjugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere. Unde neceſſe eſt vt jam in tertia vel in quarta generatione copulatio fidelium licenter ſibi conjungi debeat. Nam a ſecunda, quam prædiximus, omnimodo debent abſtinere.] Ecce hic aperte monſtratur filios & filias fratrum in ſecunda generatione numerari, & ſi fratrum filii & filiæ numerantur in ſecunda, fieri non poteſt, vt ipſi fratres non ſint in prima. Quod ſi fratres computantur in prima, filii eorum in ſecunda, dubium non eſt, quin eorum nepotes ſint in tertia, pronepotes in quarta, & ſic de reliquis vſque ad ſeptimam. Sed ſunt quidam,*

qui ex his Gregorii verbis, quibus ait, vt in tertia, vel quarta generatione copulentur fideles, occasionem accipiunt illicita Matrimonia contrahendi, dicentes se hic juste posse facere, quod prudentissimus Doctor sua sententia diffinivit. Isti itaque qui se hoc velamento defendere nituntur, advertant in ejusdem Patris sententiis hoc non generaliter cunctis, sed specialiter Anglorum genti mandasse. Nam postmodum a Felice Messanæ Siciliæ Præsule requisitus an hoc quod Augustino mandaverat, generaliter cunctæ Ecclesiæ tenendum esset, apertissime firmavit, non aliis hoc quam illi genti mandasse, ne bonum quod cœperunt, metuendo austeriora desererent; sed & illis postquam in fide essent firma radice solidati, & vniversali Ecclesiæ, censuit semper esse tenendum, vt nullam de propria consanguinitate vel affinitate infra septimam generationem aliquis sibi audeat conjugio copulare. Ecce aperte monstratum est, & ex verbis ipsius legis & auctoritate prudentissimi Papæ Gregorii, quod de gradibus consanguinitatis numerandis sentire debeamus.

Et primo quidem Alexander leges Imperatorum agnoscit in iis, quæ ad consanguineorum nuptias spectant. Noverat Theodosium seniorem consobrinorum nuptias vetuisse, tanquam sororum, vt ait Aurelius Sextus Victor. Deinde hereditas non potest propinquis legitimo modo conferri, nisi nuptiæ sint legitimæ, id est, secundum leges celebratæ. Tum in sacris canonibus decernitur, quomodo nuptiæ seu Matrimonium quatenus Sacramentum est, inter fideles celebretur.

Ceterum Alexander II. sequitur Gregorium I. qui ad computandos generationis vel consanguinitatis gradus sæculares leges adhibuit.

Septimus Callistus II. seu potius Concilium Lateranense I. can. V. *Conjunctiones consanguineorum fieri prohibemus, quoniam has & divinæ & sæculi prohibent leges.* Concilium verba hæc accepit ex Callisti I. epistola II. vbi canonis ratio redditur. *Leges*, inquit, *divinæ hoc agentes, & eos qui ex his prodeunt, non solum ejiciunt, sed & maledictos appellant. Leges ergo sæculi infames tales vocant, & ab hereditate repellunt. Nos vero sequentes patres nostros & eorum vestigiis inhærentes, infamia eos notamus, & infames esse censemus, quia infamiæ maculis sunt asper-*

si,

sis nec eos viros, nec accusationes eorum, quæ leges sæculi rejiciunt, suscipere debemus. Quis enim dubitat leges humanas rationi & honestati non repugnantes esse amplectendas, præsertim ubi publicæ consulunt honestati, vel Ecclesiasticæ dignitatis auctoritatem defendunt, ac pro adminiculo tuentur.

Eos autem consanguineos dicimus, quos divinæ & Imperatorum ac Romanorum atque Græcorum leges consanguineos appellant, & in hereditatem suscipiunt, nec repellere possunt. Talium enim conjunctiones nec legitimæ sunt, nec manere possunt; sed sunt repellendæ.

Hic notanda mihi tria videntur. Primum, quod epistola hæc Callisto I. subjecta est, idque sola demonstrat lectio. Nam auctor ad annum CCXXIV. de Gallicanæ Ecclesiæ statu & rebus perinde scribit ac scripsisset, quo tempore Gregorius Magnus Romanæ Ecclesiæ præsedit, non quo tempore Callistus I. eidem præsedit. Tunc enim non erant tot Episcopi per Gallias constituti, quot sibi sumit in epistolæ titulo: *Dilectissimis fratribus per Gallias constitutis universis Episcopis.* Tunc non erant conspirationes illæ contra Episcopos, vt fingit: *Conspirationum enim crimina vestris in partibus vigere audivimus, & plebes contra Episcopos suos conspirare, nobis manifestatum est.* Et paullo post: *Antecessores vero nostri cum plurima turba Episcoporum, quicunque eorum in sacerdotali honore sunt positi, aut existunt clerici, honore quo vtuntur, cadere preceperunt: ceteros vero communione privari, & ab Ecclesia extorres fieri jusserunt, omnesque simul vtriusque ordinis viros infames esse censuerunt.* Qui hæc omnia sub Callisti nomine memoriæ mandarit, illum Ecclesiasticarum rerum ignoratione summa laborasse oportuit. Pauci erant Episcopi per Gallias constituti, plebium contra Episcopos conspirationes nullæ. Christiana Religio Imperatorum vexationes patiebatur innumeras, & Callistus ipse diuturno carcere detentus post longam famem, & quotidiana verbera, e fenestra domus in qua custodiebatur, in puteum præcipitatus martyrii coronam adeptus est. Quocirca non est mirum, si qui decretum Gratiani Romæ emendaverint, Pontificis hujus epistolas rejecerint, vt Antonius Augustinus in lib. II. dial. IV. de emendatione Gratiani testatur.

Deinde quod epistolæ suppostor, quid ætate sua de latis ab Imperaroribus circa Matrimonium, & consanguinitatis impedimentum legibus sentiebatur in Ecclesia Dei, significat, cum quidquid id est, ad Callisti ætatem revocandum esse censuit, ratus hoc a nemine deprehensum iri.

Denique quod Callistus II. & Lateranense Concilium, pro vniversali habitum a pluribus, epistolæ fragmentum approbarunt, & ex eo canonem confecerunt, nec in eo præjudicium vllum Ecclesiæ fieri judicarunt: ex quo fit, vt Callisti & Lateranensis Concilii fides & auctoritas tota quanta est, in regii circa connubiales leges juris defensionem & confirmationem non possit non oppignerari.

Octavus Clemens III. lib. IV. decretalium tit. XIV. cap. III. sic de legibus Principum sentit: *Quod parentes, fratres, & cognati vtriusque sexus in testificatione suorum in Matrimonium conjungendum vel dirimendum admittantur, tam antiqua consuetudine, quam legibus approbatur. Ideo enim maxime parentes, etsi defuerint parentes proximiores, admittuntur; quoniam vnusquisque suam genealogiam cum testibus & chartis, tum ex recitatione majorum scire laborat: qui enim melius recipi debent, quam illi, qui melius sciunt, & quorum est interesse, ita vt si non interfuerint, & consensum non adhibuerint, secundum leges nullum fiat Matrimonium?* Clemens ergo in civilibus legibus vim dirimendi Matrimonium agnoscit, nec in Regum institutis, in quibus hodie quidam hæsitant, cunctatur.

Nonus Innocentius III. in cap. *Venerabilem: Insuper cum Rex* (Galliæ) *superiorem in temporalibus minime recognoscat, sine alterius juris læsione in eo jurisdictioni nostra sese subjicere potuit, in quo videretur aliquibus, quod per seipsum, non tanquam pater cum filiis, sed tanquam Princeps cum subditis potuit dispensare.* Rex Galliæ nothos suos non qua pater, sed qua Princeps natalibus restituit. Major enim potestas est Regis in filios, qua Princeps est, quam qua pater: siquidem patris conditio eo non pertingit, vt legem ferat; sed Regis conditio id sine dubio præstat.

Decimus Clemens IV. in epistola, quam pro felici regimine Regni transmisit ad Carolum Provinciæ Comitem, &

postea Siciliæ Regem: *Cum Matrimonia libera esse debeant, filias militum, qui nec sunt Comites, nec Barones, nec castrorum fortium possessores, similiter & Burgensium, aut aliarum privatarum personarum a parentibus superstitibus libere nuptui tradi finas, parente vel parentibus sublatis de medio nubunt, libere suo motu vel suorum consilio amicorum. Sed & de filiabus Comitum & Baronum viventium sustinere debes, quod eas cum pecunia tradant nuptui, quibus voluerint, qui tibi non debeant esse suspecti: si vero cum terris eas maritare voluerint, decens est, vt tuus requiratur assensus, quem negare non debes, nisi personæ suspicio contrarium suadeat evidenter. Orphanæ autem filiæ Comitum & Baronum cum amicorum suorum consilio & tuæ majestatis assensu: sic tamen quod hac occasione non cogas eas hominibus nubere, quibus eas non deceat copulari.* Commonitorio pio declarat Pontifex quid sit juris penes Reges in Comitum & Baronum Matrimonia, & hæc quando, & qua ratione ab Regum voluntate pendeant.

Undecimus Hadrianus VI. factus Pontifex, quod olim de regio seu civili in Matrimonium jure Lovanii in Academia celebri docuerat, retinuit, non mutavit in Romana editione. Res se habet in disputatione de Matrimonii Sacramento. *Non est*, inquit, *absurdum per accidens mutari posse. Sicut statutum potest facere, quod non valet alienatio facta per hominem de rebus suis, vt puta ab homine interdicto bonis, quia prodigus, vel etiam a furioso, vel minorenne quindecim annis: ita potest facere, quod non valet alienatio de seipso. Nam sicut servus non potest dare id quod habet, nec seipsum dare, vel vendere sine Domini voluntate: sic homo, qui est membrum communitatis, contra rectam ordinationem rectorum vniversitatis non potest se dare in vasallum vel servum, nec per consequens in maritum.* Sic Theologus insignis & Pontifex philosophatur, vt eum philosophari decuit.

Hæc habui quæ de regio in Matrimonium & illius impedimenta jure per Romanos Pontifices vndecim, Leonem I. Gelasium I. Gregorium I. Nicolaum I. Benedictum in appendice Lateranensis Concilii, cui Alexander III. præfuit, Callistum II. Clementem III. Innocentium III. Clementem IV. & Hadrianum VI. & per Lateranense illud Concilium, cui Callistus II. præfuit, differerem, & Romanæ Ecclesiæ

traditionem exponerem. Reliquum est modo, vt observationes aliquot subnectam.

Prima est, ab Ivone Carnotensi recte dictum esse, *instituta legum novellarum ab Ecclesia Romana servari atque commendari.*

Secunda, Romanos Pontifices ita tractasse de Matrimonio & ejus impedimentis, vt tractatui suo rationem Sacramenti non immiscuerint. Intelligebant viri prudentes Sacramenti rationem illam Matrimonio cum superveniat, posteriorem esse, & prius a posteriori non pendere. Cum illis Pontificibus commercii nihil aut parum habent causidici quidam, qui agere non possunt de Matrimonio seu nuptiis, sola actionis suæ materia, quin Sacramentum alienam ab iis materiam toties nominent, quoties Matrimonium vel contractum Matrimonii nominare oportet: adeo difficile est vnumquemque semper ὀρθολογεῖν, & suis se finibus continere; sed illæ sunt ad populum phaleræ. Dum enim Sacramentum nominant, cum Matrimonium aut contractum Matrimonii nominare debent, se quid causæ maxime serviens ac decretorium dixisse arbitrantur.

Tertia, cum relati Pontifices tacito nec expresso Sacramenti nomine de Matrimonio & de conditis ad contrahendum rite Matrimonium legibus loquuntur, eos quæ tacenda sunt & dicenda novisse; non vero quod Sacramentum non esse crederent. Leo I. & Innocentius III. Matrimonium & in veteri fuisse, & in nova lege Sacramentum esse scribunt. Hic in libri II. epistola CCXIX. vbi de divortio inter Mariam Aragoniæ Reginam, & Petrum Aragoniæ Regem scribit. Ille in epistola XCII. ad Rusticum Narbonensem Episcopum.

Quarta & vltima, Regum & rerumpublicarum in Matrimonii contractum, & in ea quæ contractum præcedunt impedimenta, potestatem ita certam esse, vt qui contra eam dicerent, contra Romanæ Ecclesiæ traditionem dixisse censendi sint. Id confirmatur ex eo quod Scripturæ testimonia, *Quodcunque ligaveris, Tu es Petrus & super hanc petram, Pasce oves meas,* & *Oravi pro te;* intellecta quemadmodum Tridentina Synodus in sessione IV. & fidei professio intelligi jubent, jus statuendi leges quibus ineatur vel non ineatur Ma-

trimonium, non importent. Hac interpretandarum Scripturarum regula stante, ex ea parte jus stabit regium, & intactum remanebit; sed vt caderet, quis nisi Tridentinæ Synodi & professionis fidei hostis juratissimus tentaret?

CAPUT XIV.

Africanorum Præsulum de regia in Matrimonium potestate judicium exponitur.

QUID Africani Patres, quos inter beatus eminet Augustinus, & doctrinæ principatum tenet, de regia in Matrimonium potestate sentiant, in codice canonum Ecclesiæ suæ luculenter declararunt. Adscribo verba canonis CII, *Placuit, vt secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam neque dimissus ab vxore, neque dimissa a marito alteri conjungatur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur: in qua causa legem imperialem petendam promulgari.* Hic autem canon seu placitum paucis multa complectitur.

I. Africani Patres non aliud agnoscunt, quod juris sui sit, canonis seu placiti præsidium, excepta pœnitentia, ad quam qui contravenerint eos redigi volunt.

II. Africani Patres cum perspiciunt ad exequendum omnino canonem, seu placitum suum indicendæ pœnitentiæ minas non sufficere, non decernunt negotium istud tam grave ad Episcoporum Synodum majorem, vel ad Sedem Apostolicam remittendum esse, vt canon seu placitum præsidio validiori atque efficaciori communiretur.

III. Africani Patres considerata re non decreverunt, quod fuisse decernendum proposuimus. Hinc efficitur, vt verisimiliter credi possit illos esse persuasos, nec ab Episcoporum Synodo majori, nec a Sede Apostolica vltra pœnitentiæ impositionem procedi posse.

IV. Africani Patres evolutis Scripturis, replicatis Ecclesiæ

annalibus, & perpensa traditione vniversa, quæ ab Apostolorum ætate vsque ad suam decurrerit, non invenerunt se id posse facere, quod ab Imperatore faciendum esse censent.

v. Africanorum Patrum illa persuasio & diligentia, quam attestamur, ex illorum opere confirmatur. Ad Imperatorem confugiunt, & ab eo petendum esse judicant, vt quod ipsi facere nequeunt, faciat; nempe legem ferat, qua vetetur, ne dimissus ab vxore, nec dimissa a marito conjungatur alteri; sed ita permaneant, aut sibimet reconcilientur. Tunc Imperator severiorem pœnitentia pœnam exilii vel deportationis aut mortis pro sua prudentia decrevisset.

vi. Africani Patres cum talem in Imperatore potestatem agnoscunt, eam non possunt in eodem Imperatore potestatem non agnoscere, qua per leges suas Matrimonii contractum dirigat & moderetur. Hoc autem tandiu verum erit dicere, quandiu valebit apud homines ratione præditos a majori ad minus argumentatio. Ab Imperatore eam de Matrimonio condi legem, quam Africani Patres postulant, majus esse quam eam condi legem, qua rite ineatur, vel non rite ineatur contractus Matrimonii, quis vera cum ratione dubitet? Lex prior Matrimonium, quod jam Sacramentum est, omnino supponit; posterior non supponit. Sacramenti dignitas Matrimonii contractum subsequitur, non antecedit. Lex prior celebratum juxta Evangelicam & Apostolicam disciplinam Matrimonium confirmat. Lex posterior versatur duntaxat circa personas, quæ ad celebrandum Matrimonium inhabiles vel habiles redduntur: quod omnibus civilis reipublicæ contractibus commune est. Sic lex prior majoris est ponderis, & ad supernaturalem finem propius accedens; lex posterior minoris, nec vltra naturalem finem ex se protenditur. Lex prior cum Africanorum Patrum judicio Imperatoris potestati subjaceat, lex posterior multo magis subjacebit. Qui dissentiat, mente captus sit oportet.

vii. Africani Patres in alia educati sunt schola, quam qui relati sunt in capite x. Theologi. Non enim ratiocinantur hoc modo: Imperator legem circa indissolubilem viri & vxoris societatem potest condere; ergo id multo magis licebit

Ecclesiæ, seu potius Sacerdotum consessui. Non ita ratiocinantur Africani Patres. Noverant, & cum primis Augustinus, dialecticæ peritissimus, hunc ratiocinandi modum non semper quadrare, & vitio inconsequentiæ plerumque sordescere. Quod & facto suo confirmarunt. Nam quæ illis præter pœnitentiam lex visa est necessaria, hanc non tulerunt, sed ab Imperatore ferendam esse censuerunt.

Caput XV.

Tridentinæ Synodi de regia in Matrimonium potestate judicium exponitur.

Quid Tridentina Synodus de hoc jure senserit, aperte colligitur ex iis, quæ de clandestinis conjugiis & eorum abusibus disputata sunt in sessione XXIV. Cum ibi variæ a variis Doctoribus quærerentur rationes, quibus haud mutata Sacramenti natura, clandestinum Matrimonium posse irritum fieri, declararetur: ecce Camillus Campegius Dominicanus eam invenit & proposuit, quæ pluribus arrisit; non mutari videlicet Sacramentum, etiamsi quis efficiat, vt quod Sacramenti materia est, desinat Sacramenti materia esse. Qui autem civilem Matrimonii contractum sustulerit, personas ad contrahendum reddens inhabiles, continuo effecturum dixit, vt Matrimonii contractus non possit amplius Sacramenti superesse materia. Non secus ac si quis efficeret, vt qui liquor vera est aqua, aqua esse desinat, non mutaturum esse dicit Sacramenti baptismi materiam, sed effecturum dumtaxat, vt, quæ nunc aqua ad baptismum sufficit, ad eundem postea non sufficiat. Camillo Campegio, cui difficultates omnes facile solventi applaudebatur a quamplurimis, Antonius Solisius reclamavit: non quod, inquiens, Campegii vera non esset speculatio, sed quod eam ad institutum applicari non conveniret, quia ejusmodi contractus Matrimonii sic irritos & nullos facere, ad sæculares Magistratus pertineret. Quare,

inquiebat, cavendum erat diligentissime, ne dum Ecclesiæ clandestina Matrimonia rescindendi auctoritatem vellent concedere, eam potius sæculari potestati permitterent & asserent. Hæc in Tridentini Concilii historia; sed quid inde factum est? Inventus a Campegio rescindendi clandestini conjugii modus Tridentinis Patribus omnino placuit, insuperhabitis quæ Solisius contra Campegianæ speculationis vsum disseruerat. Synodi verba adscribo e sessione XXIV. cap. I. de reformatione Matrimonii: *Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.*

I. Tridentini Patres non minus cordati atque eruditi quam Africani, malo, quod ex clandestinis oriebatur conjugiis, occurrere, & remedium efficax adhibere voluerunt. Ut Africani Patres ad Imperatorem confugiunt pro lege ab eo promulganda, quæ vetet, ne dimissus ab vxore, vel dimissa a marito conjungatur alteri: sic & Tridentini Patres Africanos nonnihil imitari videntur. Dico nonnihil, quia revera necesse non erat, vt confugerent ad Imperatorem & alios supremos Principes pro lege ab iis promulganda, quæ personas ad contrahendum inhabiles redderet. Quid ita? Inprimis necesse non erat vt Romanus Pontifex aut illius legati ad Imperatorem propter id confugerent, vt ex Innocentio III. in cap. *Per venerabilem*, *qui sint legitimi filii* discimus. Sic enim ibi scribit: *Id autem* (restitutionem natalium circa sæculares actus) *in patrimonio beati Petri libere potest Apostolica Sedes efficere, in quo & summi Pontificis auctoritatem exercet, & summi Principis exequitur potestatem.* Et paullo post: *Super Ecclesiæ patrimonio plenam in temporalibus gerimus potestatem.* Sic Romanus Pontifex pro iis locis, quia summi Principis potestatem exequitur, potuit per legatos personas ad civilem Matrimonii contractum celebrandum inhabiles facere, & contractum illum irritum & nullum declarare.

Deinde si qui alii Præsules Tridentino interfuerunt Concilio, & plenam in temporalibus auctoritatem habuerunt: ii poterant

terant quoque personas subditorum ad contrahendum inhabiles reddere, & contractus in irritum mittere: quia non alieno, sed suo jure fuissent vsi. At quia Tridentina Synodus seu Tridentini Patres non eo vniversim jure vti poterant, quo Sedes Apostolica in beati Petri patrimonio, & quidam alii fortassis Præsules in terris suis vtebantur: necesse fuit, vt Imperatoris & Regum jure vterentur, vt quam hic legem tulerunt, ferre possent; cum sane nihil sit sæculi Principibus magis obnoxium, quam personas ad civilem Matrimonii contractum inhabiles reddere, si res ex objecto, fine & circunstantiis spectetur, vt spectari penitus debet: ex his enim tribus æstimanda est natura & conditio legis quæ fertur, non ab iis præcise qui legem ferunt. Nam si Sacerdotum consessus legem conderet in civili materia, lex illa per se civilis esset, non spiritualis, nec per se supernaturalem ad finem tenderet: hoc dialecticæ & Philosophiæ tyrones non ignorant. Id invita Minerva pervidit, qui pervidere noluisset Solisius, cum non tam publicis quam privatis Tridentinæ Synodi opportunitatibus vel maxime servire concupiverit; sed auditus non est, cum ad vitanda clandestini connubii mala, nullum aliud quam personas ad contrahendum inhabiles facere, inveniri remedium potuit efficacius ac præsentius. Utinam auctor ille Africanum legisset canonem, & suis expendisset momentis! tunc, opinor, dedignatus non esset Africanorum Patrum candorem & prudentiam æmulari, exemplumque simile Tridentinis Patribus palam suggerere. Tridentini Patres, ni fallor, Africanorum Patrum factum haud ignorarunt; sed illud alio tractandi modo sibi proposuerunt ad imitandum.

111. Cum Tridentini Patres jure Principum sic vniversim vsos esse dico, id consentientibus supremis rerum dominis, qui per legatos interfuerunt Synodo, gestum esse intelligo. Qui enim Principes non consenserunt, vt Rex Galliæ, illis ad vitanda clandestini conjugii mala liberum fuit lege lata subditos suos ad sic contrahendum inhabiles facere, quemadmodum Henricus III. & celebrata Blesis Regni comitia fecerunt.

IV. Qui Tridentinos Patres vniversim jure proprio, non alieno vsos esse contenderet, Africanos statim experiretur adversarios, & vtrosque inter se acerrime commissos exhiberet; & sic res esset, cui nunquam adscriberetur bonum factum. Nam Africani non crediderunt se id posse facere, quod ab Imperatore fieri petierunt: & tamen lex, quam ab Imperatore promulgari petebant, non erat magis politica & civilis ea, quæ personas ad contrahendum inhabiles reddit.

Deinde cogeretur tantorum Antistitum, quanti erant Africani, & cum primis Augustini æquabilitatem & prudentiam sugillare, quasi in detrimentum Ecclesiæ eo non essent vsi jure quod haberent.

Tum cogeretur in se recipere, Tridentinos Patres non modo summorum Sacerdotum exercuisse auctoritatem, sed etiam summorum Principum executos esse potestatem: quo certe in casu non alieno, sed proprio jure legem, quæ pura pura civilis est, vt mox probavimus, & ex testimoniis & rationibus innumerabilium Theologorum evidenter colligitur, tulissent. Sed quis, quæso, lemma illud duobus veræ Theologiæ principiis Scripturarum auctoritate, & Catholicæ Ecclesiæ traditione asserturus est vnquam: asserendum tamen est, vt vere affirmateque dicatur, Tridentinam Synodum seu Tridentinos Patres jure suo, non alieno edidisse decretum, qua personæ ad contrahendum inhabiles redduntur, & quo contractus nulli & irriti declarentur. Potestas spiritualis, & quæ supernaturalem ad finem per se tendit, instituta non est, vt civiles & politicas leges ferat: si recens inventa & excogitata indirecta in Regum & Principum temporalia potestas admitteretur; frustra prorsus admitteretur. Nam potestas ista a suis inventa & excogitata non est auctoribus, vt per eam civiles ferantur leges; (quæ ab ordinaria & directa potestate ferri debent) sed vt per eam a Principibus admota salutis obstacula, quæ illi suppliciter rogati removere nollent, Sacerdotes summi removerent.

V. Quæ hactenus animadvertimus & disseruimus, eo spectant, vt appareat Tridentinos Patres, cum ediderunt decretum illud quale repræsentavimus, regiam in Matrimonium

potestatem sincere, prout decet, agnovisse: quam ne agnoscerent, Solisius dissertatione longa, sed inutili, dehortatus est. Dicenda sunt cum veritate, quæ veritas ipsa gessit. Præterea vt pax & concordia Regnum inter & Sacerdotium magis magisque firmaretur, asserendo Regibus quæ sunt Regum, & Sacerdotibus quæ sunt Sacerdotum: scilicet vt ea pax & concordia in sæculis posterioribus persisteret, quæ in prioribus inconcussa stetit & claruit.

CAPUT XVI.

Circa privatum hominem potest impedimentum dirimens Matrimonium a Principibus laicis justa de causa constitui.

OCCASIONEM capitis hujus dederunt nonnulli minus sapientes, qui licet circa politicam congregationem apponi posse impedimenta Matrimonii consentiant, eadem tamen circa privatum seu singularem hominem apponi posse eunt inficias; sed meo judicio disputant inconsequenter, aut de nomine dumtaxat lis erit. Eadem quippe est vtriusque ratio, cum nequis privatus homo vel non absolutus Princeps hoc aut illud Matrimonium ineat, prohibendi justa causa subsit, cujusmodi esset magna inter contrahentes dissimilitudo, vel ingentium discordiarum periculum, aut gravis in republica perturbatio quæ timeretur.

Deinde quæ esset potior ratio omnium ex Regno, quam alicujus privatæ personæ, quæ si forte Princeps esset, ob initum cum hostibus Regni conjugium, plures in Regno quam homines alii sexcenti turbas excitare posset.

Tum si potest justa ex causa supremus Princeps irritum efficere conjugium inter duo privatarum personarum genera, nimirum inter consanguineos, vti fecit Theodosius senior: cur non idem posset inter duas nominatim personas, causa legitima si subsistat?

Ceterum quamvis Principis constitutio, qua hæc vel illa persona ad contrahendum fiet inhabilis, dici lex nequeat, quia circa communitatem non versabitur, præceptum tamen seu mandatum nominabitur, & effectum eundem sortietur.

In Remensi Concilio, cui Leo IX. & Henricus I. Rex Galliæ interfuerunt, Comiti Balduino Flandrensi prohibitum est ne filiam Guillelmo Northanno nuptui daret, & huic ne eandem acciperet; & quia Rex præsens consensit, nihil juri illius derogatum est: deinde Matrimonium istud Sacerdotii minime referebat, sed Regni.

Urbanus V. ad contrahendum Matrimonium inhabilem reddidit Bernabonem Mediolani Vice-Comitem, qui res Imperii & Ecclesiæ turbaverat; idque quomodo factum sit, declarat Ivo, cum ait, *Instituta novellarum legum ab Romana Ecclesia servari atque commendari.*

Ivonem sequitur Honorius II. cum in appendice Lateranensis Concilii parte XXIII. de juramento calumniæ cap. I. convenienter instituto nostro sic philosophatur: *Cum Imperator Iustinianus decreverit, ut canones Patrum vim legum habere oporteat, & in nonnullis canonibus reperiatur, ut jurare Clerici omnino non audeant: dignum est ut totus clericalis ordo a præstando juramento immunis esse proculdubio censeatur. Preterea statuti principalis tenor penes nos talis esse dignoscitur. Nos itaque utriusque legis divinæ & humanæ intentione servata decernimus, & imperiali auctoritate irrefragabiliter definimus, ut non Episcopus, non Presbyter, non cujuslibet ordinis Clericus, non Abbas, non Monachus, non Sanctimonialis in quacunque causa vel controversia sive criminali, sive civili jusjurandum compellatur qualibet ratione subire.* Nihil ergo prohibet quominus Pontifex imperiali auctoritate quamlibet non expressa, qua personæ ad contrahendum inhabiles reddantur, usus, id erga Bernabonem fecerit, quod eum fecisse literis proditum est.

Urbanum secutus Paulus IV. anno MDLVI. IV. Nonas Januarii monitorio quodam denuntiavit Joannæ Arragoniæ uxori Ascanii Columnæ, ne ullam e filiabus in Matrimonium collocaret sine licentia sua: quod si secus faceret, conjugium, tametsi consummaretur, irritum foret. Hoc ita peractum fuisse

in Tridentino Concilio retulit Cassadorus Barcinonensium Episcopus. Dicimus quid amplius: sæcularis Princeps aliquem posset perpetuo inhabilem reddere. Qui enim in gravissimi sceleris pœnam vita privare potest, cur non posset concessa vita in pœnam mitiorem quempiam connubiali jure privare?

Qui vero assertioni nostræ repugnant, hoc vnicum opponunt. Juris civilis determinatio circa privatum hominem nominatim esse nequit, cum juris naturalis conditionem sequi debeat. At jus naturale neminem speciatim, sed omnes ex æquo respicit. Respondemus argumentum hoc ex ignorantia interjecti civile jus inter & naturale discriminis procedere. Jus enim civile vel eo maxime inductum est, vt quod in omnibus elucet jus naturale, certis quibusdam limitibus, prout rationi congruit, definiat. Qui hoc in singularum regionum & Imperiorum moribus non deprehenderit, in orbe terrarum peregrinus sit necesse est. Differentem hac de re beatum audiamus Augustinum tractatu VI. in Joannem. *Vnde*, inquit, *quisque possidet quod possidet? nonne jure humano? Nam jure divino Domini est terra & plenitudo ejus; jure tamen humano dicitur: Hæc villa mea est, hæc domus mea est, hic servus meus est.* Ex his igitur apparet perspicue, & quomodo jus civile imitetur conditionem naturalis, & quomodo juris naturalis a civili determinatio proficiscatur.



ARTICULUS II.

Ecclesia sæculares Principes jure statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia non spoliavit hactenus, aut illud jus sibi reservavit.

CAPUT I.

Præjudicia seu præmunitiones septem exponuntur.

PRÆMVNITIO PRIMA.

HEIC vtor Ecclesiæ nomine, quo vtuntur auctores quos examinaturi sumus; sed in illius vsu detegenda est amphibologia. Hac in quæstione intelligi non debet Ecclesia, quæ Patribus, Conciliis, Romanis Pontificibus & Theologis dicitur fidelium seu Catholicorum congregatio. Nam Ecclesia hæc de abrogando illo Principibus jure cogitationem nusquam suscepit, cum in ea fideles & Catholici comprehenduntur Principes, quos suo se jure abdicasse, vel etiam in successorum detrimentum abdicare posse, quis vera cum ratione affirmaret?

Deinde vniversale intelligi non debet Concilium, quod Ecclesiam, seu fidelium, aut Catholicorum congregationem referat. Nam tale nullum extat Concilium, quod Principes jure statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia conciliariter, vt loquuntur, id est, quod habitis vltro citroque, prout res postulat, disputationibus, & auditis Regibus, prout audiri debuerint, privaverit. Quinetiam in superioris articuli capite XIII. vniversale fuit Concilium quod jus Principum confirmarit.

Denique superest vt Ecclesiæ nomine Romanus intelliga-

tur Pontifex, quem nonnulli sinceriores & literatiores Theologi tacito Ecclesiæ nomine appellant. Sinceriores quidem, quia quod alii Ecclesiæ tribuunt, colore nullo fucati potest; literatiores vero, quia nomen *Pontifex* simplex esse, non collectivum probe noverunt.

PRÆMVNITIO SECVNDA.

Articuli primi assertio in juris, secundi hujus in facti quæstione versatur: at inter vtramque juris & facti quæstionem, hoc intercedit discriminis, quod juris quæstio disquisitis convenienter naturæ quæstionis rationibus probetur; facti non item. Sed quod vera, non ficta auctoritate, genuinis non subdititiis Pontificum decretis, & receptis Conciliorum canonibus, si probanda est, probari debeat.

PRÆMVNITIO TERTIA.

Quod veræ legum & canonum interpretationes non in cumulandis Doctorum opinionibus & commentariis, sed in explicanda legislatoris mente potissimum consistunt. Qua in re magni omnino refert disquirere, non solum a quo & quo tempore, verum etiam ad quos & de quibus negotiis decreta & canones edantur. Hoc dictat communis hominum sensus & intelligentia, hunc tractandi modum veteres exaggeratæ sapientiæ Theologi confirmant.

Ambrosius in libro III. de Virginibus: *Quoniam vero beati Ioannis Baptistæ non strictim prætereunda est recordatio, interest vt quis, & a quibus, & quam ob causam, quomodo, & quo tempore sit occisus, advertere debeamus.*

Chrysostomus in homilia de verbis Hieremiæ cap. X. *Allatam*, inquit, *in medium propheticam hanc sententiam diligenter expendamus: quis eam protulerit, & quorum causa, quo tempore, & quem alloquens, & quo in statu res tum essent; omnia denique pervestigemus, quæ ad inveniendum vsui esse possunt.*

Cyrillus Alexandrinus in thesauro assertione XX. *Primum*, inquit, *quidem oportet eum, qui ad investigationem sacrarum Scri-*

plurarum accedit, observare tempus, quo aliquid dicitur, & personam a qua dicitur, propter quid, & de quo dicitur.

Porro autem ad has inveniendi asserendique veri regulas, cum exigentur quæ Juri Principum ex decreto & decretalibus opponuntur, illa statim diffugient, & vagum in pulverem fatiscent.

PRÆMVNITIO QVARTA.

Non est in eo multum nobis laborandum, quod Theologi complures doceant, jus statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia fuisse Principibus sublatum ab Ecclesia, cum sit facti quæstio, in qua minor vel major Doctorum consensus, non tam spectatur quam rei gestæ veritas, quæ nonnullos vel aliud agentes, vel rem suis non expendentes momentis, vel etiam aliena credulitate deceptos effugere potuit. Quot sunt, Deus immortalis! auctores, qui mulierem nomine Joannam inter Leonem IV. & Benedictum III. & Pontificem nomine Cyriacum inter Pontianum & Anterum sedisse, & cum vndecim mille Virginibus Coloniæ martyrium fecisse, literis prodiderint? & tamen vtrumque tam est falsum, quam quod falsissimum. Hinc Ecclesiasticorum annalium conditor illustrissimus ad annum CIX. num. LI. *Iura*, inquit, *veritatis ampliora sunt omni antiquitate: quippe quæ nulla plurimorum sæculorum valeant præscriptione lædi, nec innumera testium multitudine obrui atque labefactari.*

Adde quod si plerique consentiunt, vniversalia ipsa Concilia in facti quæstionibus errare posse, immo & errasse nonnunquam: quid est quod innumerabilium in hac facti quæstione Magistrorum consensus reformidetur?

PRÆMVNITIO QVINTA.

Nullæ specialium locorum aut regnorum leges, nullæve consuetudines speciales revocantur per Romanorum Pontificum constitutiones sine expressa illarum mentione, vt habetur in cap. *Licet Romanus Pontifex*, in Sexto his verbis: *Licet*

Romanus

Romanus Pontifex constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de illa non faciat mentionem, revocare noscatur: quia tamen specialium personarum singularium consuetudines & statuta, cum sint facti, & in facto consistant, potest probabiliter ignorare, ipsis dum tamen sint rationabilia per se, constitutionem a se noviter editam, nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare. Hoc autem, si verum est in iis rebus, quæ hoc capite memorantur, quanto magis in iis, quæ spectata politici Magistratus natura ad Principes pro bono reipublicæ pertinent: qualis est potestas sanciendi dirimentia Matrimonium impedimenta. Ceterum non me latet Sextum Decretalem nullam apud Gallos in auctoritatem admitti; sed eo vtor contra exteros Doctores, qui Sextum Decretalium recipiunt.

PRÆMVNITIO SEXTA.

Quandiu ab iis, qui contrariam nostræ sententiam defendunt, non adferetur generalis Concilii, vel Pontificis decretum, quo jus statuendi dirimentia Matrimonium impedimenta Regibus & rebuspublicis abrogetur perspicue: tandiu verum erit dicere, Reges & respublicas posse pro bono communitatis, quod in contractu Matrimonii tanquam totius vtilitatis, publicæque concordiæ fundamento consistit, eas leges præscribere, quibus haud servatis Matrimonium consequens sine dubio non valebit.

PRÆMVNITIO SEPTIMA.

Articuli secundi hujus titulum de titulo prædamnare est, cum titulus significat fuisse Theologos, qui postquam Principibus & reipublicæ cuilibet liberæ jus ferendi leges Matrimonium dirimentes invictis asseruerunt rationibus, docuerunt postea Ecclesiam, vt quidam eorum loquuntur, vel Romanum Pontificem, vt dicunt alii, jus illud eripuisse Principibus & cuilibet liberæ reipublicæ, vel, quod idem est, sibi reservasse, idque propter rem momenti tam exigui, vt ab illustrioribus Theologis *cavillus* appelletur. Hoc, inquam, in

anteceſſum exponere prædamnare eſt. Nam id genus lemmatis horrorem incutit, Eccleſiam & Romanum Pontificem in odium vocat & invidiam, ac Principes ethnicos a ſuſcipienda religione Chriſtiana deterret; & revera poteſtatem jure naturæ & gentium quæſitam Principibus auferri, vel illius vſum interturbari ab Eccleſia, vel Romano Pontifice, facinus eſſet non minus deteſtabile, quam jus quoddam Eccleſiæ, vel Romano Pontifici divinitus conceſſum, a ſæculi Principibus auferri, vel illius vſum interturbari. Hic ſiſto pedem, quia diſparilis ratio quæ ſit aſſis vnius, nuſquam dabitur, quæ non ſtatim reddatur dantibus nocitura.

Ad præjudicia ſeu præmunitiones has ſeptem quidquid auctores contrariæ opinionis adducunt, non prius examinabitur, quam id velut neceſſario labefactatum motu corruat, indeque poſitæ in hoc articulo concluſionis veritas omnino conſtabiliatur. Et vero licet hæc pauca intelligentibus & cordatis viris ſufficerent: tamen quia mihi res eſt cum hominibus, qui huic rei faciles aures non accommodant, ſequenti capite adferam judicium illuſtriorum quorundam Theologorum, qui poteſtatem Principum ab Eccleſia vel a Pontifice ſublatam non eſſe tradunt. Tum alio capite ſingillatim oculis ſubjiciam, quidquid ab aliis conſuevit adferri, vt ſublatam vel reſtrictam eſſe Principum poteſtatem in ſanciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus oſtendant. His autem allatis, nec tam refutatis quam expoſitis, poteſtas illa Principum liberior adhuc atque expeditior apparebit.

CAPUT LI.

Recensentur judicia quorundam illustriorum Theologorum, qui docent non esse sublatam vel restrictam a quoquam Principum sæcularium potestatem in sanciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus.

IN hoc capite a recentioribus ad antiquiores regrediemur. Primus erit in hac arena Joannes Baptista Gonerus in articuli II. capite 11. laudatus. *Advertendum tamen, quod licet in Principibus Christianis sit potestas statuendi suis subditis fidelibus impedimenta Matrimonium dirimentia, ea tamen non utuntur: quia, ut ait Petrus Sotus lectione* IV. *de Matrimonio, ex sua potestate talem usum Ecclesiæ sponte cesserunt, vel, ut alii volunt, quia Ecclesia justis de causis usum talis potestatis sibi reservavit.* Bimembris est animadversio. In priori cum dicitur: Principes potestate statuendi suis subditis impedimenta Matrimonium dirimentia non utuntur, scilicet hodie, sed alias usi sunt, & quæ statuerunt impedimenta Matrimonium dirimentia, nunc ad commune reipublicæ bonum sufficiunt; voluit dicere: Cesserunt judicium, quod de impedimentis Matrimonium dirimentibus ferendum est. Sed istud ubique gentium verum non est: nam sæculares Magistratus in Gallia de iis aliquando judicant. In posteriori animadversione utinam auctor suam non fecisset quodammodo aliorum quos laudat, sententiam, quæ & falsa est, & in Ecclesiam, vel in sacerdotalem ordinem injuriosa. Falsa quidem, quia causæ nullæ possunt assignari justæ, cur sacerdotalis ordo universos Principes eodem vel diversis temporibus potestate sanciendi impedimenta Matrimonium spoliaverit in perpetuum. Injuriosa vero, quia significat, sacerdotalem ordinem quæ sunt sæcularium Principum jura sibi reservasse. Hoc esset latrocinii quoddam genus, quod in sacerdotalem ordinem, quem vocat Ecclesiam, non cadit. Satius esset atque honestius,

vt auctor in qualicunque Petri Soti opinione mansisset, & omisisset aliorum opinionem, quæ tanta incommoda secum trahit. Non igitur posterior, sed prior fecit animadversio, vt Gonetum hoc in capite laudarem.

Secundus Michael Rabardeus in defensione legum connubialium. *In hac*, inquit, *controversia de potestate Regum & aliorum summorum Principum sæcularium pro constituendis & modificandis impedimentis, quibus Matrimonia subditorum suorum etiam fidelium Christianorum & Catholicorum illegitima, irrita & nulla definiantur, non vnus, sed, quod fatentur adversarii, plures viri sanctissimi atque prudentissimi in doctrina Christiana, in Theologia, & vtroque jure peritissimi, aperte docent, Imperatoribus, Regibus, & quibuscunque summis Principibus sæcularibus ex natura suæ dignitatis concessam jure quodammodo naturali, vel gentium potestatem condendi & promulgandi leges, quibus hæc Matrimonia, rata, firma, valida, seu irrita, nulla & invalida efficiantur.* Sic non censet potestatem illam ab Ecclesia, vt loquuntur alii, vel a Romano Pontifice Regibus ac Principibus summis ademptam aut restrictam esse.

Tertius Stephanus Baunius in tractatu XII. de Matrimonio quæst. V. *Fides Christiana potestatem Principum non imminuit, quod planum fit, exemplo Philippi I. Christiani Principis, qui plenum jus imperii retinuit, hoc est, omnem illam potestatem sibi vindicavit, quam exercuerat ethnicus.* Et paullo post: *Potest Princeps aut quilibet alius potestatem habens ferendi leges, statuere, vt Matrimonium quatenus est contractus certo modo, aut cum certis circumstantiis ineatur, quæ si omittantur, ratum non sit. Confirmatur secundo. In Magistratu politico auctoritatem tantam esse est necesse, vt cum res temporaque reipublicæ exigunt, contractus, qui in ejus perniciem vergunt, modificare, irritare ac determinare valeat. Ergo cum Matrimonium sit contractus Matrimonii ac civilis, more aliorum contractuum, legibus certis Principibus, quorum in terris fiet, restringi poterit.* Hic de adempto vel restricto jure Principum ne gry quidem.

Quartus Jacobus Hennequinus in lectionibus publicis apud Parisienses de impedimentis Matrimonii: *Si objicias cum nonnullis, posse Principes sæculares prædicta impedimenta præscri-*

bere, nisi Ecclesia hanc potestatem sibi reservasset, & illis ademisset. Contra, tum quia auctoritates Concilii Tridentini & summorum Pontificum a nobis in prioris partis confirmationem allatæ, quibus ipsi vtuntur, probant tantum de Matrimonio vt Sacramento, & quoad Matrimonii solennitates ac impedimenta, quæ Ecclesia instituit, non autem de Matrimonio vt contractu civili; tum quia cum isti auctores talem reservationem & ademptionem, respectu Principum infidelium & paganorum quoad suos subditos, non tantum infideles & paganos, sed etiam fideles & Christianos factam negent: non video cur respectu Principum fidelium & Christianorum quoad suos subditos fideles & Christianos factam affirment, præsertim cum fideles & Christiani quicunque Principi, sive imbaptizato, sive baptizato sint subditi, etiam Ecclesiæ quoad Matrimonium Sacramentum subjiciantur; alioquin Principes sæculares Christiani essent deterioris conditionis, quam Principes ethnici quoad suos subditos baptizatos. Dicere autem Principes Christianos tali potestate seipsos abdicasse quoad suos subditos baptizatos, est fingere, cum Principes sæculares sint debeantque esse diligentissimi conservatores suæ potestatis temporalis: ita vt nec se illa spolient, nec spoliari permittant. Atque sicut non debent spiritalibus vt spiritalibus se immiscere: ita etiam nec temporalibus se privari sinere potissimum, cum ejusmodi potestatem à Deo obtineant, & Christus, cui debet Ecclesia ejus sponsa se conformare, prædictam auctoritatem illis quoad Matrimonium non abstulerit, sed talem qualem habebant ante Matrimonii contractus civilis institutionem & elevationem ad naturam & præstantiam Sacramenti, illæsam & integram reliquerit.

Quintus Philippus Gamachæus in tertiam partem sancti Thomæ cap. XV. de Matrimonio. *Addimus*, inquit, *posse quoque Reges & Principes laicos simpliciter & absolute loquendo, Christianis sibi subjectis quædam impedimenta Matrimonii facere, prout opus fuerit ad bonum communitatis & ad Regni tranquillitatem, quia contractus Matrimonii est etiam politicus.* De Principum potestate adempta vel restricta, ne verbum quidem. Liberam illam atque expeditam esse arbitratur.

Sextus Petrus Cornejo Theologus Salmanticensis tom. II. in III. part. tract. VI. disp. VII. dub. III. conclus. III. *Et*

quamvis non adducatur ab auctoribus nostræ conclusionis textus aliquis hoc Pontifici reservans, neque illum invenerint; colligi tamen potest a posteriori, tum primo ex ipsa Principum Christianorum consuetudine nihil de hac re statuentium, &c. Duo dicit auctor. Unum, nullum ab auctoribus sententiæ suæ adferri textum quo probetur, jus Principum in sanciendis impedimentis fuisse ab Ecclesia Pontifici reservatum. Alterum, hanc reservationem a posteriori tamen colligi posse. Ex his duobus primum rem nostram conficit, alterum nihil incommodat: quinetiam ex quarta præmunitione destruitur.

Septimus Joannes Maldonatus III. parte disp. de impedimentis Matrimonii quæst. I. *Quod autem hoc possit Ecclesia, ex eo manifestum est, quod respublica etiam possit. Nam quia Matrimonium est contractus quidam civilis, videmus ab Imperatore varias esse leges latas de contrahendis vel non contrahendis Matrimoniis: quibus legibus id certe efficiebatur, ut si Matrimonium contra leges latas contraheretur, non esset contractus legitimus, quia Sacramentum Matrimonii non potest esse, nisi nitatur quasi fundamento ipso contractu Matrimonii. Quapropter si quod Matrimonium sit, quod non fuit legitimus contractus, non potest esse legitimum Sacramentum. Itaque mirum est adversarios Ecclesiam accusare quod novas leges sanciat de Matrimonio, & non accusare Imperatores, qui jure hoc semper fecerunt.* Itaque si jure hoc semper fecerunt Imperatores, jure hoc faciendi privatos fuisse non arbitratur Maldonatus, quo etiam tendunt hæc verba: *Quod autem hoc possit Ecclesia, ex eo manifestum est, quod respublica etiam possit.*

Octavus Josephus Angles in Floribus quæst. de impedimento consanguinitatis art. III. *Potestas civilis legis potest aliquos inhabilitare quominus contrahant; & de facto si contrahatur, Matrimonium erit nullum.* De rebus, prout sunt, cum loquatur, Principes jure suo non esse privatos significat.

Nonus Edmundus Augerius in tractatu de Matrimonii Sacramento Gallice edito lib. I, cap. XIV. *Quod ad Principes spectat, possunt illi quidem inhibere, ne certa Matrimonia fierent, ubi inde Regnorum suorum periculum seu damnum evidenter agnoscerent, suisque inhibitionibus pœnas addere gravissimas: nam ut*

res civilis, ad eorum forum pertinet. Quod autem illam inhibitionem impedimenti dirimentis locum habere velit, tria satis declarant: publica salus, cui non aliter consuleretur; petita ex re civili ratio, quam ad forum civile pertinere ait; postremo, quod in hocce tractatu doceat auctor, civilem Matrimonii contractum toties sejungi a Sacramento, quoties præsto non est proprius conjugum Sacerdos. Præterea de Principum in Matrimonia potestate sic differit, ut eam integram, & nulla sui parte imminutam supponat.

Decimus Matthæus Galenus catechesi CCX. *Adde sanissimos quosque Theologos non arbitrari tantum penes Ecclesiam esse jus personas ineptas* (ad conjugium) *decernendi; verum etiam Regibus Imperatoribusque potestatem ducendarum cognatarum faciendi, quoties id rerumpublicarum utilitas tranquillitasque postularit.* Hæc ille Christianam doctrinam explicans, ubi jura Principum etiam in dispensando de impedimentis dirimentibus agnoscit. Deinde Galeni verba æque præsentium ac præteritarum rerum conditionem spectant.

Undecimus Jacobus Naclantus qui Concilio Tridentino interfuit, & post illud scripsit anno MDLXVII. tractatione XIV. de Sacramento Matrimonii: *Et demum, ut & juxta legem dirigatur civilem, non modo servanda sunt, quæ tradunt leges Cæsareæ, sed & quæ propriæ unicuique statuunt respublicæ, & probatæ servant in illis consuetudines. At petit quis? Num leges præfatæ tam mordicus sunt retinendæ, ut secus attentantibus invalidum reddatur conjugium? Tria dicenda videntur. Primum est, quod licet non omnia de quibus leges prædictæ essentiam ingrediantur Matrimonii, omnia tamen sunt conducentia, & plurima eorum maxime necessaria; quare eorum nullum valet sine culpa contemni. Secundum est, quod licet simpliciter essentiale, definiatur consensus; nulli tamen, quod aliquot exigit conditiones, a quibus ipso jure nequit absolvi: siquidem cum satis non sit, si consensus in sese fuerit rectus; sed & opus est, ut & rectus tum divino, tum Ecclesiastico appareat tribunali. Haud obscurum, quod illas necessario exigit conditiones, quibus possit in utroque consistere.*

Idem tractatione XVI. de irritandis clandestinis conjugiis: *Certum est rationem contractus rationem prævenire Sacramenti,*

idque non ſolum præceſſione, vt loquuntur, naturæ, ſed & præceſſione temporis, vt palam eſt in Matrimonio per procuratorem contracto. Et poſt alia, vt probet Eccleſiam clandeſtina Matrimonia reſcindere, hæc ſubjungit: *Ex vnico argumentabor medio, quod eo erit efficacius, quo procedit ex propriis, & ſic ſe habet. Poteſt Princeps ſeu reſpublica ſæcularis reſcindere, vel ſi contrahatur, contractum reddere nullum, qui præjudicialis eſt bono communi. Hoc eſt notum, tum ex ratione politicæ poteſtatis, tum ex praxi, cum frequenter eorum legibus irritentur ſocietates, donationes & teſtamenta, quæ ad eorum præſcriptum facta non ſunt, tanquam bono communi perniciosa, vel incommoda: ergo poterit Princeps ſeu reſpublica Eccleſiaſtica illos reſcindere contractus, qui ſine præſcripta ſibi lege ſunt attentati, & in perniciem vergunt boni totius Eccleſiæ. Conſequentia nota, quia aliter principatus hierarchicus bono non proſpiceret totius Eccleſiæ, & infirmior eſſet principatu politico, qui id pro ſua ratione promovet.* Et poſt alia: *Sed dicis, fateor, Eccleſiam poſſe irritare contractus, ſocietates & donationes, non minus quam reſpublica poſſit, quantum eſt ex parte contractus; ſed non poteſt propter annexum Sacramentum. Objectio nulla eſt, quoniam etſi illi contractui annecteretur Sacramentum, non annecteretur, niſi vt gratia naturæ & accidens ſubjecto. Unde ſicut natura ſublata & amoto ſubjecto, tollitur gratia, & amovetur accidens, non quæ fuerunt, ſed quæ fuiſſent, ſi non fuiſſent amota, ita & in propoſito. Non enim ſubſiſtit ratio contractus, nec ratio Sacramenti adderetur rationi contractus, niſi foret.* Et poſt alia: *Denique nec verum eſt Eccleſiam hactenus non irritaſſe, etſi leges irritaverint civiles, propter rationem Sacramenti, vt quidam dicunt, quam leges civiles non agnoſcunt: quoniam non ex illa factum ratione, ſed quia Eccleſia Spiritu ſancto ducta judicavit, hactenus non proficere.* Et poſt alia: *Clandeſtinis irritatis ſi quis contrahit, neque fit Matrimonium, neque Sacramentum revera, ſed tantum apparentia quædam; nec ſic in contracto ſunt eſſentialia Matrimonii & Sacramenti vere, ſed apparenter, ſicut in homine picto non ſunt partes hominis vere, ſed apparenter. Fundamentum eſt, quia irritato, vt dicebatur, contractu, ita vt ſi fiat, ſit nullus, nullum ſequitur Sacramentum. Oportet autem, ſi quis rem vellet perpendere, ſemper illud habere præ oculis, quod ſicut ratio Sacramenti*

menti supponit validam rationem contractus, ita & materia & forma Sacramenti, ut vere sint materia & forma Sacramenti, supponunt validam materiam & formam contractus. Hæc ille, in quibus quam longissime abest ab eorum sententia, qui jus statuendorum Matrimonii impedimentorum Principibus ab Ecclesia sublatum finxere.

Duodecimus Clemens Monilianus Cardinalis in Compendio Theologicarum Institutionum, cap. LXIII. Romanæ editionis ann. MDLXV. *Cum igitur abrogata sit lex Moysi de gradibus consanguinitatis & affinitatis in* XVIII. *Levitici posita, cum noster esset pædagogus in Christo; (translato enim Sacerdotio, necesse erat, secundum Apostolum, & ut legis translatio fieret, præcipue cum de eis nulla habeamus Dei præcepta, & jus naturale propter suam generalitatem & ambiguitatem non sufficiat ad populi Christiani directionem, præcipue pro servanda nuptiarum honestate) necessarium fuit constitui Magistratus tam politicos, quam Ecclesiasticos; similiter & leges & canones statui, quibus explicarentur generalia divini & naturalis juris præcepta de supra dictorum contractuum gradibus & Matrimonii impedimentis ac quibuscunque aliis, quæ in præfatis rebus politicis pro illarum communi utilitate expedire videbantur.* Et post alia: *Ex prædictis concludimus, quod necessarium est, ut contractus conjugalis, qui Sacramentum est, & propagandæ Ecclesiæ officium, subsit ordinationi & irritationi Magistratus Ecclesiastici in ordine ad pacem Ecclesiæ, & fidelium salutem, quamvis simul etiam subsit ordinationibus & legibus potestatis civilis, secundum quod refertur ad pacem & bonum reipublicæ.* At ita non loqueretur Clemens Monilianus, si persuasum haberet, civilem in contractum Matrimonii potestatem ab Ecclesia esse abrogatam.

Decimus-tertius Franciscus Sonnius Antuerpiensis Episcopus tractatu VII. de Sacramentis, cap. IX. *In Matrimonio concurrunt tria, contractus politicus, institutum divinum, & Sacramentum: quæcunque ergo excludunt, & irritum faciunt valorem contractus, eadem porro excludunt, & irritum faciunt Matrimonium.* Hæc non supponunt ademptam ab Ecclesia Principibus in Matrimonium potestatem. Hactenus Theologi qui post Tridentinum Concilium scripserunt, quique non existima-

runt, vllo Tridentini Concilii canone, vllo Pontificum decreto imminutam esse regiam in Matrimonium auctoritatem: immo vero sunt, qui ex ea vtpote illæsa & integra Ecclesiasticam in Matrimonium potestatem probare contendant. Nunc aliquot alios producamus, qui Tridentini Concilii tempore ea super re scripserunt.

Decimus-quartus Ambrosius Catharinus, qui Concilio interfuit, in quæst. de clandestinis Matrimoniis: *De his quærimus, an valida sint & ita rata, vt dici mereantur Sacramentum; si leges civiles attendimus, etiam Christianorum Principum, certe hujusmodi invalida sunt. Reperiuntur autem qui dicunt, civiles leges non esse sequendas, cum eis canones adversentur. Quo in loco videndum est, (hoc interim dato, nimirum canones contra statuere) qua ratione confecti sint isti canones ad statuendum contra jus civile. Oportet enim canones civilem aliquam legem irritantes ab aliqua solida ratione proficisci; nulla vero potest esse ratio alia, nisi quia forte viderint, quod a lege civili constitutum erat, vel contra jus divinum esse, vel contra jus naturale. Dicent ergo aliqui, legem civilem prohibentem Matrimonii contractum a filiis familias sine consensu parentum, esse contra jus divinum: quod manifeste statuit, hac in re non esse requirendum patris aut matris consensum, dicente Domino: Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam; elicientes inde hunc sensum, quod homo in causa debet requirere consensum patris aut matris. Quid hic dicam? Nonne miserum est prorsus & indignum ista prosequi tam inepta tamque inconsiderate pronuntiata. Mitto illis verbis non tradi legem ineundi Matrimonii, sed quantarum sit virium conditio Matrimonii jam contracti declarari.* Et post alia: *Verum innituntur alii alio argumento, quod lex illa civilis erat contra jus naturæ, quoniam contra ipsam Matrimonii naturam, quæ solo conjugum consensu contenta est, vt sit verum & ratum Matrimonium. quod si natura hæc & lex Matrimonii debet servari: ergo pater & filia, mater & filius legitime copulabuntur, si consentiant,* &c. *Idcirco perperam fuisse prohibita lege hominum, cum de jure divino consensus viri & mulieris satis sit, vt constituatur verum ac ratum Matrimonium. Dicet fortasse quis personas illas esse distincte notatas, ne possint consensum præstare legitimum: idque magna ex*

causa, vel propter honorem illum, quem sibi invicem debent, & honestatem. Cur non valuerint leges civiles etiam has personas notare in parentum potestate existentes, ut non sit legitimus eorum consensus propter honorem, quem jure suo suis parentibus debent? An non hæc est maxima causa? quis id non videt, qui videt? Audi nunc, obsecro, prudens lector, officium legis civilis, quam disponi a sapientibus oportet, est, ut quæ ratio naturalis & jus naturale ipsum poscit, illud determinet vel declaret. Educitur ergo jus civile ex ipsius juris civilis principiis. Non est autem dubium per has clandestinas nuptias non parum violari jus paternum, & illam patriam potestatem, & honorem debitum, quem ratio naturalis cunctos docet; ergo jure optimo & meritissimo lex civilis ejusmodi Matrimonia habenda irrita sanxit, utpote contra jus paternum, & honorem parentibus debitum, idque si in quavis deliberatione, in hac una præcipue. Est enim magnus parentum contemptus, si in hoc contractu, qui eosdem magnopere tangit, eorum consilium & beneplacitum, immo etiam auctoritas despiciatur, &c. *Recte igitur factum est, & prudenter declaratum per jus civile, ne talia Matrimonia vera sint & rata, cum nec legitimæ personæ fuerint contrahentes, nec eorum consensus fuerit legitimus.* Et paullo post: *Quamobrem si hujus rei decisio, aut reformatio ad me pertineret, irrita continuo velim esse hæc Matrimonia, nec vere esse Matrimonia, declarare aut statuere, quæ contra legem civilem naturalem manifeste, contra bonos mores, contra legem Moysis, contra decreta canonum ineuntur.* Et post alia: *Scio glossas Doctorum & Magistrorum objici solitas. Sed ab iis quæro, utrum leges civiles, quæ a Christianis conditæ fuerunt vel probatæ, & in usum receptæ, quæ talia Matrimonia inhibuerunt, & nulla esse, si forte contraherentur, declararunt: quæro, inquam, an hujusmodi leges bonæ fuerunt, an malæ? Potueruntne Principes condere eorum legem, an non? Si potuerunt, cur reprobatur? Si dicat quis non potuisse: cur ergo nemine contradicente condiderunt? Cur servabatur inter Christianos? Cur summi Pontifices & Ecclesiarum Antistites non reprehendebant, immo potius tacite commendabant?* Et post alia: *Quæ ratio adducitur, cur illi Principes non potuerunt talem legem condere? Lex enim quæ honorem debitum parentibus a filiis servari præcipit, & quæ scandalis multis ne veniant, occurrit, &*

ad civium & familiarum concordiam spectat, qua causa, quove nomine potest improbari? quo jure damnari? Dicet quis: Hæc est materia circa quam sæculares Principes non habent cognoscendi aut statuendi potestatem, quoniam sacra & propria, circa quam versentur, & de qua statuant soli Pontifices. Respondeo verum esse, quatenus Matrimonium est Sacramentum; sed quatenus est in officium naturæ, pertinet etiam ad Principes circa illud animadvertere, & leges condere propter honestatem & pacem domesticam, modo servetur verbum Dei. Fateor tamen, si in dubitationem veniat, an hæc quæstio pertineat ad causam Sacramenti, remittendam esse cognitionem ejus ad pontificium tribunal. Non est autem dubium, quin ea possint sæculares Principes circa Matrimonia providere ac statuere, per quæ probi & civiles mores ad illum finem custodiantur atque serventur, ad quæ ipsæ respublicæ constituuntur. Itaque quidquid non est contra legem Dei ac legem naturæ, credo Principes posse circa Matrimonium, tanquam circa suam & non alienam materiam suis legibus providere: & ita latam ab eis legem valuisse puto, qua irritabantur Matrimonia non consultis parentibus contracta. Considerate tandem quanta cum libertate Christiana Catharinus disputet; quid esse juris penes Christianos sæculi Principes in impediendis pro bono reipublicæ Matrimoniis asseveret; quid canones adversus leges Principum Matrimonia dirimentes possint.

Decimus-quintus Petrus Sotus, qui Tridentino Concilio ex parte Romani Pontificis interfuit, lectione IV. de Matrimonio: *Possunt etiam positiva jura illegitimos aliquos reddere; non omne itaque impedimentum ad quos inhabiles reddens, est juris divini, nec tamen est juri divino contrarium. Sicut in ceteris omnibus quædam non prohibuit jus divinum, sed gubernandi auctoritatem tradens Prælatis potestatem dedit ea prohibendi, cum id ratio expedire judicaverit saluti animarum, & divinæ gloriæ convenire: ita & in Matrimonio potestatem reliquit his, quos gubernandis populis præfecit. & hæc est communior ratio omnium prohibitionum juris positivi; est enim in Matrimonio specialis ratio. Cum igitur sit contractus & officium naturæ necessarium reipublicæ gubernandæ ac propagandæ Ecclesiæ, etiam ipsi bonoque religionis catholicæ, merito gubernantium in Ecclesia vel republica est, si quid*

videretur expedire, vt officium hoc Matrimonii recte agatur ad conservationem religionis Christianæ, id statuere. Unde beatus Thomas supradicta intrepide asserit, jura ipsa civilia, & Imperatoris leges illegitimos aliquos reddere ad contrahendum: ita videlicet, vt nullum sit Matrimonium. Neque negant hoc alii, quanquam non ita aperte asserant; & certe hoc est solidissime fundatum in illo verbo Evangelii: Quod Deus conjunxit, homo non separet. Deus enim per causas naturales & ordinatas humanos contractus perficit, id est, auctoritate legum, sicut naturales res per causas naturales. Non itaque Deus conjunxit quod contra justas leges humanas conjungitur. Hoc dicimus, quoniam Iuristis multis visum est, non esse potestatis sæcularium legum Matrimonium nullum reddere, sed tantum Ecclesiasticarum. Et certe Iuristæ nulla auctoritate juris divini aut canonici hoc probant, nec etiam efficaci vlla ratione. Nec advertunt nihil per hoc derogari auctoritati Ecclesiasticæ, sed potius conducere Ecclesiæ paci. Si enim jus divinum ipsum permittit prohiberi ab Ecclesia, quod ipsum non prohibet: quare non permittet sæculari potestati prohibere circa Matrimonium quod ipsa non prohibet? Fatemur igitur leges civiles non posse licitum Matrimonium facere, quod Ecclesiasticæ illicitum reddunt: sic nec Ecclesiasticas leges approbare, quod divinum jus reprobat. Hoc enim esset inferiorem superiori contradicere. Verum quod Ecclesiasticæ leges non prohibent, cur sæculares prohibere non poterunt: sicut quod non prohibet jus divinum, prohibent Ecclesiasticæ? Nec debent Prælati Ecclesiæ gravate suscipere, si quid temporali paci viderint necessarium, sæculares Principes statuant. Nec est cur illis se opponant, sed permittant potius Matrimonium legibus humanis ordinandum, cum officium humanum sit, & addant postea ipsi, si videbitur, quod ad bonum religionis pertinet. Quanquam civiles leges in his omnibus ex pietate certe & voluntate Principum facile cesserint Ecclesiæ, vt jam nullum censeatur Matrimonium illegitimum, quod Ecclesia tale non judicat: non est tamen vel legi vel consuetudini reipublicæ auferendum, vt illegitimos aliquos reddere, si velint, possint; sed potius, si opus foret, confirmandum esset ab Ecclesia. Civilia jura illegitimum Matrimonium judicant inter tutorem vel curatorem, &c. Sed derogatum videtur his consuetudinibus per contrariam consuetudinem, quæ tamen non videtur minima ratione

& necessitate hoc statuisse. Si itaque denuo hoc videretur statuendum, non est cur hæc auctoritas auferatur a Principibus, qui de Matrimonio quidem, vt officium est reipublicæ necessarium, statuunt, quod tamen Sacramentum prærequirit. Quot apud hunc auctorem lineæ, tot invictæ probationum moles, quibus Christianorum Principum obarmatur auctoritas in sanciendis legibus, quæ Matrimonium dirimant. Erit forte qui objicienda confestim arripient hæc paucula verba: *Quanquam civiles leges in his omnibus ex pietate certe & voluntate Principum facile cesserint Ecclesiæ, vt jam nullum censeatur illegitimum Matrimonium, quod Ecclesia tale non judicat.* Sed ista sane non aliis quam objicientibus nocent. Tria quippe in his advertenda sunt. Unum est quæstio juris, quod penes Principes esse & asserit & probat. Alterum quæstio facti, quod auctorem latere potuit, nec illud insuper Principibus illis, quorum cessio scripta non comparet, incommodabit: quemadmodum & auctor ipse adjacentibus verbis non obscure significat. Tertium, quod sicubi Ecclesia seu Sacerdotium illegitimum Matrimonium judicat, id ex concessione sæcularium Principum judicat.

Decimus-sextus Claudius Guillaudus in Matth. cap. VII. *Unde si disputatur, vt aliquando fit, de Matrimoniis clandestinis ac furtivis, quæ contra parentum conscientiam & voluntatem contrahuntur, num justa sint & valida. Habeant hic legem in novo Testamento, juxta quam interrogent seipsos, num velint sibi tale quid fieri, nempe filiam suam ab eo sibi fraudulenter & contra animi sententiam subripi, quem nolunt habere generum: profecto nollent.* Consentientem Catharino & Naclanto Guillaudum habemus, licet pauca de clandestinis Matrimoniis edisserat.

Decimus-septimus Jacobus Latomus in tractatu de substantia Matrimonii: *Sacramentum Matrimonii supponit contractum, quo invicem potestas conceditur in mutua corpora; hinc fit, vt quidquid contractum impedit, consequenter & Sacramentum impediat: sublato enim priori, posterius auferri necesse est. Neque istud est huic Sacramento peculiare, quia etiam aliis Sacramentis convenit, vt verbi gratia, qui facit ne corpus aqua tingatur, facit ne homo baptizetur. & in Eucharistia, si quis impediat ne Sacerdos habeat panem & vinum; & in Pœnitentia, si quis im-*

pediat ne Sacerdoti peccator ſubjiciatur; impeditur Euchariſtiæ vel Pœnitentiæ Sacramentum. Non autem refert, quibus de cauſis accidat impedimentum. Nam ex æquo impeditur matrimonialis donatio, & poteſtas in corpora, ſive ex penuria mutui legitimique conſenſus, ſive ex natura rei proveniat, ut in pueris, ebriis, furentibus vel fatuis, qui naturaliter conſentire non poſſunt; ſive ex lege divina, ut inter parentes & liberos; ſive ex ordinatione humana, ut inter conſobrinos, de quibus circa tempora Auguſtini lata fuit lex, ut ipſe refert XV. *de Civit. cap.* XVI. Et poſt relatum a Latomo beati Auguſtini locum ſubdit: *Ratio prædictorum eſt, quia natura donationis & accipientis conſenſum requirit, & rei donatæ facultatem; id quod non eſt in pueris, ebriis, aut furentibus, aut morionibus per naturam. Inter parentes autem & liberos, aut inter fratres, aut ſorores, ubi ejuſmodi donatio rata non eſt, impediente lege divina. In ceteris, ubi donatio & contractus eſt invalidus, illic impedimentum præſtat humana ordinatio.* Latomus hic tria legum genera agnoſcit, quibus impediatur, ne validum Matrimonium fiat, naturalem, divinam & humanam, quam civilem ab eo intelligi docet relatum ab Auguſtino teſtimonium.

Decimus-octavus Ruardus Tapperus Lovanienſium Theologorum Decanus art. XX. *Quibus præmiſſis articulum noſtrum probamus hac ratione: Contractus reliqui, quicunque ſunt contra leges ipſos dirimentes, ſunt irriti, inanes & nulli. Igitur neque contractus matrimonialis erit validus, ſi initus contra diſpoſitionem legis ipſum dirimentis. Antecedens patet de contractibus factis contra diſpoſitionem legis ſive Eccleſiaſticæ, ſive civilis.* Et paullo poſt: *Competit autem poteſtas condendi hujuſmodi leges Magiſtratui ſæculari & Eccleſiaſtico ex jure divino; ex quo enim præfecti ſunt populo ad regimen, (ſicut Eccleſiaſticos Præſides præfixit Dominus, & præficiendos ſæculares tam ipſe, quam naturale rationis dictamen demonſtrant) ſtatim conſequitur eſſe per media convenientia perducendum populum ad finem propter quem conſequendum coadjuvantur. Iſtud autem cum nequeat fieri, niſi adhibeantur variæ leges, ſtatuta,* &c. *mox evidens fit his oportere Magiſtratum uti in regendo populo ſibi commiſſo, prout viderit congruere fini, quem ſpectare dicitur, ſive is ſit naturalis tantum, civilis & po-*

liticus, veluti est pax & concordia inter cives, & vtilitas temporalis reipublicæ; sive spiritualis, qui est, vt populus contineatur in timore, amore, & vero Dei cultu, quorum hunc spectat Magistratus spiritualis; illum autem sæcularis, in quantum hujusmodi. Ex quibus liquet, hos Magistratus habere potestatem disponendi, atque adeo leges condendi, quas observent subditi in contractibus suis, cum ex his potissimum pendeat concordia communitatis. Et post alia: *Quod si addas contractus istos matrimoniales in Christiano populo non naturales tantum esse, sed de genere supernaturalium, tum pr pt r rationem Sacramenti accedentem contractibus, tum propter finem propter quem ineatur, videlicet vt fiat multiplicatio populi Dei; perspicue videbis ad Magistratum Ecclesiasticum sp ctare leges & canones condere, quibus ita ordinentur Matrimonia in populo, vt suo fini congruant. Ad Magistratum vero sæcularem videntur duntaxat spectare ea, quæ concernunt finem naturalem, cui serviunt Matrimonia.*

Hactenus de Theologis, qui tempore Tridentini Concilii de jure Principum in sanciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus scripserunt: reliquum est modo, vt nonnulli qui ante Concilium ea de re scripserunt, audiantur.

Decimus-nonus Albertus Pighius controversia XV. in fine: *Cum contractu quodam celebretur Matrimonium, ille non solum Ecclesiasticis, sed etiam civilibus & politicis interdictis subjacet, atque adeo subjacet, vt etiam civilibus legibus & publica consuetudine inter ethnicos quoque irritari interdicique possint quædam Matrimonia, & fieri non solum illicita, sed etiam invalida, quæ sublatis ejusmodi legibus & consuetudine secundum limites juris naturæ forent licita & valida: proinde non quovis consensu, sed legitimo, & inter personas legitimas contrahuntur nuptiarum fœdera & conjugalis societas.* Hic auctor tacitus rejicit eam opinionem, quæ jus Principum ab Ecclesia restrictum esse affirmat.

Vigesimus Guillelmus Okamus in tractatu de causis matrimonialibus: *Absque dubitationis scrupulo ad Imperatorem, qui tam fidelibus quam infidelibus Romanis Augustis in pleno jure Imperii Romani succedit, videtur causa matrimonialis quantum ad illa, de quibus sacræ literæ non loquuntur, pertinere. Unde & de Matrimonio*

trimonio & de contingentibus ipsum, antequam leges Ecclesiasticæ aliquæ apparerent, Imperatores tam fideles, quam infideles, leges ediderunt non paucas. Et post alia: *In specie autem de Matrimonii Sacramento, quod etiam Decretales Romanorum Pontificum dicunt apud fideles & infideles existere, extra. de divortiis Gaudemus. Dicitur, quod ad Imperatorem in quantum solummodo est Imperator, eo quod pluries extitit Imperator infidelis, causa Matrimonialis quantum ad illa, quæ specialiter vltra legem naturæ, & jus gentium, & leges civiles, sunt in Scripturis sacris prohibita vel præcepta, minime spectat.* Et post alia: *Canones asserentes causam matrimonialem ad Ecclesiam quantum ad ea, quæ in lege Dei singulariter & solummodo exprimuntur, juxta prædicta possunt intelligi, quin nihilominus intelligi possint quantum ad alia, non quidem vt causa matrimonialis quantum ad illa, de quibus in lege Dei mentio non habetur: sic ad Ecclesiam, id est, ad Clericos spectent. quod ipsi auctoritate eis specialiter a Christo concessa valeant eas, præsertim judice sæculari prohibente, tractare; sed quod auctoritate Principis introductæ eas valeant definire.* Ceterum inde magnum de veritate habeatur præjudicium, quod hi duo Doctores Okamus & Pighius, qui in multis inter se tam hostiliter dissident, in hoc momento tam amice conveniant.

Vigesimus-primus sanctus Thomas senior factus, & longe eruditior in Summa contra Gentes, quam in Commentariis super IV. sent. re accuratius examinata, quæstionem iis rationum momentis adornat, vt Principes jure suo privari non posse videantur: tantum abest, vt eo privatos jam esse meminerit, vel meminisse rursus voluerit. Ipsum igitur audiamus iterum, & secundis cogitationibus differentem expendamus. *Considerandum est*, inquit lib. IV. cap. LXXVIII. *quod quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem, quia finis est proportionatus agenti. Generatio autem humana ad multa ordinatur, scilicet ad perpetuitatem speciei, & ad perpetuitatem alicujus boni positivi, puta populi in aliqua civitate; ordinatur etiam ad perpetuitatem Ecclesiæ, quæ in fidelium collectione consistit: unde oportet, quod hujusmodi generatio a diversis dirigatur. In quantum igitur ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura inclinante in*

hunc finem, & sic dicitur esse naturæ officium. In quantum vero ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi civilis legis. In quantum igitur ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod subjaceat regimini Ecclesiastico; ea autem, quæ populo per ministros Ecclesiæ dispensantur, Sacramenta dicuntur.

Hos ergo scriptores legat ac relegat Gaspar Hurtadus ante citatus, & adhuc citandus postea: videat ille, num verum sit quod ait, convenire Doctores de facto in Principe sæculari baptizato non esse regiam in Matrimonium expeditam potestatem: tum consideret, num aliquid scripserit Petrus Sotus contra communem sententiam.

His auctoribus adjungendi sunt trecenti Episcopi, qui Concilium Lateranense primum generale dictum conflarunt, can. V. *Conjunctiones consanguineorum fieri prohibemus, quoniam eas & divinæ & sæculi prohibent leges, Leges enim divinæ hoc agentes, & eos, qui ex eis prodeunt, non solum ejiciunt, sed maledictos appellant; leges vero sæculi infames tales eos vocant, & ab hereditate repellunt. Nos itaque patres nostros sequentes, infamia eos notamus, & infames eos esse censemus.* Id sibi vindicat Concilium, quod antea Principes sæculares occuparant; infamiæ quippe nota ad forum civile spectat. Nunc veniendum est ad illos Theologos sat multos, qui sibi sumunt regiam in Matrimonium potestatem ab Ecclesia vel a Romano Pontifice abrogatam esse. Monumenta examinabimus, quæ pro confirmanda tali abrogatione in medium adducunt.

CAPUT III.

Quæ pro abrogata Principibus ab Ecclesia vel Romano Pontifice potestate objiciuntur ex Decreto & Decretalibus, diluuntur.

NE quis vero nos ullius χρύψεως insimulet; integra ipsa Decretorum & Decretalium capita, quæ objiciuntur, repræsentamus.

Caput Euphemium *objicitur*, *& diluitur.*

Itaque primo Sanchez & alii quidam proponunt Cap. *Euphemium* II. quæst. III. *Quod est*, inquit ille, *divi Gregorii lib.* IV. *epistolarum epistola* I. *ad Ioannem Episcopum Corinthiorum, cum divus Gregorius asseruisset non effici infames, quos tales lex civilis reputat, eo quod ad secundas nuptias se transferunt, cum Matrimonia hodie reguntur jure poli, non jure fori.*

Respondemus primo, in his verbis nihil esse, quo jus statuendorum impedimentorum Matrimonii Christianis aut infidelibus Regibus adimatur, quod vnicum, sed disertis expressum verbis quærimus, nec invenimus. Sed quæ consecutio hæc: *Matrimonia hodie reguntur jure poli, non jure fori?* ergo Ecclesia Christianos Principes spoliavit illa sanciendi leges Matrimonium dirimentes potestate, quam articulo superiori illis tam multiplici & auctoritate & ratione asseruimus, & quam præcedenti capite liberam atque expeditam demonstravimus. Ex sancto Thoma, atque ex rei veritate Matrimonia quatenus Sacramenta, jure poli, sed qua contractus civiles, quibus accessit Sacramenti ratio, jure fori reguntur.

Deinde respondemus hoc caput, præter Euphemii nomen, cum tam non reperiatur apud Gregorium, quam non reperitur apud Homerum vel Virgilium, Gregorio tribui non debere; multo minus ex eo regiam auctoritatem elevari.

Porro glossema illud, *Matrimonia hodie reguntur jure poli, non jure fori*, quod olim e margine in Decreti textum irrepserat, non ita pridem Romani correctores expunxerunt. An autem his verbis statuendi leges Matrimonium dirimentes potestas auferatur Principibus, judicium sit ex sermone XLIX. de communi vita Clericorum apud Augustinum cap. VI. vnde desumpta sunt: *Quidam cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes, retento sibi vsufructu, donavit Ecclesiæ. Nati sunt illi filii, & reddidit Episcopus nec opinanti, quæ illi donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli.* Quæ postrema verba ad Matrimonium transtulerunt, si quo

ſenſu tranſtulerint, attendatur. Sic fictitiis Decretis attentatur regia in Matrimonium poteſtas.

Tum reſpondemus, quærendo quid ſibi vult adverbium *hodie*. Fuitne tempus, quo Matrimonia jure poli non regerentur? Fuit procul dubio in Sanchis & aliorum ſententia, qui vt probent quod probandum ſuſcipiunt, Caput *Euphemium* aſſumunt. Nam fateri debent Matrimonia jure poli recta non eſſe vſque ad Gregorium Magnum, cui Caput illud tribuant: & ſi loquantur conſequenter, id dicendum erit. Sed cum dicetur, nihil dici poterit abſurdius, & viris Theologis indignius.

Caput De Francia *objicitur, & diluitur.*

Secundo adferunt Cap. *De Francia*, quod ita legitur lib. IV. Decretalium tit. I. cap. I. *De Francia quidam nobilem mulierem de Saxonia, lege Saxonum duxit in vxorem: verum quia non vtuntur iiſdem legibus Saxones & Francigenæ, cauſatus eſt, quod eam non ſua, id eſt, Francorum lege, deſponſaverat, dimiſſaque illa, aliam ſuperduxit. Definivit ſuper hoc ſancta Synodus, vt ille tranſgreſſor Evangelicæ legis ſubjiciatur pœnitentiæ, & a ſecunda conjuge ſeparetur, & ad priorem redire cogatur.*

Reſpondemus primo in his verbis nihil eſſe, quo jus ſtatuendorum impedimentorum Matrimonii Chriſtianis aut infidelibus Regibus adimatur: quod vnicum, ſed diſertis expreſſum verbis quærimus, nec invenimus. Sed quæ conſecutio hæc: *Sancta Synodus definivit, vt Francus quidam Evangelicæ legis tranſgreſſor in connubio, quod cum Saxonica muliere contraxit, ſubjiciatur pœnitentiæ, ab hac ſecunda conjuge ſeparetur, & ad priorem redire cogatur*: ergo Eccleſia Chriſtianos Principes ſpoliavit illa ſanciendi leges Matrimonium dirimentes poteſtate, quam illis articulo ſuperiori tam multiplici & auctoritate & ratione aſſeruimus, & quam ſuperiori capite liberam atque expeditam demonſtravimus.

Reſpondemus ſecundo, Triburienſe Concilium, quod anno DCCCXCV. Præſules viginti duo tantum celebrarunt, dici non poteſt Eccleſia, quia Eccleſiam vniverſam non repræ-

ſentabat, nec repræſentare poterat.

Reſpondemus tertio hoc Caput ex Tributienſi Concilio non tam depromptum, quam miſere depravatum eſſe, nec, quod magis dolendum, hominum corruptione abutentium cauſam juvare. Triburienſis canon feminæ conditionem omiſit; at Caput iſtud nobilem facit. Canon loquitur de iis *alienigenis, qui conſultu propinquorum legitime vel ſua, vel mulieris lege acquiſitam feminam in vxorem duxerunt.* At Caput ex canone hæc omnia detraxit, quæ civilem in Matrimonium poteſtatem declarant: tantum abeſt, vt de ea imminuenda Concilium cogitarit. Canon habet tantum, *vt tranſgreſſor canonice arguatur.* At Caput canonem ſic auget, *vt tranſgreſſor ſubjiciatur pœnitentiæ, a ſecunda femina ſeparetur, & ad priorem redire cogatur.* Et licet interpretatio canonis in partem canonis venerit; inde tamen non læditur regia in contractum Matrimonii poteſtas. Canones enim, ad quorum amuſſim tranſgreſſor arguendus erat, & qui Triburienſe Concilium præceſſerant, de ordinando Matrimonii contractu, vel de dirimentibus Matrimonium impedimentis nihil caverant. Sed eos, qui ſecundum naturalem, divinam, vel civilem legem non contraxerant, Eccleſiaſtica pœna coercebat.

Porro autem qui vtuntur hoc canone, vt probent quod probandum ſuſcipiunt, ſemel iterum & tertio peccant. Semel quidem peccant in ſe, quid ſit hac in facti quæſtione diſputare, neſcire ſe luculenter oſtendunt. Iterum in cauſam ſuam, quæ Triburienſi canone deſtruitur, non ædificatur. Tertio peccant in Triburienſis Concilii Epiſcopos XXII. quibus quod non fecerint, perperam imponunt; ſcilicet regiæ in civilem Matrimonii contractum poteſtatis abrogationem, quod majoris abollæ crimen eſt.

Caput Multorum relatione cognovimus *objicitur, & diluitur.*

Tertio proferunt Cap. *Multorum relatione cognovimus* ex Decreti II. part. cauſ. XXXV. quæſt. VI. cap. X. ſic illud ſe habet: *Multorum relatione cognovimus, te propriam velle abjicere vxorem, & adhærere alteri, prætendentem conſanguinitatis occa-*

ſionem; vnde Apoſtolica auctoritate interdicendo mandamus tibi, vt hanc, quam nunc habes vxorem, nullatenus præſumas dimittere, vel aliam ducere, donec Epiſcoporum religioſorum Concilium cauſam iſtam examinarit. Hæc Alexander II. ad Guillelmum de Monſtrolio.

Reſpondemus primo, in his verbis nihil eſſe, quo jus ſtatuendorum impedimentorum Matrimonii Chriſtianis aut infidelibus Regibus adimatur; quod vnicum, ſed diſertis expreſſum verbis quærimus, nec invenimus. Sed quæ conſecutio hæc: *Alexander Pontifex II. mandat Guillelmo Monſtrolienſi, ne abjecta priori vxore aliam ſuperducat?* ergo Alexander II. Chriſtianos Principes ſpoliavit illa ſanciendi leges Matrimonium dirimentes poteſtate, quam illis articulo ſuperiori tam multiplici & auctoritate & ratione aſſeruimus, & quam ſuperiori capite liberam atque expeditam demonſtravimus.

Reſpondemus ſecundo, ſi qui primi leges & edicta de conſobrinorum Matrimonio fecerint, & de iis diſpenſaverint, quæratur, hanc forte, de qua agitur, cauſam ab Epiſcopis examinandam fuiſſe ad civilium legum normam comperietur: quo vel vno regia in Matrimonium poteſtas appareret, adeo non abrogaretur. Unde præclare Ivo Carnotenſis ait, *Inſtituta novellarum legum ab Eccleſia Romana ſervari atque mandari.* Sic Pontifex, ſic Epiſcopi, quibus ille cauſam de conſanguinitatis impedimento quod objiciebat, qui vxorem dimittere voluit, examinandam commiſit, Theodoſii vtriuſque & Arcadii Imperatorum legis executores ſe præbent; tantum abeſt vt illam abrogent. Caput iſtud non legerunt qui objiciunt, aut qui eo ad aſſertionis falſæ confirmationem vtuntur. Caput aſſertionem infirmat, non confirmat.

Caput Ex literis. de conſanguinitate *objicitur, & diluitur.*

Quarto proferunt Caput de conſanguinitate & affinitate, quod habet titulus XIV. Decretalium, vbi Alexander III. Caſſinenſi Abbati ſic ſcribit: *Ex literis tuis accepimus, quod cum quidam ſecreto quandam viduam ſubarraſſet, & carnaliter cognoviſſet.* Et infra: *Tandem cum vir paratus eſſet eam in con-*

spectu Ecclesiæ subarrare, surrexerunt duo proponentes, quod iste, qui eam subarrare volebat, priorem virum quarto consanguinitatis gradu attingit. Vnus autem ita se audivisse juravit; alius noluit id juramento firmare. Et infra: *Nunc quæstio 1. revixit, & juraverunt duo coram Archipresbytero Plumbarellæ, quod primus vir fuit superstiti quinto consanguinitatis gradu conjunctus: quocirca mandamus, quatenus vtramque partem ante tuam præsentiam convoces, & facias testes coram se jurare.* Et infra: *Inquisita vero diligentius veritate, si per testes circumspectos omni exceptione majores inveneris, quod primus vir superstitem quarto gradu consanguinitatis attingit, non differas divortii sententiam promulgare. Æque enim vt canones dicunt, abstinendum est a consanguineis vxoribus ac propriis. Ceterum tuam prudentiam volumus non latere, quod non sint causæ Matrimonii tractandæ per quoslibet, sed per judices discretos, qui potestatem habeant judicandi, & statuta canonum non ignorent.*

Respondemus primo, his in verbis nihil esse, quod jus statuendorum Matrimonii impedimentorum Christianis aut infidelibus Regibus adimatur: quod vnicum, sed disertis expressum verbis quærimus, nec invenimus. Atque ita argumentum dilutum est. Sed quæ tandem consecutio hæc: *Causæ Matrimonii non sunt per quoslibet, sed per discretos judices tractandæ?* igitur Alexander III. Regum potestatem ea parte minuit, quæ in ferendis circa Matrimonium legibus versatur. otiose omnino ac ridicule.

Respondemus secundo, Pontificem leges supponere, quæ de gradibus consanguinitatis institutæ sunt, & ad earum normam velle Matrimonium, quo de agitur, dijudicari. At leges illæ suam ab Imperatore Theodosio repetunt originem; & illas sic agendo confirmat. In omnibus consanguinitatis gradibus eadem est ponendi impedimenti ratio, quæ tota ad politicum finem refertur.

Respondemus tertio, qui sint illi judices causarum matrimonialium, definite distincteque non designari; non quoslibet, sed eos tantum qui discreti sint, designari. At qui vtuntur hoc Capite contra Reges, per discretos judices, sacerdotalis ordinis judices intelligunt, quasi sæculi judices discreti non

essent, aut esse non possent. In discretis judicibus hinc judicandi potestas, inde canonum notitia requiritur. Utrumque ad sæculi & sacerdotalis ordinis judicem diversa ratione spectari potest. Ad sæculi judicem, vt videat num secundum leges contractus sit Matrimonium: ad sacerdotalis ordinis judicem, vt pro violatis in contrahendo contra leges Matrimonio, canonicam & convenientem delicto pœnitentiam imponat. Sic vtrique foro, sæculari & sacerdotali, quod suum est, reddetur, & inter vtrumque concordia servabitur.

Ceterum Alexander in suis Responsionibus ad leges passim respectum habet, quas vel sequatur vel interpretetur. Hinc in parte I. appendicis ad Lateranense Concilium capite VI. *Manifestum est eum puberem esse, qui de gesticulatione sui corporis talis est, vt jam procreare possit, licet ad metas legibus definitas non pervenerit.* Deinde in part. IX. cap. II. *Super illa quæstione, qua quæsitum an scilicet mulier possit sine infamia nubere infra tempus secundum leges definitum; sollicitudini suæ respondemus, quod cum Apostolus dicat: Mulier viro suo mortuo soluta est a lege viri sui, in Domino nubat cui voluerit; per licentiam ejus & auctoritatem infamia aboletur.* Sic consultus Pontifex respondet sæculi leges proponendo vel interpretando, & Doctorem privatim agit: tantum abest, vt de abrogandis sæcularium Principum legibus cogitationem vllam suscipiat.

Caput Accedentibus *de excessibus Prælatorum objicitur, & diluitur.*

Quinto producunt Cap. *Accedentibus* de excessibus Prælatorum ex lib. V. Decretalium tit. XXXI. cap. XII. illud autem sic se habet: *Accedentibus ad nos de diversis mundi partibus Episcoporum querelis, intelleximus graves & grandes quorundam Abbatum excessus, qui suis finibus non contenti, manus ad ea, quæ sunt episcopalis dignitatis, extendunt, de causis matrimonialibus cognoscendo, injungendo publicas pœnitentias, concedendo etiam indulgentiarum literas, & similia præsumendo; vnde contingat, quod vilescit episcopalis auctoritas apud multos. Volentes igitur in his & Episcoporum dignitati, & Abbatum providere*

dere saluti præsenti decreto firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia se præsumat extendere, si proprium voluerit periculum evitare, nisi forsan quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa super hujusmodi valeat se tueri.

Respondemus primo, in his verbis nihil esse, quo jus statuendorum impedimentorum Matrimonii Christianis, aut infidelibus Regibus adimatur: quod vel vnicum, sed disertis expressum verbis quærimus, nec invenimus.

Respondemus secundo, adduci neminem posse vt credat, Innocentium III. dum Abbatum excessus corrigit, velle civilem in Matrimonium auctoritatem imminuere, qua tunc Principes non abutebantur: quæ sola causa, si tamen causa, Innocentium merito commovere potuisset.

Respondemus tertio, de iis matrimonialibus causis Abbates judicare, de quibus speciali concessione, vel alia legitima ratione cognoscere poterant. Atqui constituendi dirimentia Matrimonium impedimenta, vel de iis dispensandi Abbatibus nunquam communicata est auctoritas.

Respondemus quarto, ex capite sine controversia vlla colligi, qua in re sita erat causarum matrimonialium cognitio, quam Abbates sibi sumebant in Episcopalis dignitatis præjudicium, *injungendo pœnitentias publicas*; iis nempe qui divinas & civiles in contrahendo Matrimonio leges violaverant aut neglexerant: Episcoporum erat pœnitentias illas injungere, vt Africani canone suo CII. injunxerunt: deinde concedendo indulgentiarum literas, quibus pœnitentiarum injunctarum partem aliquam relaxabant; & hæc relaxatio ad Episcopos, non ad Abbates jure pertinebat. Hoc agitur tantum, non abrogatio potestatis, quam Principes in Matrimonia suorum subditorum habent.

Caput Ecclesia sanctæ Mariæ Novæ *objicitur & diluitur.*

Sexto objiciunt Cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ Novæ*, ex lib. I. Decretalium tit. II. de Constitutionibus cap. X. Audiamus illud: *Nos attendentes, quod laicis, etiam religiosis, super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obse-*

quendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, & cetera quæ piget referre.

Respondemus primo, in his verbis nihil esse, quo jus statuendorum impedimentorum Matrimonii Christianis, aut infidelibus Regibus adimatur: quod vel vnicum, sed disertis expressum verbis quærimus, nec invenimus. Sed quæ consecutio hæc: *Laicis, etiam religiosis, super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis nulla est attributa facultas?* ergo Pontifex Christianos Principes spoliavit illa sanciendi leges Matrimonium dirimentes potestate, quam illis articulo superiori tam multiplici & auctoritate & ratione asseruimus, & quam præcedenti capite liberam atque expeditam demonstravimus.

Respondemus secundo, Abbati & religiosis laicis, de quibus loquitur Pontifex, cum Regibus, opinor, commune nihil esse in ferendis legibus Matrimonium dirimentibus.

Respondemus tertio, verba hæc desumpta esse ex Romano Concilio, quod Gelasius habuit de bonis Ecclesiæ concessis, nec illa verba desumpta tantum, sed insuper interpolata: *Laurentius Mediolanensis Ecclesiæ dixit: Ista scriptura nullum Romanæ civitatis potuit obligare Pontificem, quia non licuit laicis statuendi in Ecclesia præter Papam Romanum habere aliquam potestatem, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.* Et paullo post: *Contra Patrum regulas a laicis, quamvis religiosis, quibus nulla de Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur vnquam attributa facultas, facta videtur*; scilicet scriptura, qua de agitur. Quid autem cum impedimentis Matrimonium dirimentibus, quæ Reges statuere possunt vel non possunt, hæc habent commercii?

Caput Tuam de ordine cognationis *objicitur & diluitur.*

Septimo opponunt Cap. *Tuam de ordine cognationis*, ex lib. II. Decretalium tit. X. cap. IV. Illud autem sic se habet: *Tuam non credimus latere prudentiam, causam natalium Reginæ Cypri ad examen nostrum, vtpote quæ ad forum Ecclesiasticum pertinet, esse delatam.* Et infra: *Quia vero antequam natalium causa terminata esset, dependentem ex illa successione causam incipere ni-*

hil aliud esset, quam diversis processibus intricare negotium, & ordinem perturbare, si forte ab ipsa Regina fueris super hoc requisitus, donec jam dicta causa natalium Apostolico judicio finem acceperit, patienter exspectes. Hæc Honorius III. Ludovico Regi Francorum.

Respondemus primo, in his verbis nihil esse, quo jus statuendorum impedimentorum Matrimonii Christianis, aut infidelibus Regibus adimatur: quod vnicum, sed disertis expressum verbis quærimus, nec invenimus. Sed quæ consecutio hæc: *Causa natalium Reginæ Cypri ad forum Ecclesiasticum pertinet?* ergo Honorius Christianos Principes spoliavit illa sanciendi dirimentes Matrimonium leges potestate, quam illis articulo superiori tam multiplici & auctoritate & ratione asseruimus, & quam præcedenti capite liberam atque expeditam demonstravimus.

Respondemus secundo, causam natalium non alibi, quam apud sæculares judices in Gallia ventilari. Hac quidem de re sic disserit Durandus in IV. sent. dist. XLI. quæst. III. *Alii dicunt, quod in terris non subjectis temporali dominio Papæ legitimatio facta per eum non valet quoad successionem, quæ est præjudicialis legitimo heredi, licet valeat quoad actus spirituales & dignitates Ecclesiæ; & hoc de facto tenuit in regno Franciæ. Quin primogenitus Comitissæ Flandriæ legitimatus per Papam non successit in Comitatu, sed alius minor, qui erat legitimus.* Quo autem jure causa natalium in terris Ecclesiæ non subjectis ad Ecclesiasticum forum pertinuerit, proprio, an adscititio, atque ex voluntaria subjectione alterius, nunc non disputo; disputat vero Innocentius III. Honorii decessor in Cap. *Per venerabilem. qui sint legitimi filii.* Igitur ad Ecclesiæ forum pertinere aliquid potest, vel qua spiritualem, vel qua temporalem jurisdictionem exercet. At natalium restitutio, si quando spectat ad forum Ecclesiæ, qua temporalem jurisdictionem exercet, spectat. Regina Cypri potuit se foro Romanæ curiæ subjicere; sed inde non concluditur, quod restituere aliquem natalibus, vel spurium ingenuitatis jure donare ad forum Ecclesiasticum ex se pertineat, nisi Ecclesia, de qua est quæstio, sit totius orbis Christiani domina. Quo in casu

de ingenuitate, de successionibus, & de hereditatibus judicaret. Sed quis hoc vniversim Romanæ curiæ tribuat?

Canon XII. *sessionis* XXIV. *Conc. Tridentini objicitur, & diluitur.*

Octavo proponunt ex Concilio Tridentino canonem XII, sess. XXIV. *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, anathema sit.*

Respondemus primo, in his verbis nihil esse, quo jus statuendorum impedimentorum Matrimonii Christianis aut infidelibus Regibus adimatur: quod vel vnicum, sed disertis expressum verbis quærimus, nec invenimus. Sed quæ consecutio hæc: *Ex Tridentino Concilio causæ matrimoniales spectant ad judices Ecclesiasticos?* ergo hoc Concilium vel Ecclesia, vt aiunt, Christianos Principes spoliavit illa potestate, quam & communis Doctorum opinio, & Pontifices ipsi tam necessariam in Principibus existimarunt, vt articulo superiori ostendimus.

Respondemus secundo, ex Adamo Tannero disp. VIII. de Matrimonio, quæst. VII. *Non plus definiri hoc canone, quam Capite* Tuam de ordine cognationis. Tum ex Joanne Sotheallo Theologo, & Horatio Lucio Jurisconsulto, eadem hoc canone definiri, quæ Capite *Multorum.* XXXV. *quæst.* VI. *cap.* I. & Capite *Accedentibus, de excessibus Prælatorum.* At in tribus istis Capitibus nihil omnino contra regiam in Matrimonium potestatem definiri mox vidimus; & certe de abroganda Principibus sanciendi dirimentes Matrimonium leges auctoritate nulla propositio, nulla consultatio habita est in Concilio. Quod observasse, ductam ex hoc canone objectionem diluisse est.

Respondemus tertio, ex Bellarmino & aliis matrimoniales causas tria in genera dividentibus sequi, hoc canone nihil esse definite definitum, cum quasdam matrimoniales causas ad Magistratum politicum pertinere concedant, de quibus tamen judices Ecclesiasticos alias judicasse Decretalium libri docent. Quo fit, vt data matrimoniales causas in diversa genera partiendi libertate, alius poterit illas in duo tantum genera distribuere; in politicas scilicet, & spiritales. Politicæ sunt, quæ ad disponendum contractus matrimonialis valorem

concurrunt, quæque eædem semper essent, tametsi Sacramenti ratio nulla contractui Matrimonii superadderetur: cujusmodi sunt causæ, quæ ad dirimentia impedimenta, ad dotes, successiones & hereditates spectant. Spiritales vero sunt quæ vel ad Matrimonium, qua Sacramentum est, pertinent, vel quæ ex legum ad contrahendum institutarum violatione sequuntur. Siquidem peccata, quæ ex violatis legibus civilibus emergunt, in foro conscientiæ Ecclesiasticos judices respectant: illorum enim est in eo foro pro tali peccatorum genere pœnitentiam imponere, & si necesse est, Sacramentorum communione privare. At hæc spiritalium causarum genera duo ad Ecclesiasticum tribunal spectant. De matrimonialibus autem his causis, non de aliis, & ipsa rei natura, & rerum quæ ad fidem pertinent, definiendarum conditio canonem esse intelligendum declarant. Quæ omnia confirmantur ex superiori capite, vbi declaratur quid de jure Principum in sanciendis impedimentis Matrimonii sentiant ii Doctores, qui Tridentino Concilio interfuerunt.

CAPUT IV.

Deducta quædam ex objectionibus superioris capitis observationes explicantur.

AD illustriorem superioris capitis notitiam necessarium, nedum ad veritatem vtile visum est, observationes nonnullas ex objectionibus, quas præcedenti capite proposuerunt adversarii, deducere, & apertam in lucem prodere.

OBSERVATIO PRIMA EST.

Auctores illi, quos in hac facti quæstione ex ipsa rei gestæ ignorantia lapsos esse vidimus, inter se non conveniunt de tempore, quo jus statuendorum Matrimonii impedimentorum Principibus ab Ecclesia, vt loquuntur, vel a Romano Pontifice fuisse

ademprum docenr. Etenim alii tam grande facinus in Gregorium I. rejiciunt; & sic per annos a Christo sexcentos, Reges & Principes suo, nec alieno, proprio, nec aliunde per sacerdorale privilegium accepto jure vsos fuisse concedunt. Alii in Alexandrum II. & sic per annos a Christo mille & eo amplius, Reges & Principes suo, nec alieno, proprio, nec aliunde per sacerdotale privilegium accepro jure vsos fuisse concedunt. Alii in Innocentium III. & Honorium Innocenrii successorem, & sic per annos a Christo mille & ducentos & eo amplius, Reges & Principes suo, nec alieno, proprio, nec aliunde per sacerdotalo privilegium accepto jure vsos fuisse concedunt. Hæc autem cum ita sint, ex objectionibus superioris capitis, licet illæ ad arbitrium adversariorum concluderent, apparet inprimis Reges & Principes, qui jus statuendorum Matrimonii impedimentorum sibi nunc vendicarent, suum profecto, & ad retinendam inter subditos pacem necessariam, sibique a Christo Sacramentorum auctore, Apostolis, Apostolicisque viris relictum jus vendicare: tum & apud primos Ecclesiarum Magistros, & apud eos, quos impugnamus, Theologos tanti non fuisse, si capiant, inditam a Christo in Matrimonium Sacramenti dignitatem, vt ad auferendam Regum potestatem sola sufficeret.

OBSERVATIO SECVNDA.

Qui vtuntur Capite *Euphemium* ad suam assertionem, sic disputant: Lex civilis infamiæ notat eos, qui ad secundas nuptias transeunt, seu, vt alii objiciunt, mulieres, quæ nondum expleto post viri mortem anno nubunt alteri: ergo cum Gregorius I. eos non effici infames decernat, jus statuendorum Matrimonii impedimentorum auferr Regibus, non infidelibus quidem, sed Christianis.

Qui vtuntur Capite *De Francia*, sic quoque disputanr: Triburiensis Synodus decernit, vt qui dimissa vxore, quod non sua, sed illius lege eandem duxerat, aliam superduxit, vti Evangelicæ legis transgressor pœnitentiæ legibus subjiciatur, a secunda femina separetur, & ad priorem redire cogatur:

ergo Ecclesia, vt dicunt, seu Triburiense Concilium Christianis Principibus jus statuendorum Matrimonii impedimentorum abrogavit. O ridicula collectio!

Qui vtuntur Capite *Multorum*, sic etiam disputant: Alexander II. Guillelmo de Monstrolio mandat, vt quam habet vxorem nullatenus præsumat dimittere, vel aliam ducere, donec Episcoporum religiosorum Concilium causam istam examinarit: ergo Pontifex iste jus statuendorum Matrimonii impedimentorum abstulit Principibus omnibus, præterquam ethnicis. O miserrima collectio!

Qui vtuntur Capite *Accedentibus*, sic quoque disputant: Pontifex vetat, ne Abbates de causis matrimonialibus cognoscant, nisi ex speciali concessione, vel alia justa de causa: ergo Pontifex jus statuendorum Matrimonii impedimentorum Regibus omnibus Christianis in persona vnius privati hominis ademit. O absurda collectio!

Qui vtuntur Capite *Ecclesia sanctæ Mariæ novæ*, sic disputant: Laicis etiam religiosis super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis nulla est attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi: ergo Innocentius III. dum sic ad Abbatem sancti Silvestri de Urbe, super rebus & possessionibus Monasterii scribit, jus statuendorum Matrimonii impedimentorum Regibus omnibus eripuit, nisi forte paganos excipias. O perversa collectio!

Qui vtuntur Capite *Tuam*, sic argumentantur: Causa natalium Reginæ Cypri Honorii III. judicio terminata est, vel ad forum Ecclesiasticum pertinet: ergo vniversa per hunc Pontificem Ecclesia jus statuendorum Matrimonii impedimentorum Principibus, & cuilibet politicæ societati abrogavit, idque cum ad vnicum Galliæ Regem super causa natalium Reginæ Cypri scriberet. Quam otiose!

Qui vtuntur Canone XII. sess. XXIV. Trid. Conc. sic quoque argumentantur: Concilium anathema decernit in eos, qui dicunt causas matrimoniales ad judices Ecclesiasticos non pertinere: ergo Concilium jus statuendorum Matrimonii impedimentorum Christianis Regibus abstulit, sed non ethnicis. Sed cur Christianis potius quam ethnicis; licet Conci-

lium inter eos non distinguat; quia vnum placet, aliud vero non placet. Deinde anathema decernitur in Bellarminum & alios qui matrimoniales causas de dotibus, de successionibus, & de hereditatibus ad politicos Magistratus spectare concludunt. Tum idem quoque anathema decernitur in eosdem, qui matrimoniales causas de impedimentis Matrimonii ad politicos Magistratus cum subordinatione ad Ecclesiasticos asserunt pertinere posse. Harum porro ratiocinationum quanta sit vanitas, dici non potest; sed post singulas recte quis cum Hieronymo non exclamaret? *O epicitharisma post fabulam!* Tot absurdas animis, & tot absonas auribus complexiones, nemo vidit, aut visurus est vnquam.

OBSERVATIO TERTIA.

Ex vna vnius Honorii III. Papæ ad vnum Ludovicum Francorum Regem epistola, verborum potius officiis, quam decretorio stilo exarata, & in alieno ab ea, quæ nunc movetur causa, negotio conscripta colligunt, non vnum tantum Galliæ Regem, sed Angliæ, Hispaniæ, immo Europæ, Asiæ, Africæ, & novi, si vultis, orbis Reges, si Christiani forent, omnes jure statuendorum Matrimonii impedimentorum spoliatos esse; sicque tam sontes, quam insontes Principes pari pœna puniri concludunt. Aut toti theatris nihil explodetur vnquam, nisi conclusio hæc explodatur.

OBSERVATIO QVARTA.

Cum delectu capienda sunt ea, quæ ad episcopalem dignitatem aliquando pertinere dicuntur. Neque enim omnia semper credenda sunt primigeniæ & jure divino vel Apostolico sancitæ dignitatis. Fecit olim Episcoporum dignitas, vt Principes multa ipsis exequenda commiserint: vnde postea dici aliqua ratione potuerint ad episcopalem dignitatem attinere. *Omnes causæ*, inquit Theodosius, *quæ vel prætorio jure vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ perpetuo stabilitatis jure firmentur, nec liceat vlterius retractari negotium,*

gotium, quod Episcoporum sententia deciderit. Certum est Episcopos vel Ecclesiasticos judices de dotibus quondam, de successionibus, & de hereditatibus judicasse; nec minus certum, de his rebus judicium ad illos jure divino vel Apostolico non spectasse. Hæc si bene capiatur observatio, difficultatibus permultis finem imponet, & obstabit, quominus concessæ quædam a Principibus sacerdotali ordini prærogativæ Principum auctoritati noceant.

OBSERVATIO QVINTA.

Dum legitur in Decreto aut in Decretalium libris causam aliquam ad forum Ecclesiasticum pertinere, non est continuo concludendum, eam ex se suaque natura referri ad illud forum. Sed videndum, an ex se, vel ex Principum concessione tacita vel expressa referatur. Alioqui tres jam laudati Pontifices, Alexander, Honorius & Innocentius, fœda inter se contradictione pugnarent, dum illi duo causam Reginæ Cypri & matris Regis Anglorum ad forum Ecclesiasticum spectare pronuntiant; hic vero definit, se non posse, nisi in terris Romanæ Ecclesiæ subjectis, quemquam natalibus jure proprio restituere.

OBSERVATIO SEXTA.

Qui tam futilibus, vt visum est, argumentis jus statuendorum Matrimonii impedimentorum Principibus ab Ecclesia, vt loquuntur, vel ab Romano Pontifice sublatum esse tradunt, gravissimam Regno & Sacerdotio injuriam faciunt. Regno quidem, cum jure naturæ & gentium quæsitam Regibus potestatem, & omnino ad regendum populum necessariam gratis & sine vera & solida ratione adimunt: Sacerdotio vero, cum Romano Pontifici, vel Ecclesiæ, qua primi & secundi ordinis Sacerdotum & Clericorum cœtus est, facinus execratione omni dignum attribuant. Primum, quia nonnullis Pontificum rescriptis, quæ ad privatos, vt plurimum, & proletarios homines spectant, Christianorum Regum omnium au-

ctoritatem in Matrimonia nunc restrictam & truncatam, nunc ademptam esse docent. Deinde, quia Christianos Reges omnes inauditos jure suo privatos esse affirmare audent. Notum est illud Senecæ in Medea:

Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.

Atque hoc ab Ecclesia, quam appellant, vel a Romano Pontifice insupethabitum esse fateretur, necesse est. Tum quia Christianorum Regum omnium conditionem faciunt miseriorem conditione lixarum & calonum, qui indicta causa non condemnarentur. Denique, quia exemplum Christi spernitur, qui Sacramentorum auctor cum fuerit, Principum auctoritatem non minuit; de quo canit Ecclesia: *Non eripit mortalia qui regna dat cælestia.*

OBSERVATIO SEPTIMA.

Qui Theologi hac in re certa quædam Pontificum rescripta objiciunt, non objecissent, si eos aluisset schola Romanæ Ecclesiæ. Nimirum illius Pontifices, Sixtus III. Leo I. & Silvester II. qui quæ Romanorum Pontificum Decreta in auctoritatem recipienda sint, ita docent:

Primus in epistola ad Illyrici Episcopos: *A canonum præceptis vestrum nemo discedat, quæ juxta regularum ordinem frequens ad vos directa Sedis Apostolicæ decrevit auctoritas.* In collectione Romana bipartita.

Alter in epistolæ 1. ad Episcopos Campaniæ, capite v. *Ne quid vero sit, quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.*

Tertius in epistola ad Seguinum Senonensem Archiepiscopum: *Sit lex communnis Ecclesiæ Catholicæ, Evangelium, Apostoli, Prophetæ, canones spiritu Dei constituti, & totius mundi reverentia consecrati, & Decreta Sedis Apostolicæ ab his non dis-*

cordantia. Eundem ad finem spectant decretalia constituta de Ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata disciplinis, & Decreta Sedis Apostolicæ a canonibus spiritu Dei constitutis non discordantia, de quibus fit sermo in Romano Pontificali, cum ordinandus Episcopus sic interrogatur: *Vis traditiones sanctorum Patrum, ac decretales sanctæ & Apostolicæ Sedis constitutiones veneranter suscipere, docere ac servare.* De quibus, inquam, fit sermo, non de iis quæ canonibus spiritu Dei constitutis derogarent in perpetuum, si quæ tales, quod non credimus, invenirentur. At Caput *Euphemium*, etiamsi subdititium non esset, quod Gregorio I. tribuitur: Caput *Multorum relatione cognovimus*, quod Alexandro II: Caput *Accedentibus, de excessibus Prælatorum*, quod Innocentio III. Caput *Ecclesia sanctæ Mariæ novæ*, quod eidem Innocentio III. Caput *Tuam de ordine cognationis*, quod Honorio III. Decreta cum non sint ex sacris promulgata canonibus, in certam auctoritatem recipi necesse non est, Sixto III. Leone I. & Silvestro II. decernentibus. Hoc animadvertimus in opinione eorum Theologorum, qui putant Gregorium I. Alexandrum II. Innocentium III. & Honorium III. in suis ad varias consultationes responsionibus, vel, vt volunt, Decretis scopum ferire, quem reipsa non feriunt: hoc est, jus statuendorum Matrimonii impedimentorum Principibus auferre.

OBSERVATIO OCTAVA.

Bene ac sapienter monet Joannes Chrysostomus in homilia de verbis Hieremiæ, cap. x. prætermittendum nihil esse, quod ad indagationem veritatis vsui esse possit. Monitioni huic obsequimur, & relata ex Decreto Gratiani, & Decretalibus Gregorii IX. capita ad regulam, quam Bellarminus auctor minime suspectus posuit in libri IV. de Romano Pontifice capite V. *Summus Pontifex errare non potest in Decretis morum, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur, & quæ in rebus necessariis ad salutem, vel etiam in iis, quæ per se bona vel mala sunt, versantur. Dicimus primum non posse errare Pontificem in iis præceptis, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur, quia, vt supra diximus, in*

præceptis & judiciis particularibus non est absurdum Pontificem errare. Addimus secundo, quæ in rebus necessariis ad salutem, vel per se bonis aut malis versantur, quia non est erroneum dicere, Pontificem in aliis legibus posse errare, nimirum superfluam legem condendo, vel minus discretam. At Pontifices, Gregorius I. Alexander II. Innocentius III. & Honorius III. in relatis capitibus seu veris seu falsis nihil toti præscribunt Ecclesiæ, vt ex lectione capitum apparet; & eam ob causam Gregorius I. scribens ad Joannem Corinthiorum Episcopum; Alexander II. scribens ad Guillelmum Monstroliensem; Innocentius III. scribens ad Ecclesiam sanctæ Mariæ novæ; & Honorius scribens ad Ludovicum Regem Galliæ, cum errare potuerint: non est quod eorum stetur judicio, tametsi fecissent quod non fecerunt; scilicet quod jus statuendorum Matrimonii impedimentorum Principibus abstulissent. Deinde ad salutem non est necessarium, quod Principes illo jure priventur. Quæro, si Pontifices illi legem de privandis jure suo Principibus tulissent, non esset erroneum dicere, Pontifices in condenda lege ista erraffe, vel quia superflua, vel quia minus discreta erat. Bellarmini verba sunt. Porro autem cum Bellarmini propositione, tanquam certa regula vtor, ad hominem & curiæ Doctores vtor; cum illa nova sit, & antiquis Ecclesiæ Patribus incognita, nec vllo nitatur Scripturæ testimonio, quod juxta vnanimem consensum Patrum intelligatur, vt intelligi debet, decernente Tridentino Concilio in sess. IV. cujus verba in juramentum professionis fidei sic transierunt. *Item sacram Scripturam juxta eum sensum quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam, nisi juxta vnanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.*



CAPUT V.

Sumptum ex abrogatis legibus politicis argumentum objicitur & diluitur.

SUNT vero qui vt probent, nullum amplius penes Reges residere jus sanciendarum legum, quæ Matrimonia diriniant, tale contra eos comparant argumentum. Multæ leges civiles, quæ ab Imperatoribus & Regibus de causis matrimonialibus latæ sunt, per canonicas abrogatæ reperiuntur. Igitur sæculares Principes non possunt statuere leges Matrimonia dirimentes. Catharinus ad antecedens respondet, *videndum esse, qua ratione confecti sint isti canones, quibus civile jus abrogetur. Oportet enim canones civilem legem aliquam irritantes ab aliqua solida ratione proficisci; nulla vero potest esse alia ratio, nisi quia forte viderint, quod a lege civili constitutum erat, vel contra jus divinum esse, vel contra jus naturale.* At profecto nullus est, qui canonem ea de causa conditum proponat. Antecedens fictum est; & in academia volatica formatum.

Deinde *abrogatas esse leges per canones*, ponitur pro arbitrio; non probatur, sic abrogata lex nulla in medium editur: & quamvis aliqua ederetur, quærendum tunc esset diligenter, num consentientibus vel dissentientibus Christianis Principibus abrogata esset. Nam si Christiani Principes abrogationi consensissent, enervis & cassa foret objectio: si vero dissensissent, captu non erit facile, quo modo Christiani Principes dici poterunt hinc custodes canonum, inde defensores Ecclesiæ, vt a Patribus & Conciliis dicuntur? Eruntne custodes canonum, per quos illorum leges abrogarentur? Eruntne defensores Ecclesiæ, in qua tam inciviliter tractarentur? Hoc, Deus immortalis! maximum & custodiæ canonum incitamentum est & defensionis Ecclesiæ! Dedignati sunt ad hoc oculos adjicere, qui argumentum depromunt ex abrogatis legibus Principum Christianorum.

Ad consequens autem quod attinet, respondemus illud nullum penitus esse, immo indignum, quod vel ab infantissimo dialectico deducatur. Et revera quamvis concederetur, leges Principum, si quæ sint in perniciem naturalis & divini juris latas posse per canones abrogati; indene continuo removetur a Principibus auctoritas justam in eadem etiam materia, vbi peccatum est, legem ferendi? Sic tamen argutantur, qui ex lib. V. Decretalium tit. XVII. cap. VII. Caput *Accedens, de raptoribus*, opponunt, si modo Innocentium III. id eo capite quod volunt efficere consentiremus; scilicet Pontificem statuere, inter raptorem & raptam valere Matrimonium, quod legibus civilibus non valere decernitur. Verum opponentium ἀβλεψίαs redarguet ipsa capitis lectio: *Accedens ad Apostolicam Sedem.* Infra: *Rapta puella legitime contrahet cum raptore. Si prior dissensio postmodum transeat in consensum, & quod ante displicuit, tandem incipiat complacere; dummodo ad contrahendum legitimæ sint personæ.* Pontifex in respondendo, consultoris potius quam judicis personam gerit, vt apparet. Lex civilis edicit Matrimonium raptorem inter & raptam initum nullum esse; Pontifex vero respondet id conjugii genus valere posse, & raptam puellam legitime cum raptore contrahere, si modo prior dissensio transeat in consensum, & quod antea displicuit, tandem incipiat placere. At istud quid aliud est, quam civilem legem adversus raptores confirmare, & nova, si opus foret, declaratione munire?

Noverat quippe Innocentius labentium temporum cursu, & tacita Principum voluntate antiquum politicarum legum rigorem ita ætate sua remissum esse, vt non amplius in perpetuum raptori cum rapta conjugium interdiceretur.



CAPUT VI.

Sumptum ex Pontificiis dispensationibus argumentum objicitur & diluitur, & simul iis epocha designatur.

HOc aliud alii proponunt argumentum, vt putant, validissimum: *Non Reges & Principes, sed Pontifices de institutis humano jure impedimentis dispensant. Igitur non Reges vel Principes, sed Pontifices jus habent statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.*

Respondemus primo, retorta in adversarios ratiocinatione pari: Non Pontifices olim; sed Reges seu Principes dispensabant de impedimento consanguinitatis. Igitur non Pontifices, sed Reges seu Principes jus habent statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, cum non sit potior ratio impedimenti vnius, quod est consanguinitas, quam alterius. Quod autem Reges olim seu Principes de impedimento consanguinitatis dispensaverint, dispensandi formulæ docent, quas articulo superiori cap. XI. retulimus. Hæc autem ratiocinatio eo est validior, quo ex antiquiori doctrina & disciplina, quæ a nullo Pontifice reprehensa fuit, repetitur; & revera antiquitas inter præcipuas Ecclesiæ, ac proinde doctrinæ & disciplinæ notas a Catholicis Doctoribus collocatur.

Respondemus secundo, ejus esse aliquam legem solvere, cujus est eandem legem constituere; sed ex illis Theologis, quorum testimonia in articulo I. per plura capita descripsimus, Principes impedimenta Matrimonium dirimentia constituere saltem poterant, antequam illorum judicio potestas constituendi hæc impedimenta Principibus auferretur: igitur & tunc impedimentorum lege solvere poterant. Hac autem re nihil est evidentius.

Respondemus tertio, ex mente illorum Theologorum, quorum auctoritates & rationum momenta in articuli II. cap. II. recensuimus: Reges, inquiunt, hodieque possunt

impedimenta Matrimonium dirimentia constituere: igitur & hodieque talem impedimentorum immunitatem dare possunt. Hac quoque re nihil est evidentius: *Sanissimi quique Theologi*, inquit Matthæus Galenus, *non arbitrantur tantum penes Ecclesiam esse jus personas ineptas* (ad conjugium) *decernendi, verumetiam Regibus Imperatoribusque potestatem ducendarum cognatarum faciendi, quoties id rerumpublicarum utilitas tranquillitasque postularit.*

Non debent, inquit Petrus Sotus, *Prælati Ecclesiæ gravate suscipere, si quid temporali paci viderint necessarium, sæculares Principes statuant, nec est cur illis se opponant; sed permittant potius Matrimonium legibus humanis ordinandum, cum officium humanum sit; & addant postea ipsi, si videbitur, quod ad bonum religionis pertinet, quanquam civiles leges in his omnibus ex pietate certe, & voluntate Principum cesserint Ecclesiæ. Non est tamen vel legi, vel consuetudini Reipublicæ auferendum, ut illegitimos aliquos reddere, si velint, possint; sed potius, si opus foret, confirmandum esset ab Ecclesia.*

Respondemus quarto, rara esse Pontificiæ in vetitis consanguinitatis gradibus ante annos sexcentos dispensationis exempla, immo nulla, si Joanni Marianæ non ignobili Hispanorum historico credamus. *Alfonsus*, inquit libro X. hist. cap. VIII. *Urracam uxorem a patre tertio propinquitatis gradu attingebat. Nondum moribus receptum erat, ut Pontificum Romanorum venia lege cognationis soluta, conjugia inter cognatos coirent: itaque passim consideramus per hæc tempora connubia Principum dirempta esse cognatione inter conjuges illegitima injustaque. Hanc unam arbitror esse causam, cur Alfonsus hic in nullo Castellæ Regum numero ponatur apud veteres scriptores.* Deinde in libro XI. cap. XI. *Urraca ipsa quod cognatione devincta esset, a viro repudiata: hæc via dissolvendis conjugiis inventa erat, offensione inter conjuges nata. Nondum enim interpretando sibi quisque leges de Matrimoniis aptas faciebat; neque enim venia Pontificum solvebantur.*

Quam epocham Mariana huic Pontificum veniæ fixit, Petrus Cellensis Abbas illustrat, dum in libri VI. epistola III.

ad

ad vnum e Cardinalibus ita scribit: *Vna sua Christus amplissima & generalissima regula omnes tam praecedentium, quam subsequentium Catholicorum Patrum sanctissimas sanctiones compendiose includit, dicens de dilectione Dei & proximi: In his duobus tota lex pendet & Prophetae. Revocanda igitur omnia, quae sunt in Ecclesia Dei, ad hanc gratissimam regulam; quia quidquid ab ea discordat, a spiritu pacis & caritatis non manat. Inde est, Pater venerande, quod dispensationes quarundam institutionum non indigne admittantur pro majori & meliori recompensatione. Volumus igitur vobis notificare quanta mala & quanta hominum strages in terra nostra ex guerris quorundam nobilium hominum, videlicet Comitis Wischardi de Ruzcio, & Comitis Recensis, atque Hugonis de Petri-Ponte, diebus nostris & antecessorum nostrorum acciderunt. Homines innumerabiles tam occisi, quam capti & redempti sunt, & novissima damna sustinuerunt: religiosae domus depraedatae sunt, & multa alia mala provenerunt; interventu tandem bonorum & sapientum & religiosorum Matrimonia inter se contrahere disposuerunt, vt saltem isto nexu confoederati inter se pacem tenerent & haberent. Penset itaque vestra discretio, vt si quid de gradu consanguinitatis obstat, pro bono pacis, & pro tantorum malorum recompensatione, quaecunque fieri potest, a domino Papa non recusetur dispensatio.* Haec ille beato Bernardo aequalis; sed illi multum supervixit. Ex verbis igitur epistolae satis apparet, nondum visu receptum esse, vt Romanus Pontifex daret veniam, qua consanguinei Matrimonium inter se contraherent. Quorsum enim Cellensis eas adhiberet rationes quas adhibet tanto cum studio, & tanta cum diligentia? Quorsum adferret generalem illam Christi regulam, qua Catholicorum Patrum omnium constitutiones sanctissimae quaeque summatim includuntur? *Diliges Dominum Deum tuum & proximum tuum. In his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetae.* Quorsum ex illa regula colligeret dispensationes *quarundam institutionum admitti non indigne pro majori & meliori recompensatione?* Quorsum adduceret diuturna bella, depraedationes, & alia id genus mala, quae ex bellis nascuntur? Quorsum haec omnia, nisi vt Romanum Pontificem ad dandam contrahendi inter consanguineos Matrimonii veniam incli-

net, quem difficile inclinari videbat, nisi quod tunc veniæ hujusmodi non esset vsus, qui postea fuit, & nunc est vsus? Quare, si vera est epocha hæc, quæ Pontificiis in hoc genere dispensationibus ponitur: quæro nunc, quis ante illam dabat veniam, vt consobrina legitima fieret vxor? Ii scilicet, qui Theodosio legislatori successerant. In Italia veniam dedisse Reges, docet ipsa veniæ dandæ formula, quam ex Cassiodoro retulimus in articuli I. capite XI. Et sane Gregorius cum annis post Cassiodori excessum fere quadraginta passus est, vt Anglorum natio lege *Celebrandis* vteretur, in vetitis gradibus veniam nullam dedit: quia lex *Celebrandis* vetitos per Theodosii legem gradus abrogaverat. Quid ergo fecit, non moror. Usum legis *Celebrandis*, vsui Theodosianæ legis duntaxat antepofuit: quod facti genus veræ propriæque dispensationis notionem haud importat.

Zacharias annis post excessum Gregorii centum triginta quinque aut sex ea scribit ad Bonifacium Episcopum, quibus data omnis venia rejicitur: *De illo namque qui viduam avunculi sui, quæ & ipsa fuit vxor consobrini sui, & sacrum velamen habere monstrata est, & a beatæ memoriæ prædecessore nostro sibi licentiam concessam esse divulgavit, vt eam in pernicioso Matrimonio assumere debuisset: absit, vt hoc prædecessor noster ita credatur præcepisse. Non enim ab hac Apostolica Sede illa diriguntur, quæ contraria esse Patrum seu canonum institutis invenirentur.*

Gregorius VII. Zachariam sequitur, & annis post hujus excessum trecentis decem & octo paria scribit in libri II. epistola L. ad Sancium Aragoniæ Regem: *Et quia venerandi canones ad Sacerdotii gradum tales provehi contradicunt, probare eos non satis cautum fore putavimus, ne quidquam a nobis contrarium sanctis Patribus in exemplum & auctoritatem posteris relinquatur. Solet enim sancta & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tolerare; sed nunquam in suis decretis & constitutionibus a concordia canonicæ traditionis discedere.* Ex postrema periodo colliguntur veniæ dandæ genera duo, quibus aliquid fieri permittatur. Unum est, venia legis infractæ, quæ his verbis designatur: *Solet sancta & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tolerare;* quia quod perperam factum est, necessario to-

lerari debet. ſed illud pœnitentia indicta purgandum eſt ab eo, qui legem infregit. Hoc autem veniæ dandæ genus ſemper viguit in Eccleſia: quia, qui leges violarent, nullo vnquam tempore defuerunt. Alterum, venia legis infringendæ, & hoc genus Gregorius perinde vt Zacharias Sedi Apoſtolicæ abjudicat, cum ait: *Sed nunquam in ſuis decretis & conſtitutionibus ſolet a concordia canonicæ traditionis diſcedere*; & ſiquando, & ſicubi diſceſſum eſſet ab aliquo deceſſore Pontifice, id Gregorius ſubreptioni deputaret. Sic in libri I. epiſtola XXXIII. ad Fratres Monaſterii ſanctæ Mariæ in diœceſi Dordonenſi. *Veniens*, inquit, *ad noſtram præſentiam frater Benedictus, quem poſt obitum Patris Vberti religio veſtra ſibi præelegit in Abbatem, detulit nobis quoddam privilegium, quod beatæ recordationis prædeceſſoris noſtri Alexandri nomine titulatum invenimus, quod ratum non eſſe manifeſtiſſimis deprehendimus indiciis, corruptione videlicet Latinitatis, & diverſitate canonicæ auctoritatis.* Ratum igitur non erat, & proinde ſubreptitium, quia ſacris canonibus adverſabatur,

Sic in libri VII. epiſtola XXIV. ad Guillelmum Hirſaugienſem Abbatem: *Privilegium autem quod bonæ memoriæ prædeceſſor noſter Alexander contra ſanctorum Patrum ſtatuta aliqua ſubreptione vel deceptione inductus eidem loco fecit, nos canonicæ correctionis ſententia per Apoſtolicam functionem vtentes infirmamus.* Sic Gregorius aſſerta per ſeipſum veniæ dandæ genera duo confirmat, vt ea nullus alius, niſi me mea fallit opinio, labefactet.

Atqui hæc ſunt, quæ pertinent ad rei hiſtoriam, quæ corrigenda eſſet, ſi Pontificiarum in gradibus vetitis diſpenſationum vſus eo, quem Mariana deſignat apud idoneos auctores, vetuſtior oſtenderetur.

Nunc ad propoſitum initio argumentum revertimur. Reſpondemus quinto, Pontificiæ veniæ vſum habuiſſe præterpropter initium, quo tempore Romana Curia de dotibus, de ſucceſſionibus, de hereditatibus, de reſtitutione natalium, de donationibus inter virum & vxorem, deque rebus aliis, quarum beatus Bernardus meminit, ſcribens de Conſideratione ad Eugenium III. judicavit, & varia ad varias conſultationes

responsa dedit. Sub illud tempus Rex Galliæ Philippus Augustus ad Romanam Curiam confugit, vt ea nothos quosdam suos natalibus restitueret: sine mora restituit. Quo autem id jure factum sit, Innocentius III. in cap. *Per venerabilem. Qui sint legitimi filii?* declarat: *Insuper cum Rex (Galliæ) superiorem in temporalibus minime recognoscat, sine juris alterius læsione, in eo se jurisdictioni nostræ subjicere potuit, in quo videretur aliquibus, quod per seipsum, non tanquam pater cum filiis, sed tanquam Princeps cum subditis suis potuit dispensare.* Sic potuit Alfonsus Rex Hispaniæ facere, cum id fecit, quod Mariana literis prodidit: nec dubito quin sapiens historicus ingenuam Innocentii III. confessionem sibi ante oculos statuit, cum novum disciplinæ genus in Alfonso notari voluit.

Ceterum, vt dicam quod sentire debeo, hodiernus Pontificiarum dispensationum vsus in tantum laudandus mihi videtur, in quantum integritas & innocentia singularis intelligi possunt. Adscribo Tridentinæ Synodi Decreta, quæ hoc modo Romana exequitur Curia, ex sessione XXIV. in Decreto de reformatione Matrimonii: *In contrahendis Matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.* Deinde ex sessione XXV. de reformatione, cap. XVIII. *Sicuti publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, vt plenius evenientibus casibus & necessitatibus pro communi vtilitate satisfiat: sic frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum rerumque delectu petentibus indulgere, nihil aliud est quam vnicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant vniversi, sacratissimos canones exacte ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit indistincte observandos; quod si vrgens justaque ratio, & major quandoque vtilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse. Id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis a quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum, aliterque facta dispensatio* SUBREPTITIA *censeatur.* Cum Tridentini Patres, & cum primis Sedis Apostolicæ legati decernunt hæc omnia, respectum habent sine dubio ad id, quod Concilium delectorum Cardinalium Paulo III. ita suggesserat: *Illud vero ante om-*

nia, beatissime Pater, putamus statuendum esse, vt dicit Aristoteles in Politicis: Sicut in vnaquaque republica, ita & in hac Ecclesiastica gubernatione Ecclesiæ Christi, hanc præ omnibus legem habendam, vt quantum fieri potest leges serventur; nec putemus nobis licere dispensare in legibus, nisi vrgenti de causa & necessaria. Nulla namque perniciosior consuetudo in quavis republica induci potest, quam hæc legum inobservantia, quas sanctas majores nostri esse voluerunt, earumque potestatem venerandam & divinam appellarunt. Scis tu hæc omnia, optime Pontifex; legisti jampridem apud Philosophos & Theologos; illud vero non tantum, huic proximum, sed prius & potius superiore putamus, non licere Pontifici & Christi vicario in vsu potestatis, clavium potestatis, inquimus, à Christo ei collatæ, lucrum aliquod comparare: hoc enim est Christi mandatum: Gratis accepistis, gratis date. Quæ cum ita sint, nemini mirum videri debet, si Romana Curia in mandandis sinceræ executioni Decretis Tridentinæ Synodi, ad nihil aliud magis attendat, quam ad Gelasium I. Pontificem, dum in epistola XIII. ad Dardaniæ Episcopos ita scribit: *Quibus convenienter ex paterna traditione perpensis, confidimus, quod nullus jam veraciter ignoret Christianus vniuscujusque Synodi constitutum, quod vniversalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi sedem præ ceteris oportere, quam primam, quæ & vnamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper & retinet.* Romana igitur Curia, cui compertum atque exploratum est, quantæ sit apud Christianos necessitatis principatum retinere hujusmodi, relatos Tridentinæ Synodi, ea pietate & religione qua decreti sunt, canones exequitur; & mirificum exequendi sacerdotalibus Curiis aliis exemplum præbet, remoto omni compendio, quod ipsa Curia vt Romanæ Ecclesiæ traditioni contrarium abominatur.



CAPUT VII.

Sumptum aliud ex Gregorio I. argumentum objicitur & diluitur, sed dilutum objicientibus nocet.

ARGUMENTUM aliud est, quod ita proponunt: Gregorius I. in vetitis gradibus dispensavit: ergo Pontificia dispensandi consuetudo quæsita jure optimo videri potest. Gratianus in causa XXV. cap. XX. materiam hujus objectionis, qualiscunque ea sit, suppeditat. *Quædam lex*, inquit, *terrena in Romana Republica permittit, ut sive fratris & sororis, seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius & filia misceantur; sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere, & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est, ut in quarta, vel in quinta generatione fidelium licenter sibi conjungantur. Sed idem humillimus Pater Gregorius post multum temporis a Felice Messana Siciliæ civitatis Præsule, requisitus, utrum Augustino scripserit, ut Anglorum in quarta generatione contracta Matrimonia minime solverentur; inter cetera talem responsionem reddidit: Quod scripsi Augustino Anglorum gentis Episcopo, alumno videlicet, ut recordaris, tuo, de sanguinis conjunctione, ipsi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne a bono, quod cœperat, metuendo austeriora recederet, specialiter & generaliter, ceteris me certissime scripsisse cognoscas. Unde & mihi omnis Romana civitas testis existit, nec ea intentione hæc illis scriptis mandavi, ut postquam firma radice in fide fuerint radicati, si intra propriam consanguinitatis lineam inventi fuerint, non separentur, aut intra affinitatis lineam, id est, usque ad septimam generationem jungantur; sed adhuc illos neophytos existentes sæpissime eos prius illicita docere vitare, & verbis ac exemplis instruere, & quæ post de talibus egerint, rationabiliter & fideliter excludere oportet. Nam juxta Apostolum, qui ait: Lac dedi vobis potum, non escam; ista illis modo, non posteris, ut præfixum est, temporibus, tenenda indulsimus, ne bonum quod infirma adhuc*

radice plantatum erat, eradicaretur, ſed aliquantulum firmaretur, & vſque ad perfectionem cuſtodiretur. Hæc apud Gratianum. Sed operæpretium eſt ea quæ continuo ſequuntur, referre: *Immo ſi in his ſecus quam debuimus, aliquid egimus, non propter ipſam, ſed commiſerando actum eſſe cognoſcas. Vnde & teſtem invoco Deum, qui cogitationes omnium hominum novit, cujus etiam oculis omnia nuda ſunt & aperta. Nam ſi ea deſtruerem, quæ anteceſſores noſtri ſtatuerunt, non conſtructor, ſed everſor eſſe juſte comprobarer, teſtante veritatis voce, quæ ait: Omne regnum in ſe diviſum non ſtabit, & omnis ſcientia & lex adverſus ſe diviſa deſtrueretur. Ideoque neceſſe eſt, vt omnes concorditer ſtatuta ſanctorum Patrum noſtrorum teneamus; nihil videlicet per contentionem agentes, ſed ad omne ſtudium bonæ devotionis vnanimes divinis & Apoſtolicis conſtitutionibus, auxiliante Domino, pareamus. O quam bona eſt charitas, quæ abſentia per imaginem præſentia ſibimetipſis exhibet, per amorem diviſa vnit, confuſa ordinat, inæqualia ſociat, imperfecta conſummat! Quam recte Prædicator egregius vinculum perfectionis vocat! quia virtutes quidem ceteræ perfectionem generant; ſed tamen eas ita charitas ligat, vt ab amantis mente diſſolvi jam nequeant. His rite perpenſis, charitati tuæ jam dictis indulſi, nec præceptum dedi, ſed conſilium, nec regulam in his poſteris vllis tenendam tradidi; ſed de duobus periculis quod facilius ſit vitandum oſtendi.* Et quibuſdam interpoſitis: *Ideo nolumus nos in hac re a vobis, ſive a ceteris fidelibus reprehendi, quia quod in his Anglorum genti indulſimus, non formam dando, ſed conſideratione, ne Chriſtianitatis bonum, quod cœperant, imperfectum omitterent, egimus.*

Nunc referenda eſt lex illa terrena, de qua ſcribens ad Auguſtinum Gregorius mentionem facit. Hæc igitur ita ſe habet in libro V. cod. Juſtinianæi, tit. IV. lege XIX. *Celebrandis inter conſobrinos Matrimoniis licentia legis hujus ſalubritate indulta eſt, vt revocata priſci juris auctoritate, reſtinctiſque calumniarum fomentis, Matrimonium inter conſobrinos habeatur legitimum, ſive ex duobus fratribus, ſive ex duabus ſororibus, ſive ex fratre & ſorore nati ſunt; & ex eo Matrimonio editi legitimi, & ſuis patribus ſucceſſores habeantur. Datum Stilicone & Antemio Coſſ.*

His autem omnibus rite perpensis, manifestum est Pontificem, dum Felici Messanæ Episcopo respondet, vna respondere objectioni, quam nonnulli Doctores ex causa XXXV. cap. XX. imperite proponunt, vt sacerdotalem cum in ferendis legibus Matrimonium dirimentibus, tum in iis relaxandis auctoritatem confirment.

Verum quo res ista intelligatur plenius, notanda sunt duo. Primum, quod Theodosius senior legem tulit, qua consobrinarum Matrimonium vetuit, tanquam sororum, vt scribit Sextus Aurelius Victor. Hæc autem lex cum in aliis Imperii partibus, tum in Italia maxime servabatur, vt testis est Cassiodori formula, qua *consobrina legitima fiat vxor.* Deinde, quod Justinianæus codex annis ante Gregorium plus minus quinquaginta vulgari cœpit. In eo relata *Celebrandis* extat constitutio, qua Theodosiana lex revocatur, & priscum jus de licentia Matrimonii consobrinarum restituitur. Ad illam respectum habet, scribens Augustino Anglorum Præsuli, & Felici Messanæ Episcopo. Sed cum illa nondum invaluerat, nec, opinor, postea invaluit, hujus vsum Gregorius Anglorum genti optima fultus ratione permisit. Ceterum in legem *Celebrandis* non inquisivit altius, vt nostra ætate a duobus præstantissimis viris inquisitum est.

Hic omittere non possum, Basilium Pontium in libro VI. de Matrim. cap. II. præfidenter scripsisse quæ sequuntur: *Capite quodam lex* XXXV. *cap.* XX. *rejicitur a Gregorio I. lex Honorii & Justiniani Imperatorum, quæ decernebat valida Matrimonia inter consobrinos.* Hic auctor nec Gregorium legit, nec Justinianæum codicem, in quo lex illa non Justiniano, sed Arcadio & Honorio tribuitur. Nam si legisset Gregorium, inprimis vidisset se falsum dicere. Deinde animadvertisset, quanta cum reverentia Mauricii Imperatoris constitutionem exceperit, quæ alias iniqua sibi videbatur.

Sic autem se res habet in libri II. epistola LXII. ad Mauricium Imperatorem: *Omnipotenti Deo reus est, qui serenissimis dominis in omne quod agit & loquitur, purus non est; ego autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione, neque vt Episcopus, neque vt servus jure republicæ, sed jure privato lo-*

quor:

quor.: quia, sereniſſime Domine, ex illo jam tempore Dominus meus fuiſti, quando adhuc Dominus omnium non eras. Longino viro clariſſimo Stratore veniente Dominorum legem ſuſcepi, ad quam fatigatus tunc ægritudine corporis reſpondere nil valui, in qua Dominorum pietas ſanxit, vt quiſquis publicis adminiſtrationibus fuerit implicatus, ei ad Eccleſiaſticum officium venire non liceat. Quod valdè laudavi, evidentiſſime ſciens, quia qui ſecularem habitum deſerens, ad Eccleſiaſtica officia venire feſtinat, mutare vult ſæculum, non relinquere. Quod vero in eadem lege dicitur, vt ei in monaſterio converti non liceat, omnino miratus ſum, dum & rationes ejus poſſint per monaſterium fieri, & agi poteſt, vt ab eo loco in quo ſuſcipitur, ejus quoque debita ſolvantur. Nam etſi quiſquam devota mente converti voluiſſet, prius res male ablatas redderet, & de ſua anima tanto verius, quanto expeditior cogitaret: in qua lege ſubjunctum eſt, vt nulli qui in manu ſignatus eſt, converti liceat. Quam conſtitutionem, ego fateor Dominis meis, vehementer expavi; quia per eam cælorum via multis clauditur, & quod nuncuſque licuit, ne liceat, prohibetur: multi enim ſunt, qui poſſunt religioſam vitam etiam cum ſeculari habitu ducere; & plerique ſunt, qui niſi omnia reliquerint, ſalvari apud Deum nullatenus poſſunt. Ego vero hæc Dominis meis loquens, quid ſum niſi pulvis & vermis? ſed tamen quia contra auctorem omnium Deum hanc intendere conſtitutionem ſentio, Dominis tacere non poſſum. Ad hoc enim poteſtas Dominorum meorum pietati cælitus data eſt ſuper omnes homines, vt qui bona appetunt, adjuventur, vt cælorum via largius pateat, vt terreſtre regnum cæleſti regno famuletur. Et ecce aperta voce dicitur, vt ei qui ſemel in terrena militia ſignatus fuerit, niſi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulſus, Domino JESV CHRISTO *militare non liceat. Ad hæc, ecce per me ſervum vltimum ſuum & veſtrum, reſpondebit Chriſtus, dicens: Ego te de notario comitem excubitorum; de comite excubitorum Cæſarem, de Cæſare Imperatorem; nec ſolum hoc, ſed etiam patrem Imperatorum feci: ego Sacerdotes meos tuæ manui commiſi, & tu a meo ſervitio milites tuos ſubtrahis? Reſponde, rogo, piiſſime Domine, ſervo tuo, quid venienti, & hæc dicenti reſponſurus es in judicio Domino tuo? Sed fortaſſe creditur, quia nullus eorum puro animo convertatur. Ego indignus famulus veſter*

ſcio quanti his diebus meis in monaſterio milites converſi, miracula fecerunt, ſigna & virtutes operati ſunt: ſed per hanc legem jam ne quiſquam talium converti valeat, prohibetur. Requirat, rogo, Dominus meus piiſſimus quis prior Imperatorum talem legem dederit, & ſubtilius æſtimet, ſi debuit dari. Et quidem conſiderandum valde eſt, quia eo jam tempore prohibentur quique relinquere ſæculum, quo appropinquat finis ipſe ſæculorum. Ecce enim mora non erit, & ardente cælo, ardente terra, coruſcantibus elementis, cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cum Principatibus & Poteſtatibus tremendus judex apparebit. Si omnia peccata dimiſerit, & ſolam hanc legem contra ſe dixerit eſſe prolatam: quæ, rogo, erit excuſatio? Vnde per eundem tremendum judicem deprecor, ne illæ tantæ lacrymæ, tantæ orationes, tanta jejunia, tantæque eleemoſynæ Domini mei ex qualibet occaſione apud omnipotentis Dei oculos fuſcentur; ſed aut temperando pietas veſtra, aut immutando vigorem ejuſdem legis inflectat, quia tunc magis Dominorum exercitus contra hoſtes creſcit, quanto Dei exercitus ad orationem creverit. Ego quidem juſſioni ſubjectus eandem legem per diverſas terrarum partes tranſmitti feci; & quia lex ipſa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam sereniſſimis Dominis nunciavi: utrobique ergo quæ debui, exolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod ſenſi, minime tacui.

Imperator a Gregorio ſic monitus legem temperavit nonnihil, vt ipſe Pontifex in libri VII. Indict. I. epiſtola XI. ſic ſcribit ad Macedoniæ & Siciliæ Epiſcopos: *Legem, quam piiſſimus Imperator dedit, ne fortaſſe hi, qui militiæ vel rationibus ſunt publicis obligati, dum cauſarum ſuarum periculum fugiunt, ad Eccleſiaſticum habitum veniant, vel in Monaſteriis convertantur, veſtræ ſtudui fraternitati tranſmittere, hoc maxime exhortans, quod hi qui ſæculi actionibus implicati ſunt, in Clero Eccleſiæ præpropere ſuſcipiendi non ſunt, quia dum in Eccleſiaſtico habitu non diſſimiliter quam vixerant, vivunt, nequaquam ſtudent ſæculum fugere, ſed mutare. Quod ſi etiam tales quoque Monaſterium petunt, ſuſcipiendi nullo modo ſunt, niſi prius rationibus publicis abſoluti fuerint. Si qui vero ex militaribus numeris in monaſteriis converti feſtinant, non ſunt temere ſuſcipiendi, niſi eorum vita*

fuerit subtiliter inquisita, & juxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, & tunc monachicum habitum, Deo auctore, suscipere. Qui si ita sint prolati atque suscepti, & pro anima sua pœnitentiam de perpetratis culpis agere student, pro eorum vita & lucro cælesti non est eorum conversio renuenda. Qua de re etiam serenissimus & Christianissimus Imperator, mihi credite, omni modo placatur, & libenter eorum conversionem suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit.

Impulerunt me causæ numero tres, vt excellentes duas Gregorii epistolas referrem.

Prima est, vt qui ad minuendam regiam in Matrimonium potestatem vtuntur auctoritate Gregorii, tum demum intelligant, quomodo Imperatorum leges sanctissimus Pontifex observet ac veneretur.

Secunda, Imperator legem tulerat, quæ duabus partibus constabat: priori sanxit, *vt quisquis publicis administrationibus fuerit occupatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceat.* Id laudavit Gregorius: tantum abest, vt graviter reprehenderit; attamen lex illa magis, vt ita dicam, Ecclesiastica & spiritualis est, & ad supernaturalem finem propius accedit, quam lex illa, qua Theodosius senior consobrinarum Matrimonium, tanquam sororum prohibuit. Posteriori quoque sanxit, *vt ei, qui publicis administrationibus implicatus esset, in monasterio converti non liceat.* Et quamvis lex ista Gregorio visa sit injusta, & omnipotenti Deo injuriosa; hanc tamen per Macedoniæ & Siciliæ Episcopos publicari curavit, vt Imperatori morem gereret: tantum quoque abest, vt eam rejiceret & abrogaret, etiamsi lex ista magis Ecclesiastica & spiritualis sit, & ad supernaturalem finem propius accedat, quam consanguinitatis impedimentum, quod Theodosius Magnus constituit. At certum est, legem *Celebrandis*, quam Basilius Pontius & alii a Gregorio rejectam esse temere volunt, nec injustam, nec Christo injuriosam esse. Nam lex illa cujuscunque tandem illa sit, antiquum celebrandi consobrinos inter & consobrinas conjugii jus, quod ab Apostolicis temporibus vsque ad Theodosium viguerat, asseruit, & abrogata Theodosii lege restituit.

Tertia, Gregorius tam ſuis viro tanto dignis admonitionibus, quam medici, quo Mauricius vtebatur, ſtudio & opera perfecit, vt Imperator legem, ſeu poſteriorem legis partem nonnihil temperaret. Temperavit, vt Gregorius in altera epiſtola quam retulimus, teſtatur. Lex, ſeu poſterior legis pars prius edita ſic ſe habet: *Ei qui militiæ ſeu publicis adminiſtrationibus implicatur, in monaſterio converti non liceat. Lex poſterius edita & temperata eſt ejuſmodi: Qui ſæculi actionibus implicati ſunt, ſi monaſterium petunt, nullo modo ſuſcipiendi ſunt, niſi prius rationibus publicis abſoluti fuerint. Si qui vero ex militaribus numeris in monaſteriis converti feſtinant, non ſunt temere ſuſcipiendi, niſi eorum vita fuerit ſubtiliter inquiſita, & juxta normam regularem debent in ſuo habitu per triennium probari, & tunc monachicum habitum, Deo auctore, ſuſcipere.* Sic temperata lex Gregorio placuit, & ſuam ab Imperatore vim obtinuit. Quantum vero Pontifex reverentiæ & auctoritatis politicis legibus, vel mandatis Principum detulerit, ſuis in epiſtolis identidem docet.

I. In libri I. epiſtola XVI. ad Severum Aquileienſem Epiſcopum: *Pro qua re imminente latore præſentium juxta Chriſtianiſſimi & sereniſſimi rerum Domini juſſionem ad beati Petri Apoſtoli limina cum tuis ſequacibus venire te volumus, vt auctore Deo aggregata Synodo, de ea, quæ inter vos vertitur dubietate, quod juſtum fuerit, judicetur.* Gregorius vt Epiſcopum ad reddendam fidei ſuæ rationem compellat, Imperatoris mandato indigere ſe non obſcure ſignificat.

II. In libri II. Indict. XI. epiſtola VIII. ad Natalem Epiſcopum Salonitanum: *Executionem vero antefati negotii Antonino Subdiacono noſtro ex noſtra præceptione mandavimus, quatenus & ejus inſtantia, & quæ ſunt legibus canonibuſque placita decernantur.* Legibus quidem quas ſæculi Principes tulerunt; canonibus vero, quas condidit ſacerdotalis ordinis conſeſſus.

III. In libri V. epiſtola I. ad Marinianum Ravennatem Epiſcopum: *Illa, quæ in damnum dari vel fieri per teſtamentum ſuæ decrevit Eccleſiæ, nullam prohibente nempe lege, obtineat firmitatem.* De civili lege Gregorium loqui manifeſtum eſt.

IV. In libri VI. epistola XX. ad Fortunatum Episcopum: *Et quia Decreta legalia desponsatam, si converti voluerit,* (in monasterio) *nullo omnino censuerunt damno mulctari, fraternitas tua vna cum Antehemio Subdiacono veritatem diligenti curiositate studeat perscrutari.* Gregorius, non quid opus facto sit ex juris Pontificii regulis; sed quid faciendum sit ex præscripto juris civilis, exponit.

V. In epistola XXXV. ad Bonum Messanensem Episcopum: *Et sacrorum canonum & legalia statuta permittunt ministeria Ecclesiæ pro captivorum redemptione esse vendenda.* Per legalia statuta *leges intelligit, quæ ad captivorum redemptionem pertinent.* Respicit ad librum I. Justinianæi codicis, vbi lex ista legitur num. XXI. *Sancimus nemini licere sacratissima atque arcana vasa, vel vestes ceteraque donaria, quæ ad divinam religionem necessaria sunt, vel ad venditionem, vel hypothecam, vel pignus trahere.* Et paullo post: *Si necessitas fuerit in redemptione captivorum, tunc & venditionem præfatarum rerum divinarum & hypothecam & pignorationes fieri concedimus,* &c.

VI. In libri VII. Indict. II. epistola VII. ad Januarium Caralitanum Episcopum: *Alia igitur omnia quæ ex testamento prænominatæ Siricæ detinentur: quippe quod nullum esse legali sanctione permittitur: necesse est, vt juri Monasterii fraternitatis vestræ sollicitudine sacerdotali per omnia studio reparentur, quia imperiali constitutione aperte sancitum est, vt ea quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.*

VII. In libri & Indict. ejusdem epistola XIV. ad Demetrianum & Valerianum Firmanos Clericos: *Et sacrorum canonum statuta & legalis permittit auctoritas, licite res Ecclesiasticas in redemptione captivorum impendi.*

VIII. In ejusdem & libri & Indict. epistola LXVII. ad Januarium Caralitanum Episcopum: *Et quidquid in eis fuerit fraudis inventum, cum pœna legibus statuta reddere compellantur.*

IX. In libri VIII. epistola VI. ad Sabinum Subdiaconum: *Sacrilegium & contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studiis, suis tentaverit compendiis retinere.*

x. In ejusdem libri epistola XXIV. ad Fortunatum Neapolitanum Episcopum: *Eis est liberum, in quolibet loco voluerint, causæ suæ negotium contra eos legaliter propositum terminare. Legaliter*, id est, per leges.

XI. In libri XI. epistola LVI. continetur capitulare seu collectio multarum legum imperialium, quibus Clericorum immunitas sancitur. Collectionem hanc dedit Joanni defensori, cum in Hispaniam proficisceretur.

XII. In libri XII. epistola III. ad Bonifacium Diaconum: *Sententiam nostram* (de jurisdictione Corcyritanæ Ecclesiæ) *nulli dare prævidimus, ne contra jussionem clementissimi Domini Imperatoris, vel, quod absit, in despectum ipsius aliquid facere videremur.* Et paullo post: *Qua in re omnino danda opera est, vt si fieri potest, etiam jussionem suam ipse* (Imperator) *tribuat, in qua, quæ a nobis definita sunt, servare præcipiat. Nam hoc facto omnis de cetero subreptionis locus obstruetur.*

De pluribus hæc pauca, quibus aperte constant duo. Unum est, Gregorium civiles leges quascunque, & Imperatorum mandata vehementer observasse. Alterum, eundem Pontificem in recipienda lege *Celebrandis*, nusquam cunctatum esse, vt cunctatus videtur, nisi ea lege, quæ per illam revocatur, Romana occupata fuisset Ecclesia. Quidquid id est vtrobique, non de Sacerdotum canonibus, sed de Imperatorum legibus agitur.

Superest vt ad legis, quam Theodosius senior de non jungendis Matrimonio consobrinis tulerat, & ad rerum quas Gregorius ad Felicem Messanæ Episcopum scribit, intelligentiam pleniorem notetur, hanc legem a decessoribus Gregorii per annos plus minus ducentos ita diligenter observatam esse, vt decessores illam fixisse credere videatur. Sic enim dicit: *Nam si ea destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor esse juste comprobarer, testante Veritatis voce, quæ ait: Omne regnum in seipsum divisum non stabit; & omnis scientia & lex adversus se divisa, destruetur. Ideoque necesse est, vt omnes concorditer statuta sanctorum Patrum nostrorum teneamus; nibil videlicet per contentionem agentes, sed ad omne studium bonæ voluntatis, vnanimes divinis & Aposto-*

licis constitutionibus, auxiliante Domino, pareamus. Hinc accidit, vt cum de concesso Anglorum genti legis contrariæ vsu loquitur, tanta cum religione & modestia loquatur.

CAPUT VIII.

Quædam a Bellarmino in hac quæstione paulo involutius edita retractantur.

HOc loco operæpretium erit examinare, quæ de regio in sanciendis legibus, quæ Matrimonium dirimant, jure Bellarminus edidit. Is ergo lib. I. de Matrimonio cap. XXXII. controversiam instituit, cujus summa est : *Causas matrimoniales ad Ecclesiæ judicium pertinere ;* atque vt viam expeditiorem suis assertionibus sternat, a matrimonialium causarum divisione orditur, quæ sic se habet : *Catholici distinguunt de causis matrimonialibus. Quædam enim sunt omnino politicæ, vt de dotibus, de successionibus, de hereditatibus,* &c. *Quædam sunt omnino spirituales, vt de partibus Sacramenti, de benedictione sacerdotali,* &c. *Quædam sunt partim politicæ partim spirituales, vt de gradibus cognationis, de divortiis, de impedimentis: quatenus enim contractus Matrimonii naturalis est, materia est politica; quatenus idem contractus est fundamentum Sacramenti, & res conscientiæ, spiritualis est.* Inprimis excedit Bellarminus, cum quæ sua divisio est, eam Catholicis tribuat : vix enim apud antiquiores Bellarmino Theologos reperias, immo cur reperiretur, nihil, opinor, fuit. Ex Tridentino Concilio Bellarminus cœpit hujus divisionis argumentum, vbi de matrimonialibus causis editus est canon, revera indefinitus, & ab aliis quibusdam non probe acceptus, vt art. II. cap. III. multipliciter ostensum est : tum divisio hæc legitima non est. Matrimoniales siquidem causæ tertii generis nonnisi ex accidenti spirituales sunt, puta quæ ad impedimenta humano jure sancita pertinent, cum hæc aliquando non fuerint, & fuerit Matrimonium verum ac inte-

grum, & in ratione politici contractus, & in ratione Sacramenti. Deinde causæ primi generis non minus spirituales sunt ac sacramentales, quam causæ tertii generis, cum Matrimonium, inditumque Matrimonio Sacramentum sequantur; illæ vero quæ ad impedimenta pertinent, antecedant.

Hac autem supposita matrimonialium causarum divisione, quæ a divisionis bonæ legibus deficit, sic auctor concludit: *Causas primi generis non negamus ad politicum Magistratum pertinere.* Hic a Principibus referendæ sunt Bellarmino gratiæ, quod istud propter suam bonitatem minime neget: nam si negaret, continuo (cur negaret?) rationes optimas suppeditaret. Hinc labori suo pepercit; inde curandis Regum seu Magistratuum politicorum opportunitatibus indulgendum censuit.

Causas secundi generis nemo negare potest ad solam Ecclesiam pertinere. Dicendum fuisset rectius, ad solum Sacerdotium, quam ad solam Ecclesiam, vt Sacerdotium a Regno seu Magistratibus contradistingueretur. Nam Ecclesia Christianos & Catholicos Principes & Magistratus publicos in sua definitione continet, sive communem ab initio religionis veræ apud Patres, Synodos, Romanos Pontifices, & illustriores Theologos definitionem, quæ est *fidelium seu Catholicorum congregatio*; sive privatam Bellarmini definitionem, quæ est *cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatam sub regimine legitimorum Pastorum, & præcipue vnius Christi in terris vicarii Romani Pontificis*, consideres.

Causas tertii generis nos dicimus ad politicum Magistratum pertinere posse, sed cum subordinatione ad Ecclesiasticum; simpliciter autem ad Principem Ecclesiasticum pertinere. Bellarminus hic contra suam divisionem in tertio causarum genere concludit. Causæ enim tertii generis cum sint partim politicæ, partim spirituales, partim ad politicum Magistratum, partim ad Ecclesiasticum pertinent. Qui sic agit, non sincere, sed fraudulenter agit, pace viri tanti dixerim.

Deinde causas primi generis hoc solum vult differre a causis tertii generis, quod illæ ad politicum Magistratum simpliciter

citer pertineant; hæ pertinere possint, sed cum subordinatione ad Ecclesiasticum. Sed assertio ista nulla est, cum & propter peccata, quæ in dijudicandis causis primi generis admitti possunt, & propter vltimi finis subordinationem, causæ primi generis, non minus quam tertii, cum tali subordinatione pertineant ad sacerdotalem Magistratum. Propositio hæc vniversim sumpta ambiguo sensu laborat.

Quod si per hanc subordinationem Bellarminus intelligat factam ab Ecclesia concessionem, repugnabit Petrus Sotus, qui vere affirmateque dicit, *civiles leges in causis matrimonialibus, & potissimum in impedimentis, ex pietate certe & voluntate Principum cessisse Ecclesiæ, vt jam nullum censeatur Matrimonium illegitimum, quod Ecclesia tale non judicat.* Repugnabit Catharinus, qui pronuntiat intrepide, *Principes posse circa Matrimonium tanquam circa suam & non alienam materiam suis legibus providere. quidquid non est contra legem Dei & legem naturæ.* Hi Theologi duo Tridentinæ Synodo interfuerunt, Bellarminus non interfuit. Repugnabit Okamus, qui profitetur, *ad Imperatorem quantum ad illa, de quibus sacræ literæ non loquuntur, causam matrimonialem pertinere.* Repugnabunt quotquot Theologi dixere, vel Gregorium I. vel Alexandrum II. vel Innocentium III. vel Honorium III. sæcularibus Principibus jus statuendorum Matrimonii impedimentorum ademisse: quandiu enim in eorum sententia non fuit ademptum, tandiu ad illos simpliciter pertinuit.

Enimvero qua ratione Bellarminus causas primi generis ad politicum Magistratum simpliciter pertinere probat, eadem & nos probamus, causas tertii generis ad eundem simpliciter pertinere: *Quia*, inquit, *quotidie intra Ecclesiam Catholicam coram judice sæculari causæ illæ aguntur.* quia etiam, inquimus, causæ istæ olim quotidie coram judice sæculari agebantur. Testantur hoc leges Matrimonii omnes ab Imperatoribus conditæ; testantur judicia a sæcularibus Magistratibus exercita, quoad Romanæ leges viguerunt; testantur codices Theodosii & Justiniani; testantur Cassiodori formulæ, quibus vsi sunt Reges, cum de prohibitis consobrinorum gradibus & impedimentis dispensarunt. Ceterum in verbo, *Ec-*

clesia Catholica, Bellarminus ludit; mox verbum illud pro solo Sacerdotio, vt ostendimus, accepit, nunc pro fidelium seu Catholicorum cœtu, cum ait: *Quotidie intra Ecclesiam Catholicam coram judice sæculari causæ illæ aguntur.* Hic tractandi modus captione non vacat, sed ab ea cavendum est.

Excutitur tertia Bellarmini divisio.

Bellarminus tertiam assertionem in duas partes distribuit hoc modo: *Nos dicimus ad politicum Magistratum pertinere posse causas tertii generis, sed cum subordinatione ad Ecclesiasticum; simpliciter autem ad Principem Ecclesiasticum pertinere.*

Assertionis primam partem non probavit, quæ tamen probari debere ob sui gravitatem videbatur. Periti siquidem & cordati Theologi est, nihil sine vera probatione affirmare. Timuit forte, vti par erat, ne primæ partis argumenta Principibus nimium faverent, aut secundam partem destruerent. Nam in me recipio, Bellarminum secundam partem iis funditus eversurum esse rationum momentis, quibus ad plenum & perfectum prima pars assereretur. Quæ enim in Bellarmini propositione apparet divisio, vera non est divisio, cum in opposita membra non sit; & sic prima pars vere astrui non potest, quin secunda destruatur. Divisio igitur hæc aliud nihil est quam misera quædam captio, nec satis ingeniosa cavillatio.

Secundam partem his rationibus confirmat, quarum prima est ex canone XII. sess. XXIV. Trid. Concilii: *Si quis dixerit causas matrimoniales ad judices Ecclesiasticos non spectare, anathema sit.* At cum hoc canone non magis altera pars assertionis, quam prima probetur, Bellarminus videat, quid definite probetur. Non repeto hic quid ad hunc canonem diximus art. II. cap. III. Quod hac in propositione Bellarminus peccavit, illi condonandum est. Nam si legisset canonem Africanum hunc: *Placuit vt secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa a marito alteri conjungatur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. in qua causa*

legem imperialem petendam promulgari. Propositionem correxisset suam, & sic adornasset: Si Princeps sæcularis potest judicibus Africanis Episcopis de Matrimonio jam contracto non dissolvendo legem ferre simpliciter, multo magis poterit de contrahendo Matrimonio legem simpliciter & sine subordinatione vlla ad Magistratum Ecclesiasticum ferre, nisi forsan vt Antistitum id postulantium votis obsecundet.

Altera ratio sic se habet: *Matrimonium est Ecclesiæ Sacramentum: ergo causa matrimonialis tertii generis ad judices Ecclesiasticos spectat.* Respondemus, Theologos, quorum testimonia art. I. cap. I. II. III. IV. V. VI. VII. & art. II. cap. II. recensentur, hanc consecutionem negare, illudque argumentum a Dominico Soto *cavillum* appellari: de jure autem Principum cavillari mihi non videtur æquum. Deinde ex illo antecedente non minus recte concluderetur: ergo causa matrimonialis primi generis ad Ecclesiasticos judices spectat, cum sic a non distributo ad distributum concluderetur, quemadmodum in argumento Bellarmini concluditur. Ubique fallaciæ. Hic theologicam rationem nullam reperio, quæ vt materiæ gravitas postulat, Scriptura & derivata ab initio traditione Ecclesiæ depromatur: vitiosam argumentationem reperio, & nihil præterea.

Tertia ratio hæc est: *Apud Christianos non separatur contractus legitimus Matrimonii a Sacramento Matrimonii, cum omnis contractus legitimus Matrimonii hoc ipso sit Sacramentum Matrimonii: ergo judicare, an contractus aliquis Matrimonii sit legitimus, est judicare, an ille contractus sit Sacramentum. Sed de Sacramentis judicare ad Ecclesiam spectat: igitur & de tali contractu judicare ad Ecclesiam spectat.* Respondemus inprimis hanc ratiocinationem pseudographi syllogismi vitio laborare. Etenim in antecedente, quod dubium est inter Theologos, pro comperto supponitur, contractum scilicet Matrimonii inter Christianos non separari a Sacramento Matrimonii. At separari affirmant illi omnes, qui non contrahentes, sed Presbyterum faciunt Sacramenti Matrimonii ministrum. At quinam sunt, inquies, viri? nec in parvo numero & pretio, Guillelmus Parisiensis tractatu de Sacramentis cap. IX. de Sacra-

mento Matrimonii, Judocus Clichtoveus ſermone didactico de Sacramento Matrimonii, Joannes Gropperus cum Patribus Concilii provincialis Colonienſis, in Inſtitutione Chriſtiana, Synodus Cameracenſis ann. MDLXVII. Laurentius Petrus in epitome Sacramentorum de Matrimonio. Sed toti in hoc ac multi, Canus lib. VIII. de locis cap. V. vbi aſſerit, *opinionem contrariam eſſe falſam & commentitiam, quamque juniores Theologi confinxere, vt civilem hunc humanumque contractum Christi & Eccleſiæ Sacramentum eſſe tuerentur.* Edmundus Augerus lib. II. de Sacramento Matrimonii cap. II. & III. idque probat ex Tridentino Concilio Joannes Benedictus lib. IV. Summæ cap. V. per Avenionenſes Theologos approbatæ, Guillelmus Eſtius in IV. diſt. XXVI. §. X. Franciſcus Silvius in tertiam partem, qui hanc opinionem veriorem judicat, Joannes Scribonius in Theoſemia diſp. IX. de Matrimonio quæſt. V. Bellarminum ita redarguens: *Sed pace tanti viri dixerim, hanc, quam tuetur, non eſſe communem opinionem, ſed potius opinionem Cani eſſe communem.*

Præterea hoc ipſum affirmant, qui cum a contrahentibus abeſt neceſſaria conficiendi Sacramenti intentio, valere quidem Matrimonium dicunt *in ratione contractus, non autem in ratione Sacramenti.* Ad horum opinionem, vti probabiliorem, & Rebello judice in I. tom. de obligat. juſtitiæ part. II. lib. II. quæſt. V. concl. V. communiorem, accedit Baſilius Pontius lib. I. de Matrimonio cap. IX. quod cum ita ſit, iniquo certe animo ferimus, Bellarminum hujus theologicæ diſceptationis hiſtoriam ignoraſſe, cum diſſimulaſſe dicere non auderem: ſed ignorantia vel diſſimulatio veritati nocere non debet.

Quod autem ad conſequens attinet, illud collapſo antecedente, vt concidat, neceſſarium eſt. Verum quia pleraque cum ad Sacerdotium, tum ad Regnum ſpectantia involvat, in eo paulo diutius hærendum eſt, vt iis, quæ involuta ſunt, explicatis, appareat, quæ ſint Sacerdotii; quæ vero ſint Regni. Ergo involutum conſequens: quia duplex eſt, explicemus. Unum eſt ejuſmodi: *Ergo judicare, an aliquis contractus Matrimonii ſit legitimus, eſt judicare, an ille contractus*

sit Sacramentum. Hic Bellarminus ex duobus diversis ac distinctis propositionem vnam facit. Aliud enim est judicare, an aliquis contractus Matrimonii sit legitimus; aliud, an aliquis contractus jam legitime factus sit Sacramentum, aut potius Sacramenti materia: sicut aliud judicare, an aliquis liquor sit aqua naturalis; aliud, an liquor, qui aqua naturalis judicatur, sit a Christo ad Sacramenti dignitatem evectus. Porro autem quod in Matrimonio posterius est, Sacramenti nempe dignitas, & quæ ad eam attinent, quia ad Ecclesiasticos judices spectant, prius ad eosdem spectare concludit Bellarminus. Qua in re plerique alii falluntur aut fallunt; quasi vero ejusmodi fallaciis accidentis Ecclesia Christi indigeret. Nam judicare, an Matrimonii contractus sit legitimus, cum judicare sit, illi convenire, vel non convenire hanc legitimi Matrimonii definitionem, *quod legali institutione, vel moribus provinciæ contrahitur;* istud judicii genus ad politicum Magistratum spectat, quemadmodum *ex scriptis legibus*, vt ait Imperator, *oritur, vt alii sint filii naturales, alii legitimi: sic ex iisdem legibus ortum est, vt alius esset legitimus Matrimonii contractus, alius illegitimus.* Et vero quamvis ad Ecclesiam, qua Clericorum societas est, judicare spectet, an aqua naturalis sit Sacramenti Baptismi materia: tamen ad eam judicare non spectat, vtrum hic liquor, de quo an sit aqua, dubitaretur, aqua naturalis esset, necne. Ad physicorum tunc, non ad Sacerdotum judicium dubitatio illa remitteretur.

Alterum consequens istud est: *De Sacramentis judicare ad Ecclesiam spectat; igitur & de tali contractu judicare ad Ecclesiam spectat.* Dicere noluit, (quod tamen dicere debuit) ad Ecclesiam, quam ipse definivit: quia definita ab illo Ecclesia sæculares Magistratus Christianos includit; sic a non distributo ad distributum optime concluditur. Rem explicemus. In rebus ad hanc Matrimonii quæstionem spectantibus duplex integrum ac perfectum judicium invenitur; civile vnum, alterum Ecclesiasticum. Quod vt intelligatur, sciendum est, ad perfectum judicium requiri duo, & satis esse, discutiendi facultatem, & judicandi potestatem, significandique subditis

judicatum. Ad sæculares autem & politicos Magistratus spectat judicium matrimonialis contractus; num scilicet justis Principum legibus, quas de contrahendo sanxerunt, consentiat, vel repugnet: si consentiat, validum contractum; si repugnet, invalidum pronuntient. Sic consequenter & de rebus aliis, quæ Matrimonium in ratione veri validique contractus supponunt, quæque contractum veluti naturales proprietates sequuntur.

Ad Ecclesiasticos vero judices pertinet Matrimonium, quæ Sacramentum est: quippe judicare debent, an inter infideles æque ac Christianos Matrimonium sit Sacramentum; an producat gratiam; quo in statu conjuges esse debeant, vt congruentem huic Sacramento gratiam consequantur; vtrum idem sit a Christo institutus Sacramenti minister; qui contractus civilis, necne; vtrum contractus civilis legitime factus sit evectus ad Sacramentum novæ legis; & ceteræ ejusmodi egregiæ cum primis & Ecclesiasticis hominibus dignæ quæstiones & judicia, quæ a sæcularibus Magistratibus attentari nefas esset.

Ceterum duo hæc judiciorum genera, quorum civile necessario antecedit Ecclesiasticum, ab Hincmaro & Episcopis Galliæ graphice depinguntur in causa non dissimili, hoc est, in negotio divortii HLotarii & Tetbergæ Reginæ. Audiamus, si placet, Hincmarum in opusculi, quod ea de re composuit, interrog. V. *Femina quædam non ignobilis genere, nomine Northildis, de quibusdam inhonestis inter se & virum suum vocabulo Agembertum ad Imperatorem publice proclamavit: quam Imperator ad Synodum destinavit, vt inde episcopalis auctoritas quid agendum esset, decerneret. Sed Episcoporum generalitas ad laicorum & conjugatorum eam remisit judicium, vt ipsi inter illam & suum conjugem judicarent, qui de talibus negotiis erant cogniti, & legibus sæculi sufficientissime prediti, eorumque legalibus judiciis, eadem femina se subjiceret, & quod de quæstione sua decrevissent, sine repetitione teneret. Si vero crimen aliquod esset, inde pœnitentiæ modum post illorum judicium ab episcopali auctoritate deposceret, secundum quod sacri canones præfixerunt, ei imponere non negarent: nobilibus autem laicis sacerdotalis discretio placuit, quia*

de suis conjugibus eis non tollebatur judicium, nec a sacerdotali ordine inferebatur legibus civilibus præjudicium, & legem proclamationi feminæ protulerunt, ac legali judicio quæstioni terminum contulerunt. O illustrissimum exemplum, quo Galliarum Antistites, & quæ sua sunt, & quæ aliena, declarant. Non exaggero, sola lectione opus est.

Si Bellarminus veterem istam Gallicanorum Antistitum disciplinam vidisset, sine dubio placita sua variasset aliter ac distinxisset. Sed miror cur ea non viderit, quæ gesta sunt in Tridentina Synodo, cum de clandestinis Matrimoniis rescindendis ageretur: nam si vidisset, multa dixit, quæ non dixisset. Hæc ergo gesta sunt, cum variæ ibi a variis Doctoribus quærerentur rationes, quibus haud mutata Sacramenti natura, clandestinum Matrimonium posse irritum fieri declararetur. Ecce Camillus Campegius Dominicanus eam invenit & proposuit, quæ pluribus arrisit, non mutari videlicet Sacramentum, etiamsi quis efficiat, vt quod Sacramenti materia est, desinat materia Sacramenti esse. Qui autem civilem Matrimonii contractum sustulerit, personas ad contrahendum reddens inhabiles, continuo effecturum dixit, vt Matrimonii contractus non possit amplius Sacramenti superesse materiæ. Non secus ac si quis efficeret, vt qui liquor vera est aqua, aqua esse desinat, non mutaturum esse dixit Sacramenti Baptismi materiam, sed effecturum duntaxat, vt quæ nunc aqua ad Baptismi sufficit, ad eundem postea non sufficiat. Camillo Campegio, cui difficultates omnes facile solventi applaudebatur a quamplurimis, Antonius Solisius reclamavit, non quod, inquiens, Campegii vera non esset speculatio, sed quod eam ad institutum applicari non conveniret, quia ejusmodi contractus sic irritos & nullos facere ad sæculares Magistratus pertineret. Quare, inquiebat, cavendum erat diligentissime, ne dum Ecclesiæ (dicere voluit Sacerdotio) clandestina Matrimonia rescindendi facultatem vellent concedere, eam sæculari potestati permitterent & asserent. Hæc in Tridentini Concilii Historia Paulus Servita, cui Sforza Pallavicinus non contradixit; & quia non contradixit, Servitam vera narrasse credendum est. Sed quid secu-

tum est postea? Inventus a Campegio rescindendi clandestini Matrimonii modus Tridentinis Patribus omnino placuit, insuperhabitis quæ Solisius contra Campegianæ speculationis vsum differuerat. Tridentini Patres, cum, vt apparet, voluerunt frequentibus clandestini conjugii malis absolute & simpliciter occurrere, Sacerdotii dignitati perspicere se satis crediderunt, si intermedio jure Principum occurrerent, vt reipsa occurrerunt. Intelligebant sinceri & egregie cordati homines Sacerdotium non esse gratia sui, sed salutis fidelium, cui a Sacerdotibus non habito ad vllam sui propriam opportunitatem respectu providendum est. Quo fit, vt Tridentini Patres, cum non alius efficacior rescindendi clandestini conjugii modus inveniri potuit, eum qui a Campegio inventus & propositus fuit, amplexi sint, etiamsi matrimonialis contractus rescissionem sæculi Magistratibus subjiceret. Noverant Principes & sæculares Magistratus computari inter partes nobiliores Ecclesiæ, quæ in fidelium seu Catholicorum cœtu verissime consistit. In isto cœtu frater a fratre adjuvatur, & Ecclesia corpus vnum est, in quo multa sunt membra, quæ eundem actum non habent, & membrum vnum facit, quod alterum non facit, id facere nihilominus corpus & dicitur & intelligitur. Ad hæc omnia, si Bellarminus attendisset, minus sinceram disputandi, & tam varie distinguendi rationem prætermisisset, & magis æquabilem inter Regnum & Sacerdotium tributionem servasset.

Quarta ratio sic se habet: *Etiamsi Matrimonium Sacramentum non esset, tamen quia res est conscientiæ ex legibus divinis pendens, ad pastores animarum sine dubio pertineret: quemadmodum quæstiones de cambiis, de censibus, aliisque contractibus, in quibus interdum absconduntur vsuræ, ab Ecclesia judicantur: ergo* (sic enim concludendum est) *causæ matrimoniales tertii generis ad judices Ecclesiasticos pertinent.* Respondemus hoc argumentum a jure poli ad jus fori migrare, quod fallaciæ genus viro tam sincero indignum est. Quamobrem licet Sacerdotes seu pastores animarum judicent de peccatis, quæ in his omnibus contractibus committuntur; illorum tamen non est, cambiorum, censuum, & aliorum contractuum leges instituere,

tuere, nec de illorum contractuum natura cognoscere. An autem sic ratiocinentur Episcopi apud Hincmarum, Bellarminus videat, qui & insuper matrimoniales causas primi generis ad politicum Magistratum simpliciter pertinere asserit, quamvis iis perinde ac in connubiis & censibus fraudes & peccata latere possint. Hic auctor, vbi cum dialecticorum legibus non pugnat, secum pugnat. Sic egregium est spectaculum, in quo Andabatarum certamen repraesentat.

Quinta ex praxi totius Ecclesiae petitur: *Inprimis Christus causam de divortio, & repudio non remisit ad politicum Magistratum, sed ipse judicavit Matth. v. & XIX. Deinde Apostolus I. Corinthiorum VII. causam conjugii inter fidelem & infidelem similiter cognovit, neque ad Magistratum eam rejecit.* Respondemus primo, illa quae Christus fecit, & Paulus docuit, ad praxim totius Ecclesiae referenda non esse, vti constat; sed quae Antistites in causa HLotarii & Tetbergae fecerunt. Deinde respondemus, quod si quis serio expendat, exemplum Christi, & factum Pauli, nihil cum matrimonialibus causis tertii generis commune habere comperiet. Tum respondemus, deductam ex facto Christi & Pauli exemplo consecutionem nulla vnquam Ecclesiae traditione confirmatum iri.

Sed subjungit Bellarminus: *Plena sunt Concilia & Pontificum rescripta legibus & sententiis in causas Matrimonii, siquidem ex epistolis decretalibus cognosci potest; semper in Ecclesia haec fuit consuetudo, vt de ejusmodi non Reges, sed Pontifices consulerentur.* Respondemus hoc argumento non alium quam Bellarminum offendi, cum plena sint Pontificum rescripta legibus & sententiis in matrimoniales causas, quae ab eo primi generis dicuntur, quales sunt de dotibus, de successionibus, de hereditatibus, de donationibus inter virum & vxorem, & aliis. Atqui de his causis disserens Bellarminus, sic concludit: *Causas matrimoniales primi generis non negamus ad politicum Magistratum simpliciter pertinere.* Quonam igitur pacto expositum a Bellarmino discrimen inter causas matrimoniales primi & secundi generis, vt vocat, reperiemus in praxi, cum Ecclesiasticos Magistratus de vtrisque judicasse videamus?

Ex Bellarmini profecto & sequacium assertionibus sic ali-

V

quis apud se ratiocinari potest: Video ex vna parte plena esse Pontificum responsa legibus & sententiis in causas Matrimonii, quæ a Bellarmino & aliis quibusdam primi generis vocantur. Ex altera reperio Bellarminum eundem & alios asserere, quod hæ causæ primi generis ad politicum Magistratum simpliciter pertineant, & quod eadem potestas ad duo diversa tribunalia æque immediate & proprie spectare non possit, lib. 1. de Matrim. cap. XXI. Inde colligo Pontifices de matrimonialibus causis primi generis judicasse, vel per liberam partium subjectionem ac compromissum, vel per tacitam Principum cessionem, vel demum per vsurpatam in eas causas jurisdictionem. Ceterum hæc collectio cum plane consentanea sit, qui ex praxi concludam causas matrimoniales tertii generis aliter pertinere ad Pontifices?

Sic vero Bellarminus instat: *Cur non potius ad homines doctos quam apud Pontifices istæ causæ referebantur, si consultoris sapientia, non judicis auctoritas in Sacerdotibus quæratur.* At huic interrogationi non minus est Bellarmino, quam nobis necessarie respondendum. Matrimoniales enim causæ, quæ ab illo primi generis appellantur, ad Pontifices aliquando relatæ sunt; ad quos tamen pertinere simpliciter non posse asserit, cum eadem res ad duo diversa tribunalia *æque immediate* spectare nequeat. Oculos Bellarminus, si lubet, flectat in titulum de donationibus inter virum & vxorem in appendice Concilii Lateranensis tertii cap. VII. vbi Pontifex de successionibus, de natalium restitutione, deque aliis id genus infinitis decernit. Quæ dabitur huic interrogationi responsio, eadem & suis auctoribus reddetur: si tamen ego primus respondere cogerer, non responderem quidem; sed vt Pontifices responderent, non invitus efficerem. Expendamus igitur, an in Pontificum rescriptis consultoris sapientia, vel judicis auctoritas quæratur. Atque eam ob rem consulamus in appendice Lateranensis Concilii lemma de sponsalibus, de Matrimonio contrahendo & contracto, cap. I *Consultationi tuæ respondemus*, &c. cap. II. *Super hoc vtique consultationi tuæ taliter respondemus*, &c. cap. VIII. *Licet præter solitum & amplius solito multis simus & variis negotiis præpediti, ita quod non*

ſit nobis facile aliquorum conſultationibus reſpondere. Et paullo poſt: *Conſuluiſti nos*, &c. *Super hoc inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus*, &c. cap. IX. *Super hoc vtique duximus reſpondendum*; cap. X. *Ita nos conſuluiſti, taliter reſpondemus.* cap. XIV. *Quia nos conſuluiſti, fraternitati tuæ reſpondemus.* cap. XV. *Ad noſtras aures perlatum eſt.* Infra: *Super quo prudentiæ tuæ reſpondemus.* cap. XVI. *Tuæ ſollicitudini duximus reſpondendum.* cap. XVIII. *Super eo nos conſuluit dilectio tua.* Infra: *Sollicitudini tuæ taliter reſpondemus.* cap. XXIV. *Super eo vero, quod de illo nobis ſignificaſti, qui cum procreare vellet filios, vxori ſuæ nunquam carnis debitum reddidit, vel reddere potuit: inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod diverſa ſunt inde Decreta, diverſæ ſententiæ; ſed conſuetudo eſt Romanæ Eccleſiæ in ſimilibus taliter tenere, quod ſi non poteſt eam ſicut vxorem habere, ipſam habeat ſicut ſororem.* cap. XXXII. *Unde quia diverſi diverſa ſentiunt, quid agendum ſit in hoc caſu, meis quæris literis edoceri.* Hæc Bellarminus ſuis expendat momentis. Dicet vero nunc quis, ex his reſponſionibus omnino liquere, qua ratione plerumque ad Pontifices itum ſit, & vtrum conſultationibus iſtis reſpondentes, conſultorum, vel judicum perſonam ſuſtinuerint. Sed cum alia loquendi formula vſi ſint, aperi nobis quid ſentiendum. Optime ſane. Id eſſe tibi reſpondeo ſentiendum, quod ſentiendum Bellarminus reſponderet, ſi quæreres ex eo, cur in cauſis plane civilibus ita loquatur Pontifex in appendice Lateranenſis ejuſdem Concilii cap. VII. *Mandamus, quatenus cognita veritate Matrimonium inter Guillelmum & matrem puellæ celebratum præcipias inviolabiliter obſervari, & earundem proles denunties eſſe legitimas.* Et poſt alia: *Filii autem, quos ab ipſa ſuſcepit, ſi eam tolerante Eccleſia duxit in vxorem, a ſucceſſione non poſſunt paternæ & maternæ hereditatis prohiberi.* Hic Bellarminus conſideret, quid reſpondeat quærenti, num Pontifex conſultoris, vel judicis perſonam ſuſtineat. Si perſonam conſultoris Pontificem ſuſtinere reſpondet, idipſum eſt, quod in argumento negat, & quod hoc tamen loco ex principiis ſuis reſpondere debet, cum de matrimonialibus cauſis primi generis reſpondeat Papa: has autem cauſas ad civilem Magiſtratum ſimpliciter pertinere Bellarminus aſſerit. Si vero perſonam judicis

sustinere Pontificem respondet, contra se respondet, cum in matrimonialibus causis primi generis, quæ ex se non sunt fori Ecclesiastici, judicet Pontifex.

Rursus dicet quis: Nolo tecum amplius ea de re certare; sed doce me, cur hæ causæ ad Pontifices potius, quam ad doctos homines delatæ fuerint. Vellem tibi vtique ex Bellarmini sententia respondere, qui hac interrogatione sua & tua modo constringitur. Sed illius responsionem præstolatus, dico primum, tuam & Bellarmini interrogationem id supponere, quod in Pontificibus vitio & crimine vix vacaret; eos nimirum haud esse viros doctrina & eruditione præstantes, cum inter homines doctos & Pontifices distinguas, inter quos distinguendum non esse jubet sanctus Paulus, jubent sacri canones. Quod cum novisset apprime Gregorius XIII. *literarum studia nunquam intermittebat, etsi gravibus curis distentus, illaque non semel ex ejus ore audita sententia est; nullum magis decere, plura scire quam Romanum Pontificem*, vt scribit Dominicus Tempesta Romanus in ejus vita. Deinde dico, non improbabiliter dici posse, id eam ob causam factum, quod facilior detur assensus iis, qui summam cum pari doctrina potestatem tenent. Adde quod summo Pontifici fere semper adhærerent peritissimi quique Doctores, quorum opera & studio in suis responsionibus & Synodis vtebantur.

Hæc habui, quæ de Bellarmini propositionibus dissererem, qui licet jus ferendarum legum Matrimonia dirimentium Principibus concedat, & ab aliis concedi non plane dissimulet; indigere tamen mihi visus est hac discussione, qua quidquid de regia in Matrimonium potestate hactenus disputavimus, magis ac magis confirmaretur.



CAPUT IX.

Recentiores quidam Theologi novam, inaniter architectati opinionem, vt destruant assertum ab aliis jus Principum, hoc ipsum jus præter mentem in Principibus confirmant.

RECENTIORES intelligo Theologos, qui ætate nostra scripserunt, Basilium Pontium in libro VI. de Matrimonio cap. 11. Gasparum Hurtadum in disput. XII. de Matrimonio, difficultate 1. Antoninum Dianam in parte V. Resolutionum Moralium tractatu de Immunitate Ecclesiastica, resolutione XVI. Sed cum Hurtadus & Diana Pontii rationes describant, confutato Pontio, Hurtadus & Diana confutati censebuntur.

Hi autem Theologi numero tres, quidquid est juris Principum in Matrimonium funditus evertere cogitarunt. Quod vti perficiant, sibi sumunt contra ceteros Theologos Christum, vbi Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit, jus omne in Matrimonium Principibus ademisse. Neque hoc fere aliter stabiliunt quam vitioso disputandi modo, qui in manifesta principii petitione consistit.

Sed referenda sunt Pontii verba, quæ sic se habent loco jam citato. *Dico 1. Nequaquam potest Princeps secularis fidelis legem aliquam statuere ad substantiam Matrimonii directe vel indirecte pertinentem, quæ vim habeat, nisi ab Ecclesia tacite vel expresse probetur, ex defectu potestatis: sentiunt nobiscum non pauci ex Theologis.* id est, plures Theologi cum auctore isto sentiunt. Sed plures Theologos nec laudat, nec laudare potest; & sic non paucis Theologis imponit, ne sibi soli sapere videatur.

Cum hic auctor dicit, *nisi ab Ecclesia tacite vel expresse probetur, ex defectu potestatis*, respectum habet ad id, quod initio capitis notaverat, *nullas civilium Magistratuum leges circa con-*

tractum Matrimonii validas esse, nisi probentur ab Ecclesia. Constat ex cap. Cum secundum Apostolum de secundis nuptiis, ubi ea lex Cæsarum, quæ infamiam irrogat viduis nubentibus intra annum luctus, abrogatur. In iis, inquit, sæculares leges non dedignantur Ecclesiasticas imitari. Pontius ex hoc cap. non colligeret, quod colligere se dicit, si primum legem Cæsarum; deinde, si legem, quam vocat Ecclesiasticam, perlegisset & intellexisset. quod ut clarius appareat.

Nunc referenda est lex Cæsarum, quæ sic se habet in libro VI. codicis Justinianæi titulo IX. de secundis nuptiis. *Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Eutropio Præfecto Prætorio: Si qua ex feminis perdito marito intra anni spatium, alteri festinaverit nubere, (parum enim tempus post decem menses servandum adjicimus, tametsi idipsum exiguum putamus) probrosis inusta notis, honestioris nobilisque personæ decore & jure privetur; atque omnia, quæ de prioris mariti bonis vel jure sponsalium, vel judicio defuncti conjugis consecuta fuerat, amittat. Datum IV. Calend. Iunii Constantinopoli, Euchario & Siagrio Coss.* anno scilicet Christi CCCLXXXI. quo tempore Damasus Romanam administrabat Ecclesiam, & Constantinopoli celebrabatur œcumenica Synodus secunda. Sed tunc nec Synodus quæ legem vidit, nec Damasus qui legem videre potuit, eam gravate tulit, nec in ea quidquam Scripturæ & traditioni Ecclesiasticæ adversum deprehendit. Id genus silentii haud iniquam esse legem demonstrat. Id relati in capite XI. Romani Pontifices, Celestinus I. Leo I. Hilarus, Felix III. Gregorius I. Leo II. Gregorius VII. & Paschalis II. vehementer admodum confirmant.

Relata trium Imperatorum lege, referendum est caput *Cum secundum Apostolum*, quod in libri IV. Decretalium titulo XXI. de secundis nuptiis est ejusmodi: *Cum secundum Apostolum mulier mortuo viro suo ab ejus sit lege soluta, & nubendi cui vult tantum in Domino liberam habeat facultatem, non debet legalis infamiæ sustinere jacturam, quæ licet post viri obitum intra tempus luctus* (scilicet unius anni spatium) *nubat, concessa sibi ab Apostolo utitur potestate, cum in his præsertim sæculares leges non dedignentur sacros canones imitari.* Alexander III. qui ad

ann. MCLX. Romanus creatus est Pontifex, Innocentio III. præivit in appendice ad Lateranense Concilium, part. IX. cap. II. *Super illa quæstione, qua quæsitum est, an scilicet mulier possit sine infamia nubere inter tempus secundum leges definitum; sollicitudini tuæ respondemus, quod cum Apostolus dicat: Mulier viro suo mortuo soluta est a lege viri sui, in Domino nubat cui voluerit; per licentiam ejus & auctoritatem infamiæ aboletur.*

Et primum quidem auctor tribuit Ecclesiæ, quod Innocentio III. tribuendum est: itaque Ecclesiam cum Romano Pontifice confundit. quod erroris genus est minime ferendum.

Deinde cum sibi sumit nullas civilium Magistratuum leges circa Matrimonii contractum validas esse, nisi probentur ab Ecclesia, id est, a Romano Pontifice, continuo debet sibi sumere Gratiani, Valentiniani & Theodosii legem de secundis nuptiis valuisse nusquam, quia ab Ecclesia, id est, a Romanis Pontificibus, in sensu auctoris nunquam probata est ab anno CCCLXXXI. usque ad annum MCXCVIII. quo Innocentius sedere cœpit.

Tum Alexander III. & Innocentius III. ad mentem auctoris non respondissent: nam si respondissent, dixissent utique Imperatorum legem non valere, quia probata non fuerat ab Ecclesia, quam ille Romanum Pontificem appellat.

Quarto, quod secundarum nuptiarum tempus non definierat Apostolus, Imperatores definierunt lege sua, cui nullus per annos plus minus septingentos contradixerat: hanc observatam tunc non fuisse, quis exemplo notabili confirmaret?

Quinto, post observationem Imperatoriæ legis adeo longam super eadem movetur quæstio, & consuluntur identidem Pontifices duo, qui ex beati Pauli auctoritate non suarespondent mulierem viro suo mortuo posse nubere cui voluerit in Domino, & liberatum iri ab infamia, quam lex Imperatorum viduæ non expleto luctus tempore nubenti inusserat. Hocne significat, nullas civilium Magistratuum leges circa Matrimonii contractum validas esse, nisi probentur ab Ecclesia, Romano nimirum Pontifice?

Sexto, quidquid hac in re dici posset verisimilius, additio

III. ad librum VII. Capitularium videtur proponere, cum in num. IX. dicitur: *Lex Imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus.* Sic lex Imperatorum de secundis nuptiis non est supra legem, seu potius consilium beati Pauli. Sed inde ne sequitur Principes non posse vllam circa Matrimonii contractum ferre legem, quæ absolute valeat; vel nullas ciuilium Magistratuum leges circa Matrimonii contractum validas esse, nisi probentur ab Ecclesia, quam Pontius pro Romano Pontifice assumit?

Septimo, cum Innocentius III. dicit, quod *sæculares leges non dedignentur sacros canones imitari*, satis innuit leges illas ex se vim obligandi habere; nisi Pontius velit sacros canones vim obligandi non habere, aut alio sacrorum canonum imitationem spectare.

Octavo, si pontificiæ responsionis verba cohibeantur intra illius limites, vt sane cohiberi debent, ne incerta & vaga sit responsio, non erit facile ostendere quinam sint illi sacri canones, quos lex Imperatorum Gratiani, Valentiniani & Theodosii subsequi & imitari potuit, cum ante annum Christi CCCLXXXI. nullos Ecclesia de secundis nuptiis canones ediderit, quos imitari lex Impp. non dedignaretur.

Nono, Alexander & Innocentius respondent viduis, quæ fortasse per vnius anni spatium continere se non poterant, & hi tunc ad vitandum incontinentiæ peccatum responsum illis tale dederunt, quod alias non dedissent.

Decimo, crederem ego Innocentium beati Pauli verba pro sacris canonibus accepisse, cum dixit, quod *sæculares leges*, de quibus erat quæstio, *non dedignentur sacros canones imitari.* Et sane ad Pauli verba Gratianus, Valentinianus & Theodosius in condendis de ritu secundarum nuptiarum legibus respectum aliquem habuerunt. Conjectura hæc displicebit mihi, cum alia dabitur melior, quæ Pontificem rectiora & saniora docentem ostendet. Quidquid id est, Pontius in citando capite *Cum secundum Apostolum*, oleum & operam perdidit, & hallucinatione sua de jure Principum male meritus est.

Pergit paullo post Pontius. *Moveor ea tantum consideratione, quia Matrimonium, quamvis ex se contractus quidam sit subjectus*

jectus etiam Principi sæculari; attamen per Christi intentionem elevatum est ad rationem Sacramenti, itaque res sacra est: ergo non subditur ex eo tempore potestati Principis sæcularis etiam fidelis. Hoc argumenti genere probaret, putealem & fluvialem aquam, ex quo tempore aqua per Christi institutionem elevata est ad rationem Sacramenti, non subdi amplius potestati Principis sæcularis, etiam fidelis; quo nihil est absurdius.

Pergit: *Quod enim materia hujus Sacramenti contractus sit, non satis est, vt possit Princeps sæcularis leges condere, cum ex quo ea materia per Christum sacra facta est, jam extra ejus jurisdictionem & potestatem sit.* & hæc est manifesta petitio principii.

Hac in quæstione Pontius nec verum Theologum, nec verum juris canonici professorem agit. Non agit verum Theologum, quia quod sibi sumit lemma, (videlicet Christum per Sacramentum Matrimonii, Matrimonium ipsum extra Principum sæcularium jurisdictionem & potestatem collocasse) duobus veræ Theologiæ principiis, Scripturæ auctoritate, & Catholicæ Ecclesiæ traditione derivata ab initio non probat. Non agit verum juris canonici professorem, quia suum illud lemma sacris canonibus & Decretis Sedis Apostolicæ ex iisdem canonibus promulgatis non confirmat. Hoc autem notasse, Pontium & illius sectatores, Hurtadum & Dianam confutasse est.

Pergit continuo Pontius: *Sicut licet homo ante ordinationem sit materia subjecta jurisdictioni sæculari, & similiter bona alia & prædia; attamen post ordinationem, vel postquam donatione sacra, vel Ecclesiastica sacra sunt, extrahuntur a dominio sæcularis Principis, & nullam neque in personas, neque in bona jurisdictionem habet.* Hoc simpliciter enuntiat, nec vt Theologus, nec vt juris canonici professor vllo modo confirmat. Deinde homo postquam ordinatus est Presbyter, remanet Principi suo subjectus, vt antea, tam quoad personam, quam quoad bona, nisi Princeps illum ab omni jurisdictione sua (si tamen id possit facere) immunem reddiderit. Dico, si tamen id possit facere: nam licet possit non judicare actu de subditis suis, tamen facere non potest, vt quandiu remanebit Princeps ac dominus, de iis judicare non possit. Patet potest quidem de-

linquentes liberos non corrigere; sed non potest jure, quod ex se habet eos corrigendi, sese abdicare.

Deinde Pontius cum in libro VI. de Matrimonii impedimentis scribebat, non recordabatur eorum, quæ in libri II. cap. XVI. ita scripserat: *Matrimonium non exigit exprimi simul consensum, neque qua Sacramentum est, neque qua contractus est. Non quia Sacramentum, tam quia si illud non exigit vt contractus, vt statim ostendam; neque vt Sacramentum exigit: nam ad conferendam gratiam elevatus est a Christo contractus Matrimonii suæ dispositioni relictus, & non immutatus*, &c. Quid est Matrimonii contractus suæ dispositioni relictus, nisi causis Matrimonii contractum disponentibus relictus? At disponentes illæ causæ sunt Principes, & leges ab iis de conjugiis institutæ. Addit, contractus Matrimonii *non immutatus*: quo loquendi genere significat Christum, vbi Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit, in eo nihil quicquam mutasse. Quæ omnia cum iis quæ hoc in loco dicit Pontius, vehementer pugnant.

Tum non recordabatur eorum, quæ in libro V. cap. IV. sic scripserat: *Quamvis autem id certum sit inter Doctores Catholicos pro omni Sacramento, etiam Matrimonii; (Ecclesiam nihil posse immutare de materia & forma Sacramentorum) addendum tamen est, Matrimonii institutionem sic in vniversum a Christo factam esse, vt legitimus contractus Matrimonii deinceps sacer esset signum videlicet & causa gratiæ, nulla quidem mutatione facta in materia Matrimonii, quatenus contractus est; sed itaut maneret in genere contractus civilis: & tamen eodem modo permanenti Sacramenti ratio adderetur. Quare Christus nullam specialem materiam & formam & ministrum præscripsit; sed eandem materiam & formam & ministrum Matrimonii esse voluit in genere Sacramenti, atque erant in genere contractus.* Et post pauca: *Verum quia Matrimonium quatenus civilis quidam contractus, est suapte natura subditus imperio Principis, sicut alii contractus, vt vel ex parte formæ, vel ex parte materiæ ab eis variari posset: ideo hac ratione ex parte materiæ & formæ irritari potest Matrimonium, aliquid materiæ mutando, vel aliquid formæ addendo. Hac ratione materia, quæ sunt corpora contrahentium, vt dixi supra lib. I. multis de*

causis impediri possunt, quominus sint materia apta & habilis, & reipsa jure humano in multis casibus ita factum est. Et quia in his casibus jure humano est irritus contractus Matrimonii, consequenter effectum est, ut non sit Sacramentum. Sublato enim priori, tollitur posterius ab ipso dependens: jam enim eo jure non manet verus contractus; & mutata fuit materia Matrimonii, ut contractus est, quia personæ quæ aliàs jure naturali aptæ & habiles erant ad Matrimonium verum & firmum contrahendum, redditæ sunt inhabiles. Quæ omnia convenire non possunt cum iis, quæ hoc in loco scripsit, ut meditanti & inter sese conferenti facile constabit. Itaque cum Pontius in libri II. capite XVI. & in libri V. capite IV. de Matrimonio scribit, de rebus Matrimonii loquitur, ut loquuntur Theologi omnes, qui docent Christum per institutionem Sacramenti hujus non spoliasse Principes eo jure, quo ante illam institutionem in Matrimonium potiebantur. Cum vero in libri VI. de impedimentis Matrimonii scribit, loquitur aliter, cum docet Christum per institutionem Sacramenti hujus spoliasse Principes eo jure, quod ante in Matrimonium habebant: atque ita pugnantia loquitur, in vitium hominis inconsequenter disserentis incurrit, & scriptis suis auctoritatem omnem detrahit. Quod solet iis contingere, quos aliis contradicendi libido & studia partium in transversum agunt, & de recta tractandi methodo deturbant.

Præterea comparatum a simili argumentum manifestam principii petitionem involvit, & pro vero assumit, quod probandum est. Nam id a pluribus Theologis ut falsum rejicitur, nimirum Clericorum immunitatem & quoad personas & quoad bona jure divino sancitam esse. Tum concessa illius probabilitate melioris notæ Theologi disparilem assignant rationem Sacramenti Matrimonii, & aliarum rerum sacrarum, quæ cum per sese etiam sacræ sint, & pro materiali, ut aiunt, supponunt aliquid ab humana auctoritate dependens: atque eam ob causam ex natura sua, adeoque divino & humano jure censentur a civili potestate exemptæ. Sed Matrimonium aliter se habet: per institutionem enim Christi Matrimonium, in quantum civilis contractus Sacramento sub-

X ij

stratus, a politica jurisdictione non eximitur. atque hoc sufficit ad rejiciendam comparationem, quæ rem factam minime probat, sed tantum declarat, aut faciendam ex certa quadam decentia rei ad similitudinem adhibitæ proponit. Hæc autem responsio non tam Theologorum nostræ partis est, quam ipsius Pontii, qui secum ipse non semper habitat. Nam in libri I. de Matrimonio capite VII. tradit quæ sequuntur; *Tertio colligitur, hanc eandem esse materiam & formam Matrimonii, quatenus est Sacramentum. Christus enim in nullo penitus immutavit naturam contractus; sed illam sub Principum dispositione relinquens id quod fuerat legitimus contractus Matrimonii, elevavit vt esset Sacramentum, & conferret gratiam.* Et post alia: *Ultimo colligitur, quia contractus Matrimonii alias & ex natura sua civilis fuit a Christo Domino elevatus ad rationem Sacramenti, licet ex natura sua sæcularium Principum potestati subjectus esset, vt circa instabilitates contrahentium eodem modo possent disponere ac in aliis contractibus: ideo jam solius Ecclesiæ potestati credimus reservatum.* Collectiones hæ duæ id omne confirmant, quod confirmandum ante suscepimus. Deinde per verba hæc: *Ideo merito jam solius Ecclesiæ potestati credimus reservatum;* Pontius seipsum destruit. Nam si connubialis contractus dispositioni solius Ecclesiæ jam reservatus sit, fuit aliquando tempus, quo solius Ecclesiæ, id est, sacerdotalis ordinis dispositioni contractum illum reservatum non fuisse dicendum est. At si fuit tempus quo contractus illius dispositio sacerdotali ordini reservata non fuit, dispositionem illam Christus sæculari potestati non ademit per institutionem Sacramenti. quod nihilominus in libri VI. capite II. dixit, & contra se luculenter dixit. Interim moneo fieri non posse, vt tempus illud certo assignetur, vt ex superiori capite colligi potest: quod enim factum non est ea ratione qua fieri debuit, qui fieret, vt factum certo assignaretur? Et certe non memini legere me Theologum, qui minus quam iste consequenter loqueretur, & quæstionem aliquam tractaret.

Pergit Pontius: *Præterea si Matrimonium etiam post Christi institutionem, quia contractus est, subjectus esset Principum sæcularium dispositioni, nequaquam invitis Principibus fidelibus posset*

Ecclesia ab illis auferre eam potestatem leges condendi, & sibi reservare? Quo enim jure id possit? sicut neque hominem subditum sæculari Principi posset Pontifex eximere a jurisdictione illius, neque interdicere etiam, ne circa contractus alios leges statueret. Egregiam porro rationem, sed quæ sponte sua dissilit! Quasi vero gravis & miserabilis casus immineret Ecclesiæ, vt loquitur, si quæ propria est Principum potestas, hanc Ecclesia non posset Principibus auferre? Quasi vero vt vitetur incommodum quod fingitur, gratis & sine ratione Theologica dicendum esset; Matrimonii contractum statim atque ei accessit Sacramenti dignitas, jurisdictioni sæcularium Principum non subesse. Quidquid fingitur incommodi, quo nova inter Theologos assertio probetur, per id Christiana religio Principibus laicis odiosa redditur; quippe quæ illos re ad hominum societatem optime regendam, & ad conservandam inter subditos pacem necessaria privet. Sed, Deus immortalis! ab hoc sensu quam aliena est Ecclesia, in qua decantatur, *Christum non eripere mortalia, qui regna dat cælestia!* Porro autem Pontius hoc argumenti genere oppugnat illos Theologos, qui Ecclesiam posse Principibus jus condendi leges Matrimonium dirimentes auferre, aut sibi reservare docent, postquam docuerunt Sacramenti rationem non obstare, quominus Matrimonii contractus Principum jurisdictioni subjectum vt ante remaneat.

Pergit Pontius: *Quare nisi ea potestate abuterentur Principes, & aliquid statuerent, quod spiritualem Sacramenti Matrimonii rationem læderet, non possint à Pontifice pro indirecta potestate, quam habet in temporalia, coerceri.* Quid inde, quæso, calamitatis in Ecclesiam Dei inveheretur? Deinde propter potestatis abusum potestas non semper tollitur, sed corrigitur, & ad suos fines revocatur. Tum indirecta illa potestas quam Romano Pontifici tribuit, probari non potest quomodo probanda est: Scripturis videlicet, *Pasce oves.*, *Tu es Petrus*, *Quodcunque ligaveris*, quæ juxta vnanimem consensum Patrum intelligantur, vt in Tridentini Concilii sess. IV. & in formula professionis fidei præscribitur. At veterum Patrum nullus est, tantum abest vt omnes aut magna pars illorum,

Scripturas illas de indirecta, vt sibi sumit Pontius, in temporalia potestate Romani Pontificis intellexerit.

Pontio adjungendus est Franciscus Silvius Duacensis Theologus, qui suos in Summam beati Thomæ commentarios anno MDCXLV. typis mandari curavit. Hic auctor dum quærit, qui possint impedimenta Matrimonii constituere, id in responsione per varias conclusiones recurrentibus in sese dictis materiam involvit. Verba sunt: *Respondeo, quod si res secundum se suamque naturam præcisè consideretur, omnes illi possunt constituere impedimenta Matrimonii, sive solum impedientia, sive etiam dirimentia, qui absolutam habent potestatem ferendi leges, cujusmodi sunt Reges & Principes absoluti, & respublicæ liberæ, quia constitutio impedimentorum est lex quædam præscribens modum & conditionem secundum quam contractus matrimonialis sit incundus. Sed quoniam Matrimonium præter hoc quod sit contractus, est etiam verum legis novæ Sacramentum, aliquot conclusionibus potest responsio explicari.*

In primis conclusionibus veri & absoluti Principes, qui Christiana religione imbuti non sunt, impedimenta Matrimonium dirimentia suis subditis, etiam Christianis, possunt constituere; sed in conclusione quarta Christiani Reges non possunt. *Reges*, inquit, *Christiani non possunt fidelibus suis subditis vllum impedimentum Matrimonii constituere, idque, vel quia licet eam facultatem habeant jure potestatis regalis, Ecclesia ipsos ab ejus vsu impedit illam sibi reservando, vel quia sæcularis potestas revera non habet ejusmodi potestatem, neque potest vllam legem statuere ad substantiam Matrimonii Christianorum directè vel indirectè pertinentem, quæ robur habeat, nisi ab Ecclesia tacitè vel expressè probetur.* Bimembris est conclusio. Pro priori membro laudat Caput *Tuam de ordine cognationis*, Caput *de Francia*, & Caput *Euphemium*: quæ tria dispersa & dissipata sunt supra in articuli II. capite III. Pro posteriori rationes Pontii adhibet, quas ante discussimus, & vt invalidas elidimus.

In priori membro, quominus Principes jure potestatis suæ impedimenta Matrimonium dirimentia fidelibus subditis constituant, Sacramenti dignitas non impedit: in posteriori membro prorsus impedit. Quæ & qualis disputandi metho-

dus? In priori membro ætates ſunt duæ, quarum vna Principes jure ſuo vtentes ſumma cum libertate vidit, altera non vidit. Nimirum Eccleſia juris illius vſum cohibuit, & ſibi ſoli reſervavit, etiamſi Principes apud auctorem hunc imminuendæ poteſtatis ſuæ cauſam nullam dederint. Quæ & qualis in Eccleſia æquitas & juſtitia! non multum certe ab illa diſſentiens, qua Principes Chriſtiani ſacerdotalis poteſtatis vſum cohiberent, & eum ſibi ſoli reſervarent. In poſteriori membro Chriſtiani Principes nec habent, nec habuerunt vnquam jus ferendi leges, quibus Matrimonia ſubditorum ad commune reipublicæ bonum dirigerent, & ea vllis de cauſis dirimerent: & ſi quando ferrent, leges ejuſmodi carerent robore, niſi tacite vel expreſſe probarentur ab Eccleſia; tametſi jus ferendarum legum illarum Principibus proprium foret, nec ad ſupernaturalem ordinem pertineret, vt Silvius in Reſponſione ſua probavit. Quod & quale diſputandi genus, non diſſentiens ab illo vtique! quo quis in ſe reciperet, ſacerdotalis ordinis conſenſum non poſſe vllum de rebus ſacris, & ad ſupernaturalem finem ſpectantibus canonem condere qui robur habeat, niſi tacite vel expreſſe probetur a Principibus. Et quamvis nomen *Eccleſia* ſignificatus plures importet; Silvius tamen ad eos non attendit: ratus, opinor, ſe non ita ſcripſiſſe quæ ſcripſit, ſi attendiſſet, vt videre eſt in articuli 11. capite 11.

Reliquum eſt modo, vt ex principiis doctrinæ hujus mirificæ ſincera fiat ad Regem ethnicum, qui Chriſtianæ religioni nomen dare vellet, admonitio. Sic ergo breviter fiet, ſi Principi competenti dicatur: Scire debes, Princeps optime, te craſtina die poſtquam baptiſmum ſuſceperis, & Chriſtum ſervatorem tuum ac noſtrum indueris, ſine culpa vlla tua amiſſurum certam quandam poteſtatem, quæ ad continendos in officio populos, & ad conſervandam regni tui pacem ac tranquillitatem tibi hactenus neceſſaria fuit. Hæc autem poteſtas, quæ politicæ adminiſtrationis pars eſt maxima, in ferendis circa ſubditorum tuorum Matrimonia legibus conſiſtit, dum alii ad illa contrahenda habiles, alii inhabiles, prout communi bono expedit, redduntur. Hæc admonitio ad

confutationem doctrinæ recentium Theologorum, vt cumulus accedit. Et sane dubito, an Pontius, Hurtadus, Diana & Silvius satis attenderint, quo doctrinæ suæ novitas pertineat: cum eo sit periculosior, quo sub specie sacerdotalis auctoritatis & amplitudinis incautos decipere poterit; sed cautos & prudentes non decipiet, cum probe scierint doctrinæ novitatem a Patribus nunquam vocatam esse Catholicam, sed non raro hæreticam vocatam esse.

CAPUT X.

Recentioris cujusdam Jurisconsulti de causis matrimonialibus tractatus plures excernuntur, & illorum vitia demonstrantur.

HENRICUS Canisius, quem juris vtriusque professorem Ingolstadiensis habuit Academia, tractatus plures edidit de causis matrimonialibus, & in iis jus omne circa connubiales leges Principibus abjudicare conatur. Conatui jam occurrimus, cum in articuli hujus II. capite III. quæsitam ex Tridentino canone: *Si quis dixerit matrimoniales causas non spectare ad judices Ecclesiasticos, anathema sit;* objectionem diluimus, & canonis sensum ex Theologorum sententia, & traditione Ecclesiæ apertam in lucem emisimus. Nam si quid profert solidi Canisius, huic canoni totum inniti videtur. Sed vt quæ ibi differuimus magis ac magis confirmentur, adnoto nonnulla e Canisii tractatibus loca, in quibus nunc principium petit, nunc falsis momentis vtitur, nunc alia in disputando vitia committit.

1. In pagina 11. Ingolstadiensis editionis anni MDCV scribit: *ubi de jure Matrimonii contrahendi vel distrahendi agitur, nullus, opinor, interpretum est, qui quæstionem hanc ad tribunal sæculare referendam existimet, vt vel hinc discamus non immerito eos anathemate perstringi a Concilio Tridentino, qui asserunt causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos.* Nempe

pe perstringuntur anathemate, qui matrimoniales de dotibus, de successionibus, de donationibus inter virum & vxorem causas ad sæculare tribunal referunt. Qui sic disputat, secum habitare dicendus non est. Matrimoniales causæ, quæ ad Matrimonium, quatenus Sacramentum est, ad Ecclesiasticos judices referendæ sunt, vt illæ quæ ad idem Matrimonium, quatenus civilis contractus est, ad sæculares judices referendæ sunt. Sicut causæ quæ de pane, quatenus panis est, moverentur, ad sæculares judices referri debent, & causæ quæ de eodem pane, quatenus Eucharistici Sacramenti materia est, ad Ecclesiasticos judices referri debent.

II. In pagina V. dicit: *Catholica Ecclesia perpetuo Matrimonium pro Sacramento habuit, sicut ex sanctis Patribus præter alia sacræ Scripturæ loca & rationes luculenter probant illustrissimus Cardinalis Bellarminus, & clarissimus Theologus Gregorius de Valentia, ad quos lectorem brevitatis causa remittimus.* A conjunctis ad divisa philosophatur; & quia Matrimonium, quatenus Sacramentum sacerdotalis est juris, contendit idem Matrimonium, quatenus civilis contractus est Sacramento substratus, sacerdotalis quoque juris esse; perinde ac si sic philosopharetur: Eucharisticus panis Sacramentum est: igitur illius cognitio ad Sacerdotes pertinet; & quia sic pertinet, ad eosdem pertinere quoque debet panis, quatenus panis est, cognitio. Sed vt quam sincero sit animo Canisius appareat, videndum est quid Bellarminus & Valentia de Principum in Matrimonii contractus jure sentiunt. Ille cap. XXXII. de Matrimonio: *Causæ*, inquit, *matrimoniales tertii generis* (de impedimentis) *nos dicimus ad politicum Magistratum pertinere posse, sed cum subordinatione ad Ecclesiasticum.* Hic vero in quæstione V. de impedimentis Matrimonii puncto I. *Non solum Ecclesiastica auctoritas, sed etiam politica, seu civilis posset Matrimonio impedimenta apponere, quatenus est contractus quidam ordinatus ad bonum etiam commune reipublicæ civilis.*

III. In pagina VI. dicit, *Theodosium cum collegis Imperatoribus, & Iustinianum de Matrimonio leges condidisse contra præscriptum sacrorum canonum:* & hoc mera est impostura. Neque enim adferri potest lex vlla de Matrimonio, quam Theodo-

fius contra præſcriptum ſacrorum canonum ediderit. Cum Imperator ille conſobrinarum tanquam ſororum Matrimonia prohibuit, quinam, quæſo, ſunt ſacri canones, qui ante vetuerant, ne conſobrinarum Matrimonium iniretur?

IV. In pagina VII. dicit: *Fatemur quidem, Matrimonium non minus eſſe juris gentium, quod ab omnibus gentibus receptum ſit: at juris civilis negamus inter Chriſtianos, qui Catholicæ Eccleſiæ legibus vivunt. Quod enim quidam legiſlatores politici apud Chriſtianos tentaverint certam formam Matrimonio præſcribere, ſine jure fecerunt, falcem in meſſem alienam mittendo.* Cur ergo qui ſacerdotale tunc adminiſtrarunt officium, vſurpationem tantam paſſi ſunt? Hoc in loco, vt & alibi paſſim, petit principium, ſibi ſumens Matrimonium civilem contractum non eſſe amplius, ex quo illi Sacramenti ratio ſuccerevit. Caniſius profecto ad inſtituendam de Matrimonio tractationem illotis & pedibus & manibus venit. Theologorum, qui de Matrimonio ſcripſerunt, commentarios nullos perlegit, aut temere contempſit.

V. In pagina VIII. *Quod Iudæi Romanis moribus, non Iudaïcis Matrimonia inire jubeantur, nihil officit cauſæ noſtræ: ſi quidem extra Eccleſiam ſunt Iudæi, ac proinde eorum Matrimonia non Sacramentum, ſed contractus civilis eſt. Vnde recte Princeps ſæcularis legem in contrahendo Matrimonio illis præſcribere poteſt, non obſtante lege Moſaica, quæ per mentem Chriſti abolita eſt.* Sic Sacramenti dignitas, quæ civili contractu poſterior eſt, civilis contractus naturam funditus evertit, & facit vt contra philoſophicum axioma prius a poſteriori pendeat. Sed hoc auctore quid fiet, cum in ſequenti capite patebit Matrimonium tam in veteri quam in novo Teſtamento Sacramenti nomine donatum fuiſſe; & eam ob cauſam ſæcularis Princeps leges in contrahendo Matrimonio, vt Judæis, ita & Chriſtianis præſcribere potuit. Hoc autem ita poſito, concidit quidquid Caniſius contra jura Principum in ſuos jecit commentarios.

VI. In pagina XI. & XII. dicit: *Quis enim credat nonnulla, quæ Iuſtinianus ſanxit circa Matrimonium juri divino & ſacris canonibus adverſa, Epiſcoporum conſenſu promulgata, probata & firmata*

fuisse ? qui repudium inter conjuges non modo toleravit & permisit tanquam minus malum; sed & certas causas constituit, ob quas repudium alter alteri conjugum mittere posset, missoque repudio Matrimonium vere dissolvi credidit: vt si maritus contra Imperium consilium captaverit, vel captantibus aliis Imperatori non prodiderit; si vxoris vitæ insidiatus fuerit, vel etiam castitati, alteri videlicet eam adulterandam tradendo; si de adulterio inscripserit vxorem, sed probatione defecerit; si cum alia muliere domi vel foris rem habuerit, & monitus non destiterit. Ex his enim causis mulieri a marito divertere licebat ex lege Iustiniani. Idem jus erat marito in vxorem suam, si ipsa vel adultera esset, vel conscia eorum, qui contra Imperium aliquid moliebantur, & marito non indicasset, vel vitæ mariti insidias struxisset, vel invito marito convivia instituisset, sive foris pernoctasset, aut ludis circensibus sive theatralibus interfuisset. Et licet ante Iustinianum plures hujusmodi causas repudii induxerint Theodosius & Valentinianus Imperatores, nemo tamen non videt, quin hæ omnes cum lege Evangelica pugnent. Ut ergo rem paucis absolvam, fateor me non invitum ire in illorum sententiam qui dicunt, Iustinianum in legibus Ecclesiasticis condendis nimium fuisse, & terminos jurisdictionis suæ excessisse, dum tulit hujusmodi leges. Et primum quidem quod auctor iste credi nolit, credere omnino poterit, qui nec dissentientes Justiniani legibus Episcopos, & præsertim Romanum, reperiet, nec eos pro lege Evangelica opponentes se tanquam murum aheneum tunc inveniet. Hic ad hominem disputamus: quinetiam Pontifices Justinianum multis laudibus affecerunt.

Deinde quid auctor dicet de Gregorio II. qui quæ sequuntur Bonifacio Moguntinensi Episcopo respondit? *Quod proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset si sic permaneret, vt abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis; non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, cui infirmitas præpedit, & non culpa detestabilis excludit.* Qua ratione Gregorii responsum istud cum Evangelica lege conciliaturus est Canisius, eadem & Justiniani leges cum lege Evangelica, ni fallor, conciliare poterit.

Tum vnum ex iis capitibus quæ auctor in Justiniano coarguit, in Pœnitentiale Romanum illud quod Antonius Augustinus edidit, sic transivit: *Contigit tibi vt vxor tua, te conscio & hortante, cum alio viro, illa autem nolente, adulterium perpetraret; si fecisti, quadraginta dies in pane & aqua pœniteas, & septem annos, vnum ex his in pane & aqua, & nunquam sis sine pœnitentia. Si autem vxor tua hoc probare potuerit, quod tua culpa & tuo jussu, se renuente & luctante, adulterata sit; si se continere non potest, nubat cui voluerit tantum in Domino: tu autem sine vxoria spe in perpetuo maneas. Illa si consentiens fuerat, eadem jejunet; quæ tibi proposita sunt, & sine spe conjugii maneat.* Qua vero ratione Pœnitentiale Romanum hac in re cum Evangelica lege conciliaturus est Canisius, eadem & alias Justiniani leges cum Evangelica lege conciliare poterit.

Hinc qui dicunt, Justinianum jurisdictionis suæ terminos excessisse, non fuerunt Justiniano æquales, vel ætate suppares, sed qui longo post illum tempore vixerunt. Verum ita sit, in indicatis legibus Imperatorem jurisdictionis suæ terminos excessisse: quid inde? Imperatorem fortasse certas quasdam de Matrimonio leges quæ non pugnabunt cum Evangelio, ferre non posse. Quæ consecutio? Hadrianus VI. in commonitorio, quod Francisco Cheregato eunti in Germaniam dedit, scribere non veretur: *Scimus aliquot jam annis in hac sancta Sede multa abominanda fuisse, excessus in mandatis, abusus in spiritualibus, & omnia demum in perversum mutata.* Quis inde conficiet, Romanos Pontifices ea præstare non posse, quæ abominanda non sunt; mandata dare non posse, in quibus excessus nullus fiat; spiritualia tractare non posse, quæ omni abusu careant, & eadem exequi non posse, in quibus ordo & modus servetur. Hic Canisio aqua hærebit.

Denique ratio qua probat, Theodosium & Justinianum in condendis circa Matrimonium jam contractum jurisdictionis suæ terminos excessisse, non probat, eosdem Imperatores in condendis circa Matrimonium contrahendum legibus jurisdictionis suæ fines transiliisse. In conditis circa Matrimonium jam contractum legibus cum lege Evangelica pugnari potest, in condendis circa Matrimonium contrahendum legibus cum

lege Evangelica pugnari raro poteſt. Exemplum ſit in conſanguinitatis impedimentum, quod Theodoſius lege lata poſuit. Imperatores de ſua in Matrimonium hoc vel illo modo contrahendum poteſtate ſecuti eam ad contractum Matrimonium hoc vel illo modo diſſolvendum produxerunt, libenter, & hoc libentius, quod ab Epiſcopis, & a Conciliis minime coarguerentur. Huc omnino ſpectant, quæ in articuli I. cap. XI. Celeſtinus I. Leo I. Hilarus, Felix III. Gregorius I. Leo II. Gregorius VII. & Paſchalis II. de pertinaci in rebus hujuſmodi ſilentio pronuntiarunt. Hic Caniſius adverſa venatur Delia: inde regalis confirmatur poteſtas, vnde eam infirmari voluit. Conſilium malum ſemper fuit conſultori peſſimum.

VII. In pagina XV. cum ſæculi Principes de matrimonialibus cauſis judicaſſe objicitur, reſpondet id probare tantum, *quid Principes fecerint de facto, non quid de jure. At in ea quæſtione verſamur, quid de jure poſſint Principes.* Sed auctor iſtud nec probat, nec probare poteſt, niſi manifeſta petitione principii, quæ vitioſa prorſus eſt diſputandi ratio. Id autem de jure poſſunt Principes, quod illis laudati in articuli I. cap. I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. & in articuli II. capite II. Theologi vindicarunt. Quæ ad Matrimonii impedimenta & contractum pertinent, naturalis ex ſe ſunt ordinis, & eam ob cauſam materia civilium legum, quas tulerunt olim, hodieque Principes ferre poſſunt.

VIII. In pagina XVII. dicit: *Quod vero Eccleſia nonnullas Principum leges ſive conſtitutiones in cauſis Matrimoniorum retineat, velut in cognatione legali, id non auctoritate Principum fit, ſed ex benignitate & approbatione Eccleſiæ, cum videat eas a Chriſtianis moribus non abhorrere.* Perpetua eſt principii petitio, & ludus præterea in nomine Eccleſiæ, quod ſignificatus complures habet. Eccleſia, qua Clericorum cœtus eſt, Principum conſtitutiones in cauſis Matrimoniorum retinet, vt in cauſis venditionis & emptionis retinet, non dando vim illis conſtitutionibus, ſed iis vtendo, cum vti neceſſe eſt ad finem imponendum cauſis, quæ de Matrimoniis occurrunt, vt vidimus in articuli I. capite XIII. & in articuli II. capite VIII. Aut

nescit auctor quid arguatur, aut sibi sumit, Ecclesiam, quâ Clericorum cœtus est, directam in temporalia potestatem habere. Quod si sibi sumat, falsum sibi sumit. Id tamen significat, cum ait, legalem cognationem, quæ impedimentum est dirimens, non ex Principum auctoritate, sed ex benignitate & approbatione Ecclesiæ dirimentis Matrimonium impedimenti vim habere. Sed istud nec probat, nec probare potest, etiamsi politico statui injuriosa videatur & sit assertio. Quid enim magis ad civilem statum pertinet, quam impedimentum legalis cognationis, quæ ab ipsis Principum legibus sortitur nomen, & legalis appellatur? Id tamen non obstat quominus hic auctor scribat legalis cognationis impedimentum suam non a regno, sed a Sacerdotio vim repetere. Confidentiorem in scribendo & audaciorem vidi neminem.

IX. In pagina XIX. dicit: *Principes de connubiali contractu tulerunt olim leges, quid tum? sed jure eos tulisse demonstrandum est.* Demonstrant Theologi in articuli I. capite I. & sequentibus, & in articuli II. capite II. laudati, & iis demonstrant rationibus quas debuit Canisius diluere, sed non diluit; & nihilominus audet scribere, *demonstrandum est.* Quæ dissimulatio? quæ confidentia?

X. In pagina eadem dicit: *Antiquissimi Pontifices usque ad illos, qui tempore Caroli Magni Gothorum & Longobardorum Ecclesiam administrarunt, responderunt de causis matrimonialibus ut judices, & Decreta ediderunt, ut legislatores. Ad illos igitur potius ascendendum est hanc curam pertinere, quam ad Principes politicos. Antecedens probatur ex divo Paulo I. Corinth.* VII. *& ex canone Apostolorum quinto supra a me citato, ex canone De propinquis, can. Quo propriam* XXXV. *q.* II. *ex can. Consanguineos* XXXV. *q.* VI. *qui omnes sunt Fabiani S. Pontificis in re matrimoniali, ex canone Presbyter dist.* XXVIII. *ex canone De his* XXXI. *q.* I. *qui sunt Concilii Neocæsariensis; ex canone Aliter* XXX. *q.* V. *qui canon est Evaristi Papæ: quæ benevolus lector inveniet fuse apud Gratianum.* Canisius matrimoniales causas omnes hinc confundit; inde nullum veri ac falsi discrimen gerit, ut nisi cuncta, certe aliquid ad propositum dixisse videatur. Expendamus singula.

Et primo quidem, ad matrimoniales causas, de quibus agitur, quid beati Pauli epistolæ prioris ad Corinthios caput VII. attinet? *De quibus autem scripsisti mihi: Bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat*, & cetera, quæ nec ad Matrimonii contractum, nec ad leges, quibus Matrimonii contractum dirigitur, referri possunt. Hoc exponere, Canisium nescire quid scribat, ostendisse est.

Deinde idem dicendum est de Apostolorum canone V. qui sic se habet: *Reliqua poma omnia ad domum primitiæ Episcopo & Presbyteris dirigantur, nec offerantur in altari. Certum est autem, quod Episcopis & Presbyteris dividant & Diaconis & reliquis Clericis.* An major dari posset ἀπροσεξία? Citare forsan voluit canonem VI. qui est ejusmodi: *Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat; si vero rejecerit, excommunicetur; sed etsi perseveraverit, dejiciatur.* Siccine hoc canone tanguntur vel matrimoniales contractus, vel impedimenta, quibus illi dirimantur? Canisius similis est illi Atheniensi viro credenti suas esse naves illas omnes quæ ad Piræum appellebant.

Tum laudatur canon *De propinquis*: *De propinquis qui ad affinitatem per virum & uxorem veniunt, defuncta uxore vel viro, in quinta generatione conjunguntur; in quarta, si inventi fuerint, non separentur; in tertia vero propinquitate non licet uxorem alterius recipere post obitum ejus: æqualiter vir conjungatur in Matrimonio eis quæ sibi consanguineæ, & uxoris suæ consanguineis post mortem suæ uxoris.* Gratianus verba hæc vel Fabiano subjecit, vel ab eo, qui subjecerit, accepit, cum in nulla trium epistolarum, quæ huic Pontifici suppositæ sunt, repetiantur. sic & de ceteris quæ Fabiano attribuit. Porro autem nosse debuerat ea quæ ad consanguinitatis gradus pertinent longe posteriora esse Theodosio seniore, qui primus legem de consobrinis non jungendis Matrimonio tulit. Fabianus anno CCLII. vitam deposuit, & Theodosius cœpit anno CCCLXXIX. Imperii habenas tenere.

Hinc laudantur canones duo Neocæsariensis Concilii, qui

sic se habent: *Presbyter si uxorem acceperit, ab ordine deponatur; si vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli potest, & ad pœnitentiam redigi.*

De his qui in plurimas nuptias inciderunt, & tempus quidem præfinitum manifestum, sed consolatio eorum & fides tempus abbreviat.

In canone *Presbyter* contractum a Presbytero conjugium non rescinditur, quia Presbyterium nondum erat impedimentum, quo Presbyter ad contrahendum Matrimonium inhabilis redditur; at inhabilitas hujusmodi ex objecto, fine & circunstantiis juri Principum deputatur. Sic Neocæsariensis Synodus Presbyteri Matrimonium minime rescindit, sed Presbyterum ab ordine suo removendum esse censet. Quo pacto Synodus causæ Canisii nocet, si quod capiendum est, caperet.

Canon *De his* ad rem minime spectat, cum ibi de latis ad ineundum conjugium legibus, aut de impedimentis non agatur. Agitur de observanda conversatione eorum, qui plures subinde nuptias inierunt.

Postremo laudatur canon Evaristi, & ita se habet: *Aliter non fit conjugium, nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem videntur habere, & a quibus custoditur; uxor petatur, & a parentibus aut propinquioribus sponsetur, legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicatur, & a paranymphis, ut consuetudo docet, custodita & consociata, a proximis tempore congruo petita legibus dotetur, & solenniter accipiatur, & biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant.* Hæc desumpta sunt ex Evaristi epistola prima, quæ omnino subdititia est. Impostoris ignorantiam prodit consularis nota hæc: *Data* IX. *Calend. Aprilis, Valente & Vetere viris clariss. Coss.* Nam in Evaristi Pontificatu toto nusquam comparent Valens & Vetus Consules; reperitur quidem Vetus, sed Æliano junctus. In Ecclesiasticis annalibus Clementis annum sextum consignant Valens & antistius Vetus Consules, quos impostor ad Evaristi annum VII. devocavit.

Deinde Gratianus detraxit membrum unum, quod frau-

dem

dem omnium oculis subjecit; restituendum est ita: *Similiter custoditum & traditum habemus, vt vxor legitime jungatur. Aliter enim legitimum, vt a Patribus accepimus, & a sanctis Apostolis eorumque successoribus traditum invenimus, non fit conjugium,* & cetera, vt supra. Siccine locutum credemus Evaristum, qui anno Christi CXX. excessit? Quinam sunt illi Patres, quinam Apostoli, quinam Apostolorum successores id tradiderunt? Et sane non miror, Joannem Contium in cap. *Aliter* notasse Evaristi decreta sibi videri supposititia. Sed miror, cur Canisius non observaverit, Evaristum in epistola sua, quid ex præscripto juris civilis, non quid ex juris Pontificii regulis factum vel faciendum sit, exponere: quo nihil est præjudiciis Canisii magis contrarium. Hic auctor arma contra se subministrat.

Præterea non satis accurate loquitur, cum Decreta Pontificum canones appellat, non appellaturus, si legisset Photiani Nomocanonis caput IV. *Quod non ab vno Episcopo, sed a communi Episcoporum cætu canones promulgentur. Basilii canon XLVII. circa finem, & Gregorii Nyssæi VI. circa medium.* Id Facundus Hermianensis Episcopus confirmat in libri XII. pro defensione trium capitulorum capite III. *Canones*, inquit, *constituere, nonnisi multis & in vnum congregatis primi ordinis Sacerdotibus, non licet.* Hæc ille, qui medius inter Basilium & Photium vixit.

XI. In pagina XXII. & XXIII. *Quod autem sanctus Augustinus citat & probat legem quandam Antonini Imperatoris, qua vetat, ne maritus adulter adulteram vxorem accuset, vel, vt ambo damnentur, si ambos pariter impudicos conflictus ipse convicerit, id non indicio est, Episcopos Imperatori consiliarios aut assessores esse; sed recte Episcopos hujusmodi leges comprobare. Nec enim inviti fatemur posse Principem sæcularem in re spirituali & Ecclesiastica, ad coercendum ejus abusum, & retinendam civilem disciplinam, juxta dispositionem canonum, pœnam adjicere.* Nunc inspiciendum est paullo diligentius, num Ecclesiarum magister Imperatorem Antoninum vsurpatæ in Matrimonium jurisdictionis accuset, & omnem ei circa Matrimonium, *quia Sacramentum est, quia res sacra est*, potestatem abjudicet. Beati Augu-

stini adscribo verba e libri II. de adulterinis conjugiis capite VIII. *Sed cum hæc eis dicimus, non solum nihil volunt detrahere se veritati, sed irascuntur insuper veritati, & loquuntur atque respondent: Sed nos viri sumus. An vero sexus nostri dignitas hanc sustinebit injuriam, vt cum aliis feminis præter vxores nostras si quid admittimus, in luendis pœnis mulieribus comparemur? Quasi non propterea magis debeant illicitas concupiscentias viriliter frenare, quia viri sunt: quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad virtutis hujus exemplum se præbere, quia viri sunt: quasi non propterea minus debeant a libidine superari, quia viri sunt: quasi non propterea minus debeant lascivienti carni servire, quia viri sunt? & tamen indignantur, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris feminis pœnas, cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet virtute vincere, & exemplo regere feminas. Christianis equidem loquor, qui fideliter audiunt, caput mulieris vir, vbi se agnoscunt duces, illas autem comites esse debere: & ideo cavendum est viro illac ire vivendo, qui timet ne vxor sequatur imitando Sed isti quibus displicet, vt inter virum & vxorem par pudicitiæ forma servetur, & potius eligunt, maximeque in hac causa, mundi legibus subditi esse quam Christi, quoniam jura forensia, non eisdem quibus feminas pudicitiæ nexibus viros videntur obstringere. Legant quid Imperator Antoninus, non vtique Christianus, de hac re constituerit, vbi maritus vxorem de adulterii crimine accusare non sinitur, cui moribus suis non præbuit castitatis exemplum, ita vt ambo damnentur, si ambos pariter impudicos conflictus convicerit. nam supradicti Imperatoris verba sunt, quæ apud Gregorianum leguntur: Sane, inquit, meæ literæ nulla parte causæ præjudicabunt. Neque enim, si penes te culpa fuit, vt Matrimonium solveretur, & secundum legem Iuliam Eupasia vxor tua nuberet, propter hoc rescriptum meum adulterii damnata erit, nisi constet esse commissum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere, an cum tu pudice vivere, illi quoque bonos mores colendi auctor fuisti: periniquum enim mihi videtur esse, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipse non exhibet. Quæ res potest & virum damnare, non ob compensationem mutui criminis rem inter vtrumque componere, vel causam facti tollere, si hæc observanda sunt propter decus terrena*

civitatis, quanto castiores quærit cælestis patria & societas angelorum? Hic beatus Augustinus non tergiversatur, vt eum tergiversari vellet Canisius. Imperatoris quamlibet ethnici legem non repudiat, sed honorifice laudat, & ad regendos Christianorum mores assumit. Quod si verum est in iis, quæ Matrimonii contractum sequuntur; multo verius erit in iis, quæ & antecedunt eundem Matrimonii contractum, quales sunt leges, quæ Matrimonium vel dirimunt, vel quæ etiam Matrimonium in ratione civilis contractus, constabiliunt.

XII. In pagina LXIV. *Potestas Imperatorum ethnicorum ideo extendebat se etiam ad Matrimonium ethnicorum, quod apud eos Matrimonium nonnisi contractus quidam civilis esset, non aliter quam exemptio, venditio, &c. At apud Christianos Matrimonium Sacramentum est ex institutione Christi: vnde ad aliud tribunal recte translatum est: quo quidem ipso imminuta nonnihil remansit. potestas successorum respectu antecessorum; siquidem hi habuerunt aliquid juris in contractum Matrimonii, in quem posterioribus propter Sacramentum nihil relictum est.* Hoc gratis enunciatur, & sine ratione, quæ ex duobus veræ Theologiæ principiis, Scripturarum auctoritate, & Catholicæ Ecclesiæ traditione, vel saltem ex duobus sacerdotalis juris principiis, sacris nimirum canonibus, & Sedis Apostolicæ decretis ex iisdem canonibus promulgatis comparanda esset. Canisius de neutro cogitat, ratus, opinor, suam sibi ad præsidium assertionis auctoritatem sufficere. Sed quidquid tam confidenter sibi sumit, ab omnibus dissipatum est Theologis, quorum sententias & sententiarum rationes in articuli I. capite I. & insequentibus, & in articuli II. capite II. protulimus.

XIII. In eadem pagina: *Duas potestates complectitur fides seu religio Christiana; alteram politicam, alteram Ecclesiasticam: illa rebus profanis & civilibus, hæc sacris & spiritualibus præest. Cum ergo ea res, quæ antea profana erat, ex Christi instituto relata est in classem spiritualium, necesse est, decesserit aliquid potestati politicæ, & ad angustiores terminos, quam antea, redacta sit: & eatenus potestas imminuta aliquo modo censetur, dum Matrimonii dispositio & judicium illi subtrahitur, & Ecclesiastico Magistratui applicatur.* Recte quidem dicit politicam potestatem rebus

profanis & civilibus præesse. At Matrimonium priusquam intelligatur Sacramentum, debet existere vt civilis contractus: non potest autem vt civilis contractus existere, nisi convenienter latis de contrahendo Matrimonio legibus fiat. quo in eventu Matrimonium, qua civilis contractus est, totum Principum auctoritati subjicitur, nec contractus civilis naturam mutat accedens Sacramenti ratio. Recte quoque dicit Ecclesiasticam seu sacerdotalem potestatem rebus sacris & spiritualibus præesse; sic præest Matrimonio qua Sacramentum est, & controversiis omnibus, quæ ex Sacramento tali progerminant. Judicat de partibus Sacramenti, materia & forma; judicat de dispositionibus, quæ ad Sacramentum digne suscipiendum requiruntur; judicat num Matrimonium, vt in nova, sic & antiqua lege Sacramentum habitum fuerit. In summa, vt politica potestas de Matrimonii contractu, & de iis quæ Matrimonii contractum civilem antecedunt, comitantur per se & subsequuntur, judicat: sic & sacerdotalis potestas de Matrimonio, quatenus Sacramentum est, & de rebus, quæ ad Sacramentum tale spectant, judicat.

Quidquid vero subjungit Canisius, antiquitati ignotum est vniversæ. Tractator Ecclesiæ nullus est, qui per annos a Christo plusquam mille similia iis quæ heic ille dicit, in se receperit: & sic qua facilitate afferuntur, eadem & negantur.

XIV. In pagina LXIV. & LXV. *Falsum est vel Philippum, vel Constantinum plenum jus imperii retinuisse, hoc est, omnem illam potestatem sibi vendicasse, quam exercuerunt ethnici Imperatores. Extant quidem de Matrimonio duæ constitutiones Philippi sub tit. Cod. de interdicto Matrimonio; sed quas ipse tulit, cum nondum Christianus esset, vel ad rogationem ethnicorum, de quorum Matrimonio agebatur: argumento est, quod is imperaverit tempore Fabiani Pontificis, cujus Decreta de Matrimonio extant apud Gratianum, quæ vtique non tulisset Fabianus vir sanctus, si jus condendi leges matrimoniales pertinere ad Imperatorem existimasset.* Quod falsum esse dicit auctor, falsum esse definit, cum idonea non suppetit probatio, quam nec objiciunt, nec possunt objicere supposititia Fabiani Papæ Decreta.

Hæc si extent apud Gratianum, satis esse putat ille, vt pro veris ducantur.

XV. In pagina LXXVII. *Potest summus Pontifex inconsulto Magistratu politico ordinare aliqua circa Matrimonium præter illa, quæ jus naturæ aut Christus tradidit, quia illi in beato Petro dictum est: Quodcunque solveris super terram.* At Benedictus quidam Papa in appendice Lateranensis Concilii III. titulo de sponsalibus cap. XXVIII. Canisio sic contradicit: *Cur prohibeam*, inquit, *quod prohibitum nunquam sacra Scriptura declaravit; sed neque mundanæ leges connumeratis personis, quibus inter se nuptias contrahere non licet, de hujusmodi aliquid dicunt negotio?* Hæc laudantur in articuli 1. capite XIII. Deinde cum Scripturæ verba transfert ad ferendas leges de contractu Matrimonii obsequium tacitus detrectat Tridentinæ Synodo, quæ contra similes Scripturæ interpretes sic decernit in sess. IV. *Præterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, vt nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per ordinarios declarentur, & pœnis a jure statutis puniantur.* Profecto censendus est auctor suum ad sensum contorquere Scripturæ verba, quæ nullus vnquam sanctorum Patrum de ferendis a Romano Pontifice circa Matrimonii contractum legibus intellexit. Auctoris crimen ex eo augetur, quod sessionis illius Decretum in formulam professionis fidei transierit. *Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam, nisi juxta vnanimem consensum Patrum, accipiam & interpretabor.* Hunc articulum professionis fidei Canisius neglexit.

Tum demum Sophisticem exercet, dum vsus illis Scripturæ verbis fallaciam accidentis committit, a non distributo

ſcilicet ad diſtributum concludens: quo fallaciæ genere nec Romanus Pontifex, nec vniverſus ordo Sacerdotum indiget, vel indigebit vnquam; & qui indigere pugnaret, de Romano Pontifice, & de vniverſo ordine Sacerdotum tam male mereretur, quam qui maxime. Id autem vitii genus, vt vitetur, ſervanda eſt regula Tridentini Concilii.

XVI. In pagina LXXVII. & LXXVIII. viam aperit funditus evertendi quidquid in opere ſuo toto ſcripſit, reſpondens argumento ſequenti: *Principes poſſunt ferre leges de bonis moribus & virtutibus, item de vitiis & peccatis oppoſitis: ergo etiam de Matrimonio. Probatur conſequentia. Quia virtutes & peccata virtutibus oppoſità, ſunt res ſpirituales, imo magis videntur ſpirituales, quam aliæ nonullæ, quarum notionem Eccleſiaſtici ſibi vindicant: ergo quod Matrimonium ſpiritale ſit, non obſtabit quominus ſæcularis Princeps de eo poſſit cognoſcere. Reſpondetur: Matrimonium, vt Sacramentum, eſt res ſpiritualis, quia gratiam confert, ad id a Chriſto inſtitutum, quamvis & ſignificet ſpiritualem illam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, juxta illud divi Pauli: Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia; virtutes vero & vitia res natura ſua ſpirituales ſunt, & eatenus conſiderantur a politico Magiſtratu, quatenus principaliter conſervant vel deſtruunt bonum civile, cujus ille adminiſter eſt; non vero vt ſunt res quatenus promovent vel impediunt æternam beatitudinem.* Sic dicimus de Matrimonio. Nam illud eatenus conſideratur a politico Magiſtratu, quatenus principaliter conſervat bonum civile, ſi rite contrahatur; vel deſtruit bonum civile, ſi non rite contrahatur. Civilis autem boni adminiſtrum eſſe politicum Magiſtratum quis ignorat? Sed Matrimonium non conſideratur a politico Magiſtratu, quatenus Sacramentum eſt, & quatenus promovet æternam beatitudinem, ſi dum celebratur contra leges non peccetur; vel quatenus impedit æternam beatitudinem, ſi dum celebratur contra leges, peccetur. Cum autem Caniſius ſubjungit: *At gratia illa, quæ Matrimonio ineſt, cum ſupernaturalis ſit, merito efficit, vt Matrimonii diſpoſitio & controverſiæ ad Eccleſiæ* (id eſt, Sacerdotum) *judicium ſpectent.* Ad ſolitum ſe recipit perfugium, quod in manifeſta principii petitione conſiſtit. Præ-

cetera ignoranter contendit, vt prius a posteriori pendeat; nempe vt Matrimonii, quod est civilis contractus, dispositio pendeat a gratia, quæ a Matrimonio, quatenus Sacramentum est, proficiscitur.

Hæc habui, quæ ad Henrici Canisii de causis matrimonialibus commentarios differerem, etiamsi tam multa differere necessarium non esset. Nam quidquid habet solidi vel expressi, (si quid tamen habeat) extat apud Pontium, Hurtadum, Dianam & Silvium, quorum scripta superiori capite excussimus & confutavimus. Verum quia plerique juris antecessores parum sunt æqui hac in materia, manus cum Canisio conserere volui, ne quis illorum de me quereretur. Libenter tamen dicam quod sentio, quæstionem hanc, cum de jure agitur, ad Theologos multo magis quam ad Jurisconsultos pertinere.

CAPUT XI.

Retractantur dicta quorundam auctorum, qui veteris legis Matrimonio Sacramenti nomen ac dignitatem abjudicant.

CAVSÆ sunt omnino mihi tres, cur id aggrediar, quod capitis titulus importat. Primum, vt rei hujus sua qualiscunque ea sit, ex traditione Patrum constet veritas. Deinde, vt errasse se agnoscant, qui docent Principes potuisse ante novam legem impedimenta Matrimonium dirimentia constituere; non potuisse vero ex quo lex nova a Christo instituta est, & Matrimonium cœpit Ecclesiæ Sacramentis adnumerari. Denique, vt lectores moneam me supra quibusdam in locis disputasse ad hominem, dum nonnullos auctores ex suis principiis redargui, & cum illis ponere volui, quod volebant; nempe Matrimonium jamjam primum in nova lege Sacramenti nomen & dignitatem habuisse. Sic cum aliis pugnans, mecum ipse pugnare non videbor.

Hic necesse non est repetere illorum auctorum verba, quæ cum in aliis, tum præsertim in tribus proximis capitibus legi facile possunt. Sed nunc expedienda est traditio Patrum, qui veteris legis Matrimonium Sacramenti nomine dignantur.

Tertullianus traditionis initium dabit in libri de anima, capite XI. *Nam etsi Adam statim prophetavit magnum illud Sacramentum in Christum & Ecclesiam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea; propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adglutinabit se uxori suæ, & erunt duo in carnem unam.*

Deinde in ejusdem libri capite XXI. *Si quia prophetavit* (Adam) *magnum illud Sacramentum in Christum & Ecclesiam: Hoc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adglutinabit se uxori suæ, & erunt duo in carnem unam.*

Tum in libri V. contra Marcionem capite XVIII. *Habet similitudo cum veritate honoris consortium. Laborabo ego nunc eundem Deum probare masculi & Christi, mulieris & Ecclesiæ, carnis & spiritus; ipso Apostolo sententiam Creatoris adhibente, immo & differente: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & erunt duo in carnem unam. Sacramentum hoc magnum est. Sufficit inter ista, si Creatoris magna sunt apud Apostolum Sacramenta; minima apud hæreticos. Sed ego autem dico, inquit, in Christum & Ecclesiam. Habet interpretationem, non separationem Sacramenti. Ostendit figuram Sacramenti ab eo præministratam, cujus erat utique Sacramentum.*

Denique in libri de exhortatione castitatis capite V. *Denique, Erunt duo, inquit, in carne una; non tres, neque quatuor: alioquin jam non una caro, nec duo in unam carnem. Tunc erunt, si conjunctio & concretio in unitatem semel fiat; si vero rursus aut sæpius, jam una esse desiit, & erunt non duo in unam carnem, sed una plane costa in plures. At quam Apostolus in Ecclesiam & Christum interpretatur: Erunt duo in unam carnem; secundum spiritales nuptias Ecclesiæ & Christi. Unus enim Christus, & una ejus Ecclesia: agnoscere debemus duplicatam & exaggeratam esse nobis unius Matrimonii legem tam secundum generis fundamentum, quam secundum Christi Sacramentum. De uno Ma-*

trimonio

trimonio censemur utrubique, & carnaliter in Adam, & spiritualiter in Christo. Tertullianus aperte frequenter & perseveranter veteris legis Matrimonium Sacramentum appellat, & cur appellet, exponit.

Beatus Hieronymus in caput v. epistolæ ad Ephesios: *Sacramentum hoc magnum in præsenti loco ponitur, id est, propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Primus enim homo, & primus vates Adam, hic de Christo & de Ecclesia prophetavit, quod reliquerit Dominus noster atque Salvator patrem suum Deum, & matrem suam cælestem, & venerit ad terras propter suum corpus Ecclesiam, & de suo eam latere fabricatus sit, & propter illam Verbum caro factum sit. Et quia non omnia æqualia Sacramenta sunt, sed est aliud Sacramentum majus, & aliud minus; propterea nunc dicit: Sacramentum hoc magnum est.* De veteris Testamenti Matrimonio loquitur, quod Sacramentum nominat.

Sanctus Augustinus in libri de bono conjugali capite XIII. *Illis vero temporibus cum ad hoc propheticis Sacramentis salutis nostræ mysterium velabatur, etiam qui ante nuptias tales erant, officio propagandi nuptias copulabant, non victi libidine, sed ducti pietate.*

Deinde in ejusdem libri capite XVIII. *Ergo sicut Sacramentum pluralium nuptiarum illius temporis significavit futuram multitudinem Deo subjectam in terrenis omnibus gentibus; sic Sacramentum nuptiarum singularum nostri temporis significat unitatem omnium nostrum subjectam Deo futuram in una cælesti civitate.* Hæc autem comparatio Sacramenti nomen & honorem ita defigit in veteris Testamenti Matrimonio, ut inde refigi non possit.

Deinde in ejusdem libri capite XXIV. *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit, nec saltem ipsa causa pariendi.*

Tum in libri IX. de Genesi ad literam capite VII. *Neque*

enim quia incontinentia malum est, ideo connubium, vel quo incontinentes copulantur, non est bonum: imo vero non propter illud malum, culpabile est hoc bonum; sed propter hoc bonum, veniale est illud malum: quoniam id quod bonum habent nuptiæ, & quod bonæ sint nuptiæ, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est, fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altero vel altera concumbatur. In prole, vt amanter suscipiatur, benigne nutriatur, & religiose educetur. In Sacramento autem, vt conjugium non separetur, & dimissus aut dimissa, nec causa prolis, alteri conjungatur. Tria hæc in omni Matrimonio sive antiquæ, sive novæ legis reperiuntur.

Leo I. in epistola XCII. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, capite IV. *Non omnis mulier juncta viro vxor est viri, quia nec omnis filius heres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima & inter æquales, multo prius hoc ipsum Domino constituente, quam initium Romani juris existeret. Itaque aliud est vxor, aliud concubina: sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem testimonium ponit ex Genesi, vbi dicitur Abrahæ: Ejice ancillam & filium ejus. Non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Unde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum: dubium non est eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua non docetur nuptiale fuisse mysterium.* Quod Matrimonium ab initio Sacramentum fuerit, id perinde tradit Pontifex, quasi nulla tunc temporis inter Ecclesiasticos tractatores foret dubitatio.

Hincmarus Remensis Episcopus Leonem sequitur, dum in opusculo de divortio Lotharii & Tetbergæ Leonis testimonium in epistola ad Rusticum Narbonensem Episcopum describit, & describendo ac probando suum facit: *Quia vero,* inquit, *secundas nuptias non damnamus, immo recipimus, aliud genus conjugii, & Apostolo docente suscipimus, & sancto Leone Papa in Decretis ad Rusticum Narbonensem Episcopum, qualiter iniri debeant monstrante cognoscimus. Ait enim capite* XVIII. *Non omnis, inquiens, mulier viro conjuncta, vxor est viri, quia nec*

omnis filius heres est patris : nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales, multo prius hoc ipsum Domino constituente, quam initium Romani juris existeret. Itaque aliud est vxor, aliud concubina: sicut aliud est ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem testimonium ponit ex Genesi, vbi dicitur Abrahæ: Ejice ancillam & filium ejus. Non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Vnde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum: dubium non est eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.

Magister sententiarum in libri IV. dist. XXVI. *Cum alia*, inquit, *Sacramenta post peccatum & propter peccatum exordium sumpserint, Matrimonii Sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum a Domino, non tamen ad remedium, sed ad officium. Refert enim Scriptura, Genes. in Adam misso sopore, atque vna de costis ejus sumpta, & exinde muliere formata virum in spiritu intelligentem; ad quem vsum mulier facta esset, post ecstasim prophetice dixisse: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Et quibusdam interpositis: *Cum ergo conjugium Sacramentum sit, & sacrum signum est & sacræ rei, scilicet conjunctionis Christi & Ecclesiæ, sicut ait Apostolus. Scriptum est, inquit: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

Hugo Rotomagensis Episcopus in libri III. contra hæreticos sui temporis capite IV. *Est etiam in conjugio Sacramentum, si singulare manserit, quod est vnum. Sacramentum hoc, dicit Apostolus, quia magnum est in Christo & in Ecclesia vnitate singulari atque perpetua. Conjugium namque Christi & Ecclesiæ vnum & singulare cœpit quidem ex tempore, sed permanet in æternitate. Ab exordio rerum, ab origine temporum formata legitur mulier de viri costa.* Et post pauca: *Data est in paradiso lex ista conjugii, quod extra paradisum etiam post peccatum rata permansit.* Et post alia: *Lex ista conjugii tam justa & tam sancta est,*

vt etiam ipse mundi conditor, ipse humani generis redemptor, cum caro fieret, non ex virgine simplici, sed ex sponsata concipi & nasci voluerit. Hæc lumine suo splendescunt.

Alanus insignis Theologus in libro I. contra Waldenses: *Sacramentum conjugii in paradiso institutum est a Deo, quando formavit mulierem de costa viri, instituens vnam esse vnius. Unde ipse ait: Crescite & multiplicamini. Ad Sacramentum conjugii etiam commendandum Christus voluit de conjugata nasci, & ad idem commendandum interfuit nuptiis.* Et paullo post: *In hoc maxime apparet misericordia Dei effectus, quod Sacramento conjugii justi Deus ad hoc, vt qui continentes esse non poterant, a peccato continentia excusarentur.*

Innocentius III. in libri II. epistola CCXIX. vbi de divortio inter Mariam Aragoniæ Reginam, & Petrum Aragoniæ Regem: *Licet igitur inter alios mundi Principes prædictum Regem, sicut opera ipsa declarant, amplectamur specialis dilectionis affectu, & ad personæ ipsius honorem & commodum aspiremus: vbi tamen ad judicii pervenitur examen, in quo nec respicere pauperem, nec potentis vultum honorare permittitur, nullam ei vel alii gratiam facere possumus aut debemus, maxime vbi agitur de Matrimonii Sacramento, quod ante peccatum in paradiso a Domino institutum, præter propagationis humani generis fructum, illud ineffabile Sacramentum, conjunctionis Christi videlicet ad sanctam Ecclesiam, Dei ad fidelem animam, & ipsius Verbi ad humanam naturam noscitur figurare, Apostolo testante, qui de bono Matrimonii agens, inquit: Ego autem dico magnum in Christo & Ecclesia Sacramentum.*

Deinde in lib. IV. Decretalium tit. XIX. de divortiis cap. VIII. *Tiberiadensi Episcopo:* Gaudemus in Domino. & infra: *Utrum pagani vxores accipientes in secundo vel tertio vel vlteriori gradu sibi conjunctas, sic conjuncti debeant propter conversionem suam insimul remanere, vel ab invicem separari, edoceri per Sedem Apostolicam postulasti. Super quo taliter respondemus, quod cum Sacramentum conjugii apud fideles & infideles existat, quemadmodum ostendit Apostolus: Si quis frater infidelem habet vxorem,* &c. Innocentius aperte & perseveranter asserit Matrimonii Sacramentum non solum in paradiso institutum esse a

Deo, sed etiam inter fideles atque infideles existere, idque Apostoli testimonio confirmat.

Honorius III. in compilatione v. Decretalium tit. xx. de transactionibus cap. 1. ad Joannem sanctæ Praxedis Presbyterum Card. & Sedis Apostolicæ Legatum : *Utpote conjugii Sacramentum, quod cum non solum apud Latinos & Græcos, sed etiam apud fideles & infideles existat, circa illud a severitate canonica recedere non licebit.*

Lucius III. quem potuerunt Innocentius III. & Honorius III. videre, in cap. *Ad abolendam de hæreticis* decernit, non licere de Sacramentis aliter sentire vel docere, quam quod Romana sentit & docet Ecclesia. Quo fit, vt quæ Pontifices hi duo de Matrimonii Sacramento docent & sentiunt, Romanæ non immerito tribui potest Ecclesiæ. Adscribo verba Lucii : *Universos qui de Matrimonio vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter docere aut sentire non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat & observat, eos vinculo perpetui anathematis innodamus.*

Sanctus Bonaventura Innocentii & Honorii Pontificum doctrinam amplectitur in parte VI. Breviloquii, cap. XIII. *De Sacramento Matrimonii hoc in summa tenendum est, quod Matrimonium est legitima conjunctio maris & feminæ individuam vitæ consuetudinem retinens. Hæc autem conjunctio non solum fuit post peccatum, verum & ante peccatum; sed prius fuit constitutum Sacramentum conjugii in officium, nunc autem non solum in officium, verumetiam in remedium contra libidinis morbum: prius significat conjunctionem Dei & Ecclesiæ, nunc autem præter hæc significat conjunctionem Christi & Ecclesiæ, & duarum naturarum in vnitate personæ.*

Richardus de Media-Villa in quartum dist. XXVI. art. IV. quæst. II. *Respondeo quod Sacramentum aliquod potest dici novæ legis dupliciter. Uno modo, quia primo in nova lege institutum fuit, sicut baptismus; & sic Matrimonium non est Sacramentum novæ legis: fuit enim institutum ante novam legem. Alio modo, quia quamvis fuerit institutum ante novam legem, tunc non habens vim conferendi gratiam, in nova lege non est evacuatum, sed confirmatum & factum gratiæ causativum; & sic Sacramentum est novæ legis.*

Petrus de Palude in quartum dist. XXVI. quæst. IV. *Iuristæ & Magister sententiarum qui dicunt, quod in Matrimonio non confertur gratia, dicunt tamen quod est Sacramentum, & sacratissimæ rei signum; imo quod excedat alia in ratione signi.*

Eugenius IV. in decreto vnionis Armenorum: *Septimum Sacramentum est Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ, secundum Apostolum.*

Joannes Ragusius ex Ordine Prædicatorum Theologus, in oratione quam de communione sub vtraque specie habuit in Basiliensi Concilio. *Quamvis*, inquit, *Deus in lege naturæ, quando hoc Matrimonii Sacramentum instituebatur, statuisset, quod vnius viri tantummodo esset vna vxor, & e converso, prout patet Genesis II. quando Spiritus sanctus dixit per Adam: Relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ; sequitur: Et erunt duo in carne vna. Nihilominus hæc lex mutata fuit in sanctis Patriarchis, vt patet in Lameth, qui primus duas simul vxores habuit: in Abraham similiter & Iacob: in aliis etiam sub lege constitutis, in quibus lex vetus vxorum pluralitatem videtur approbasse. Sed adveniente lege nova, in qua perfectio Evangelica exprimitur, mutata est lex nuptiarum atque Matrimonii, & reducta ad priorem institutionem & honestiorem, vt vnus vni, & e converso tantummodo conjungantur in figura Christi & Ecclesiæ vnicæ sponsæ, de quo Matrimonio ait Apostolus ad Ephesios V. Sacramentum hoc* (Matrimonii) *magnum est, dico in Christo & in Ecclesia.*

Felix Hemmerlinus Thuricensis Cantor, & in Decretis Doctor Bononiensis, in tractatu de Matrimonio, quem anno MCCCCLVI. edidit. *Hoc*, inquit, *Matrimonii Sacramentum multis est figuris divinitus & humanitus tam multipliciter glorificatum, vt videatur in gloriosissima virgine Maria cum Ioseph suo curatore, & Elizabeth cum Zacharia, & pluribus sanctis hominibus, & cum timore Domini contractum & solennizatum.*

Atrebatensis Diœcesana Synodus, quæ anno MCCCCXC. habita est. *Matrimonii*, inquit, *vinculum ab ipso Ecclesiæ & rerum omnium conditore ipsum in paradiso & statu innocentiæ instituente, vnionem & indissolubilitatem accepit; & idcirco palam & publice celebretur, ne contractum vinculum inficiari valeat aut negari.*

Parisiensis Synodus, quæ ad annum MDXV. habita est, de Sacramento Matrimonii: *Antequam peccatum esset, fuit institutum, & causa multiplicandæ prolis ad evitandum fornicationem, quam noluit propter Matrimonium hujusmodi reputari inter primos; sed tantum honorari voluit Dominus; quod in conjugio nasci voluit, & in Cana Galileæ interesse, & magno miraculo decorari, & aquam in vinum converti. Quapropter juxta scripta sancta dicimus hominem relinquere patrem & matrem, & adhærere vxori suæ; & e converso cum duo sint in carne vna. Item cum conveniat rationi ad Ecclesiam accedere, suaque illic recipere Sacramenta, Matrimonium Sacramentum sacræ rei signum, conjunctionis scilicet Christi & Ecclesiæ, & divinitatis & humanitatis designans perpetuam caritatem, prohibemus*, &c.

Henricus VIII. Angliæ Rex, seu Joannes Roffensis Episcopus sub illius nomine, in assertione septem Sacramentorum, de Sacramento Matrimonii: *Matrimonium Sacramentum omnium primum inter primos homines celebratum, primo Christi miraculo cohonestatum, quod propter Sacramenti nomen ipsum tam diu, tam religiose cultum est. Lutherus nunc demum negat esse Sacramentum vllum.* Et paullo post: *Matrimonium, inquit Lutherus, erat apud antiquos Patres, erat apud gentiles, & tamen apud neutros Matrimonium erat Sacramentum; cum tamen apud vtrosque Matrimonium fuerit, æque verum atque apud nos de Patribus, qui sub lege erant & ante legem. Non accedo Luthero, imo plane censeo Matrimonium fuisse illis Sacramentum, sicut fuit & Circumcisio. De Gentibus alia quæstio est*, &c.

Senonensis Synodus, quæ anno MDXXIV. celebrata est, de Matrimonio: *Cum Matrimonium ab ipso Ecclesiæ capite rerum omnium conditore ipsum in paradiso & in statu innocentiæ instituente, vnionem & indissolubilitatem acceperit, sitque magnum & honorabile Sacramentum; omnibus Matrimonium contrahere volentibus præcipimus, vt ad illius solennisationem cum magno honore & reverentia jejuni accedant & confessi.*

Carnotensis Synodus, quæ anno MDXXVI. celebrata est, de Matrimonio: *Sacramento Matrimonii ab ipso Deo in signum vnionis divinæ naturæ & humanæ in persona sui Filii, conjunctionisque ipsius Christi & Ecclesiæ, ab initio mundi instituti,*

reverentia & honestas maxima certe debetur.

Coloniense Concilium I. quod anno MDXXXVI. celebratum est, in part. VII. can. XL. *Dum Matrimonio jungunt Parochi virum & mulierem, docebunt, Matrimonium institutum esse a Deo, confirmatum per Christum, vt Genes. II. & Matthæi XIX. legimus. Quod Sacramentum si quis, sicut decet, acceperit accedente sacerdotali precatione, confert donum spiritus, quo vir diligat vxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam; mulier vicissim propter Christum amet vereaturque virum suum vti dominum.*

Lemovicensis Synodus, quæ anno MDLVII. habita est, de Sacramentis: *Matrimonium primo institutum est ab initio in paradiso, Genesis* I. & II. *& Matthæi* XIX.

Manuale Cameracensis Ecclesiæ quod anno MDLXII. editum est, de Sacramento Matrimonii: *Matrimonium a Deo ab initio cum adhuc primi nostri parentes in statu essent innocentiæ, institutum. Deinde post diluvium iterum ab eo confirmatum, & a Christo in novo Testamento approbatum, tria nobis repræsentat excellentissima mysteria.*

Aurelianensis Synodus, quæ anno MDLXXXVII. habita est, de Sacramento Matrimonii: *Cum rerum opifex omnium Deus optimus maximus, hominem ex luto finxisset, adjutorium sibi simile (id est) vxorem ex ejus latere formatam dedit, sicque Matrimonium condidit & instituit, vt hoc medio genus humanum, alioquin ad interitum tendens, repararetur ac propagaretur in dies, & hilarem simul vitam ducerent, tanto amoris nexu constituti, alter ab altero extractus, duo erunt in carne vna: quod Spiritu Dei cognoscens primus omnium ille parens, Hoc nunc os, inquit, ex ossibus meis, & caro ex carne mea; propterea relinquet patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Ideo ante legem hoc Sacramentum a Deo institutum, in lege Mosaica confirmatum, & in lege Evangelica prædicatum fuisse testatur.*

Alfonsus a Castro Theologus in paucis nominatissimus, libro XI. adversus hæreses, verbo *nuptiæ: Falsum est Matrimonium sanctorum Patriarcharum non esse nostro judicio Sacramentum. Omnes enim Theologi Catholici concordi sententia docent Matrimonium illorum sanctorum virorum, qui in lege naturæ aut Moysi vixerunt, fuisse verum Sacramentum: quia cum illi Deo revelante habuerunt fidem Christi incarnandi, Matrimonium illorum fuit Sacramentum*

cramentum

cramentum conjunctionis, qua Christus & Ecclesia tanquam cum sponsa sua conjungendus erat; sicut Matrimonium quod nunc cum fide incarnati Verbi Christi contrahitur, Sacramentum est illius conjunctionis, qua Christus jam conjunctus est cum Ecclesia.

Bellarminus in libri de Matrimonio capite V. *Non desunt*, inquit, *Catholici qui admittant Matrimonium non esse Sacramentum proprium novæ legis, sed fuisse in lege veteri, etiam apud Iudæos, & a Christo non tam institutum, quam confirmatum. Ita enim docet Alfonsus a Castro lib.* XI. *contra hæreses, verbo* nuptiæ, *hæresi* III. *Petrus a Soto lect.* II. *de Matrimonio, & alii quidam, quorum rationes sunt præcipue tres. Prima, quia Apostolus ad Ephes. de conjugio Adam & Evæ dicit: Sacramentum hoc magnum est*, &c. *Secunda, quia Genes.* I. *Deus benedixit conjugio Adami & Evæ: ex quo videtur gratiam signo adjunxisse. Tertia, quia Leo epist.* XCII. *ad Rusticum dicit nuptias ab initio sic institutas, vt haberent in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum.* Sed postquam Bellarminus testimonium historicæ veritati dedit, continuo subnectit, non videri sibi quod ista sententia defendere tuto possit, propter Florentinum Concilium, quod Matrimonium Sacramentis novæ legis connumerat, & propter Tridentinam Synodum, quæ & idem facit: quasi vero Bellarminus qui Tridentinæ non interfuit Synodo, Synodi mentem melius cognoverit, quam Alfonsus Synodo æqualis, & Sotus, qui ei magna cum eruditionis fama interfuit. Ad Florentinum Concilium quod attinet, Bellarminus in duobus peccat; & primum quidem, quod Florentinum Concilium dicendum non fuit, sed Eugenius IV. in decreto pro vnione Armenorum. Finitum erat Concilium, vbi decretum editum est. Deinde Matrimonium potuit esse vtriusque legis Sacramentum, licet in nova lege perfectius quam in veteri: quod neque Eugenius, neque Tridentini Patres negarunt vnquam. Porro autem Bellarminus non videtur satis versatum fuisse in traditione, quæ Sacramenti Matrimonii doctrinam complectitur.

Narbonensia Concilia duo. Unum habitum anno MDLI. alterum anno MDCIX. idem tradunt. Prius sic loquitur in can.

L. *De Sacramento Matrimonii : Cum Matrimonium magnum ſit in Chriſto Ieſu & Eccleſia Sacramentum, in cujus & inſtitutionis illius maximum dedecus, permulta quotidie divortia fiant, quod generale Concilium non obſervetur.*

Poſterius vero ſic : *Matrimonium a Deo inſtitutum vnionem Chriſti & Eccleſiæ perfecte ſignificans ; vnde magnum Sacramentum eſt appellatum, licet puritatem denotet.*

Sacerdotale Venetenſis Eccleſiæ, quod anno MDLV. editum eſt. *Matrimonium*, ait, *eſt Sacramentum Eccleſiæ.* Et paullo poſt : *Inſtitutum autem fuit in paradiſo Matrimonium ante peccatum propter ſuſceptionem prolis.*

Reginaldus Polus Cardinalis in oratione de reformatione Angliæ : *Septimum eſt Sacramentum Matrimonii, quod eſt ſignum conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ, ſecundum Apoſtolum dicentem : Sacramentum hoc magnum eſt ; ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.*

Huc ſpectant rituales multarum Eccleſiarum libri, in quibus Miſſa de ſponſalitiis ſeu nuptiis habetur. Præfatio verba hæc : *Deus, qui tam excellenti myſterio conjugalem copulam conſecraſti, vt Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum præſignares in fœdere nuptiarum ;* continet, quæ non minus ad vetus quam ad novum Teſtamentum pertinent.

De pluribus paucos notabo.

Ritualem librum Lugdunenſis Eccleſiæ, qui anno MDXLII. & MDLXX. editus eſt. Præterea in eo qui editus eſt anno MDXLII. tractatus ſecundus eſt, vbi de *Sacramento Matrimonii* ſic traditur : *Matrimonium inſtitutum fuit in paradiſo terreſtri ante peccatum.*

Ritualem librum Rotomagenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXLIV.

Ritualem librum Turonenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXX.

Ritualem librum Senonenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLV.

Ritualem librum Viennenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MD. & MDLXXVII.

Ritualem librum Pariſienſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno

MDIV. MDXLII. MDLXXXI. & MDCI.

Ritualem librum Remensis Ecclesiæ, qui ad vsum provinciæ editus est anno MDLXXXV.

Ritualem librum Bituricensis Ecclesiæ, qui editus est anno MDLXIX. & MDLXXXVIII.

Ritualem librum Tolosanensis Ecclesiæ, qui editus est anno MDXXXVIII. & MDLIII.

Ritualem librum Aquensis Ecclesiæ, qui editus est anno MDLXXVII.

Ritualem librum Urgellitanæ Ecclesiæ, qui anno MDXLVIII. editus est.

Missale Romanum, quod anno MDL. editum est, relata verba semel atque iterum repræsentat. Semel in oratione, quæ post introitum dicitur. Iterum in præfatione Missæ de nuptiis.

Hæc habui, quæ adversus nonnullos auctores, & cum primis Pontium, Hurradum, Dianam, Silvium & Canisium referrem. Igitur perspicue constat illos non satis eruditos in traditione Ecclesiæ, & cum primis Romanæ, cum veteris Testamenti Matrimonio Sacramenti nomen & dignitatem abjudicaverint: deinde cum ante legem Evangelicam in Principibus statuendorum impedimentorum Matrimonia dirimentium jus agnoverint; post illam legem non agnoverint, sed imperite & otiose, vt vidimus.

CAPUT XII.

Nonnullorum auctorum a Principum partibus stantium certa quædam minus considerate dicta retractantur.

IN articuli I. capite I. & sequentibus laudantur nonnulli auctores, qui postquam jus Principum in ferendis legibus Matrimonium dirimentibus confirmarunt, hoc progressu temporis amisisse Principes, scribere sunt ausi: & hæc

ſunt ſcripta, quæ nunc retractanda ſuſcipio, vt jus Principum liberum nec imminutum appareat. In retractatu ſequar ordinem, quo auctores locis jam citatis in medium eduntur.

I. In articuli I. capite I. Andreas Duvallius dicit, *Principes ex ſe certa quædam impedimenta ſtatuere poſſe, ſi non eſſet illis ab Eccleſia prohibitum: cum enim ex ſe poteſtatem habeant in contractum civilem, conſequenter in eum, quatenus eſt Sacramentum, habere potuerunt.* Et primo quidem quærendum eſt quid Eccleſiæ nomine vult intelligere: nam ſi intelligit Eccleſiam, quæ ab eo in ſecundam ſecundæ tractatu de fide art. I. definita eſt, prohibitio ab Eccleſia facta non quadrabit; ſic igitur definita eſt. *Generaliter*, inquit, *& latiſſime definitur ſocietas creaturæ rationalis ſupernaturali cognitioni Deo adhærens, ejuſque vero cultu inter ſe communicans.* Et paullo poſt: *Preſſior & anguſtior Eccleſiæ definitio Eccleſiæ hæc eſt: Societas fidelium in vero Dei cultu inter ſe communicantium. quæ definitio deprompta eſt ex Lateranenſi Concilio.* Eſtne Eccleſia hæc, quæ ne Principes impedimenta Matrimonium dirimentia conſtituant, prohibuerit? Minime vero, quia ſic definita Eccleſia comprehendit Chriſtianos Principes, quos ne talia impedimenta conſtruerent, prohibuiſſe ſibimetipſis quis crederet? quis probaret? Deinde ſi divinemus, quia certe divinandum eſt, per Eccleſiam a Duvallio intelligi ſacerdotalis ordinis conſeſſum ſeu Romanum Pontificem, nihil conſequetur Duvallius, quia minime deſignat tempus, quo facta fuerit prohibitio. Nam *inſtar religionis eſt*, vt ait Tertullianus; *fidem de temporibus aſſerere.* Forraſſe id ab aliis dictum reperit, nec in dicti veritatem inquiſivit altius. Negligentia hæc in materia tam gravi culpanda eſt maxime, nec aliunde juri Principum nocere debet: quinetiam exceptio illa quæ non probatur, nec probari poteſt, jus Principum confirmat.

II. In ejuſdem articuli capite III. Nicolaus Baionenſis dicit: *Eccleſia Chriſtianis Principibus hanc poteſtatem circa Matrimonium fidelium eripuit occaſione Sacramenti.* Hic præter ea, quæ de nomine Eccleſiæ diſſeruimus contra Duvallium, nihil

contra Baionensem differendum superest, nisi quod vtatur verbo *eripuit*, quod ignominiosum aliquid importat; quasi vero Sacerdotium debeat & jure possit regno eripere, quid Regni proprium est. Deinde res esset exempli pessimi, cum eripere est vi *tollere* & *auferre*, vt Pomponius Jurisconsultus interpretatur.

Tum eripiendi causa ex Sacramenti occasione repetitur: quod est summe absurdum & minime tolerabile. Quasi vero Sacramenti dignitas, quæ ab initio adversari Principum auctoritati credita non est, ævi progressione adversari credita fuerit, eoque res devenerit, vt Principes suo in Matrimonium jure privari debuerint, etiamsi eo abusi non fuerint. Qua in re nescit auctor quis & qualis sit vsus indirectæ potestatis, quam Papæ vel Concilio generali in Regum temporalia attribuit. Nam apud eos qui indirectam potestatem illam recenti memoria finxerunt, indirectæ potestatis vsus nullus est, nisi cum Principes potestate sua sunt enormiter abusi, nec suppliciter rogati corrigi nolunt. At quis Princeps potestate sua in ferendis legibus Matrimonium dirimentibus perperam vsus est, & deinceps monitus emendari noluerit? Cum hic de indirecta potestate loquor, ad hominem disputo. Potestas hæc nullo Scripturæ stabilitur loco, qui juxta vnanimem consensum Patrum intelligatur, sicubi intelligendus esset, vt Tridentinæ Synodi sessioni IV. & professioni fidei mos geratur.

III. In ejusdem articuli capite IV. num. VI. Guillelmus Mercerus ab Atho dicit: *Princeps fidelis non potest impedimenta constituere circa Matrimonia suorum subditorum fidelium, eo quod potestas Ecclesiastica causas fidelium matrimoniales suæ cognitioni reservarit.* Et primum quidem Mercerus sibi canit, dum scribit potestatem Ecclesiasticam, id est, eos qui sacerdotale administrant officium, Matrimonia fidelium potius quam infidelium cognitioni suæ reservasse. Id comparatione inter matrimoniales fidelium & infidelium causas facta apud antiquos reperiet nusquam. Deinde cum matrimoniales causæ sint variæ & diversi generis, dicendum fuit, quod Mercerus non dixit, vel omnes, vel e numero omnium certas quasdam suæ

cognitioni reſervaſſe. Tum vbi facta eſt illa reſervatio, docendum fuit, vtrum Principes, quorum intererat maxime, vocati ſint, necne. Nam ſi vocati non fuerint, ſtare non poteſt reſervatio. ſic enim Sacerdotium, quod Regni proprium eſt, ſibi reſervare poſſet. Hoc autem de Sacerdotio quis ſine Sacerdotii dedecore ſuſpicaretur?

IV. In ejuſdem articuli capite V. num. II. Guillelmus Eſtius dicit: *Poſſent Principes fideles impedimenta Matrimonium dirimentia ſtatuere, quatenus ab Eccleſia permitterentur.* Si Eſtius eam intelligit Eccleſiam quam in annotationibus ad caput XVIII. Matthæi definivit *ſocietatem eorum, qui per rectam fidem & Sacramenta ſibi mutuo cohærent;* non eſt, cur Principes timeant. Cum enim illi ſint pars illius ſocietatis non minima, poteſtatem ſtatuendorum impedimentorum Matrimonia dirimentium ſibi non denegabunt; & ſi cum aliis de ſocietate illa diſceptandum ſit, ſerio diſceptabunt. Deinde, ſi per Eccleſiam aliud quid intelligat, pugnabit ſecum, & ambiguo ſenſu locutum ſe neceſſario fatebitur: quod a docto & illuſtri Theologo, qualis fuit Eſtius, abhorret. Tum neque in antiquis canonibus, neque in vniverſalium Conciliorum actis legitur neceſſe eſſe, vt dum Chriſtiani Principes impedimenta Matrimonium dirimentia ferunt, ſacerdotalem conſenſum requirant & obtineant. Poſtremo abſurdum eſt, vt cum quis jure ſuo vtitur, alterius permiſſione indigeat. Quemadmodum vt Sacerdotium judicet, an Matrimonium in veteri lege Sacramentum fuerit, necne; Regni permiſſione non eget: quia materies tota ex ſe Sacerdotii judicio ſubjacet; ſic & Regnum vt judicet, an contractus Matrimonii ſit legitimus, necne, vtrum conſanguinitatis fieri poſſit impedimentum dirimens, necne; Sacerdotii permiſſione non eget: quia materies tota ex ſe Principibus ſubjecta eſt. Dicam brevius: Permiſſio hæc gratis & inutiliter fingetur ſemper, quia certum tempus nuſquam aſſignabitur, quo jamjam primum requirenda fuit. Eamne requiſivit magnus ille Theodoſius, cum nuptias conſobrinarum tanquam ſororum vetuit?

V. In ejuſdem articuli capite V. num IV. Eligius Baſſæus dicit: *Princeps ſæcularis ex genere & natura ſuæ poteſtatis poſſet*

impedimenta dirimentia fidelibus sibi subditis ex justa causa suis legibus indicere, nisi summus Pontifex hanc sibi potestatem reservasset. Istud *nisi*, & quæ sequuntur, exigunt tria, quæ addenda necessario fuere, & quæ non adduntur. Appellandus fuit de nomine Romanus ille Pontifex, qui convenientem ex genere & natura sua Principi sæculari potestatem sibi reservavit, id est, qui jus alienum vsurpavit. Individuum vagum ponitur, cum certum ac determinatum poni non potuit. Viciosa hæc est tractandi methodus, quam Christianæ religionis & Theologiæ professor omni studio vitare debet. Assignanda fuit causa, eaque justissima, cur Pontifex Principes omnes, quotquot sunt in orbe Christiano, jure suo spoliaverit: notandus fuit annus & dies, quo eventus tam admirabilis acciderit. Ceterum vt constet quanta cum injustitia Romanus Pontifex potestatem illam seu jus alienum sibi reservaverit, subjungit continuo: *Quia juxta divum Thomam in* IV. *dist.* XXIV. *art.* I. *ad* IV. *Matrimonium in quantum contractus civilis est in officium communitatis institutus, subjacet legis civilis ordinationi*; & tamen hoc ipsum est, quod judice Bassæo summus Pontifex sibi reservavit. Sic auctor de Romano Pontifice tam male meretur quam qui pessime; hunc publici latrocinii reum facit, quia qui alienum aufert, eo aufert consilio, vt id, nisi deprehensus fuerit, sibi reservet.

VI. In ejusdem articuli capite VI. Dominicus Sotus dicit: *Fideles Principes nostri, vt sequenti distinctione dicemus, possunt hujusmodi leges* (quæ Matrimonium dirimunt) *ferre, nisi ab Ecclesia cohibeantur.* Et primo quidem verba hæc, *nisi ab Ecclesia cohibeantur*, præteritum tempus non appellant, sed præsens aut futurum. Eapropter cum Dominicus annis illis, quibus Tridenti habitum est Concilium, decurrentibus, in quartum librum sententiarum commentarios ediderit, persuasus erat, Ecclesiam qua de loquitur, Principes a ferendis legibus Matrimonium dirimentibus nondum cohibuisse. Persuaderi sine difficultate vlla potuit, quia nusquam in sacris canonibus vel in actis vniversalium Conciliorum talis apparet cohibitio. Hæc autem sic apparere deberet, si per Ecclesiam sacerdotalis ordinis consessus intelligatur. Nam si intel-

ligeretur Ecclesia, vt a sancto Thoma, cujus auctor discipulus erat, definitur, & sedente Concilio Tridentino definiebatur, aliter philosophandum esset. Nam in *fidelium congregatione*, quæ vera est Ecclesiæ definitio, Christiani Principes continentur. Hi enim, vt par est credere, in potestate ad bonum publicum tam necessaria conservanda sibi non deessent, siqui alii ex illa congregatione potestatem illam vsurpare tentassent. Ad hominem disputamus: nam inter Regnum & Sacerdotium talem aliquando excitatum iri controversiam minime censemus. Deinde auctor oblitus est causam adferre, cur Principes a ferendis legibus, quæ Matrimonium dirimunt, cohiberentur vel ad tempus, vel in perpetuum. Causa adferri nulla potest, præter abusum maxime enormem, qui ab omnibus Christianis Principibus simul & semel committi nequit.

VII. In ejusdem articuli capite VI. num. V. Petrus Ledesma dicit: *Quamvis potestas constituendi impedimenta etiam dirimentia conveniat etiam potestati civili, juste tamen illam vsurpavit potestas Ecclesiastica.* Hic non repetam, quæ loco mox citato ad Ledesmæ testimonium animadvertet necessaria veluti de causa occupavi. Grammatici & literati docent adverbium verbo adjacere in bono sensu; sed hic adverbium verbo adjacet in malo & perverso sensu. Quid sibi vult juste quod alienum est tollere & auferre, nisi juste furari? Verba sunt, quæ mutuo inter se dimicant, & quod volunt astruere, destruunt. Sed mirificus est Ledesma, cum vsurpationis justæ causam transfert in Sacramenti dignitatem, quæ Matrimonii contractui accedit. Quasi vero quod ex se sanctum est & honorabile, imminuendæ Principum potestatis occasionem præbuerit, sine vlla illorum culpa, quæ notetur? aut designari possit tempus, quo contigerit talis & tanta vsurpatio? in eo tamen cardo rei versatur.

VIII. In ejusdem articuli capite VI. num. X. Ludovicus Gaspensis dicit: *Principes Christiani possunt etiam respectu Matrimonii, quod est Sacramentum, impedimenta Matrimonium dirimentia statuere, scilicet attento jure & potestate suæ dominationis regalis, nisi Ecclesia justas ob causas sibi reservasset munus & potestatem statuendi ea impedimenta, eoque modo restrinxisset potestatem,*

testatem, quam de se alioquin habent Principes Christiani. I. Sermo totus hic ita comparatus est, vt non solum oppido quam ridiculus appareat, sed etiam funditus destruat quod vult astruere. Sermonem exponere, vt exposuimus, confutasse est. II. Ponit, sed non probat, quod certo probandum fuit, causas fuisse justas, cur *Ecclesia sibi reservaverit statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia munus & potestatem, quam alioqui habent Christiani Principes.* III. Si per Ecclesiam fidelium seu Catholicorum cœtus intelligitur, id non fecit Ecclesia, vt jam ostendimus non semel. Si per Ecclesiam sacerdotalis ordinis consessus intelligitur, id non fecit Ecclesia, quod a sacerdotalis ordinis consessu factum minime reperitur, etiamsi quanta possit diligentia, quæratur. Si per Ecclesiam Romanus Pontifex intelligitur, id non fecit, quod a Romano Pontifice factum nusquam invenitur. Nominandus esset Pontifex, qui facinus tam grande attentasset: non nominatur nec nominari potest. IV. Hic auctor Ecclesiæ quoquo modo acceptæ imponit, & immortalem inter Regnum & Sacerdotium, sciens, sed minime prudens, serit discordiam, quod majoris abollæ crimen est.

IX. In ejusdem articuli capite VII. num. III. Chrysostomus Javellus dicit: *Populus Christianus in primitiva Ecclesia vnanimi consensu voluit hanc statuendi impedimenta* (Matrimonium dirimentia) *potestatem esse in majoribus & Prælatis Ecclesiæ.* Quod spectat ad originem jurisdictionis civilis, qua hæc statuuntur impedimenta, Javellus cum iis convenit, qui de origine jurisdictionis hujus scripserunt. Quod vero pertinet ad potestatis hujus translationem in majores & Prælatos Ecclesiæ factam ab initio, Javellus fallitur: quippe res est, quam nec probat, nec probare potest. Deceptus est a suppositiciis quibusdam apud Gratianum decretis, quæ supra discussimus & displosimus. Decretorum istiusmodi suppositionem confirmabimus in articuli sequentis capite I.

X. In ejusdem articuli capite VII. num. X. Martinus Bonacina dicit: *Principes sæculares habent potestatem supra contractus, & possunt præscribere formam, qua celebrandi sint: verumtamen illam potestatem illis ablatam esse ab Ecclesia in cap. Eccle-*

sia sanctæ Mariæ novæ. Fieri vix potest, vt a quoquam scriptore erretur gravius, quam hic a Bonacina erratur. Quod ne videatur incredibile, refero Caput *Ecclesia sanctæ Mariæ novæ:* est autem ejusmodi in libro 1. Decretalium, art. 11. de constitutionibus cap. x. *Nos attendentes, quod laicis etiam religiosis super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi: a quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Unde statutum Basilii de non alienandis prædiis rusticis, vel vrbanis ministeriis, & ornamentis Ecclesiarum, illa reprobatum fuit potissima ratione, quod auctoritate non fuit Romani Pontificis roboratum. Quod a Senatore factum fuerat in præjudicium monasterii, non conventi, nec confessi vel convicti in irritum revocantes, easdem possessiones restituendas tibi sententialiter definimus.*

I. Bonacina tribuit Ecclesiæ quod ei tribuendum non est, nisi Romanus Pontifex Innocentius III. dicatur Ecclesia; quæ illius ævo definiebatur, fidelium seu Catholicorum cœtus. Id autem quam absurdum foret, nemo est qui non facile perspiciat.

II. Hoc in capite sermo nullus instituitur vel de Matrimonii contractu, vel de potestate quam in eum Principes habere Bonacina scribit; & tamen si credatur auctori huic, potestas illa ab Ecclesia Principibus ablata est. Quæ & qualis hallucinatio!

III. Bonacina cum per *laicos religiosos* sæculares Principes, *quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi;* intelligit, ab antiquarum rerum cognitione mirum quantum aberrat. Calchedonensis Concilii actionem duodecimam non legerat, in qua sic habetur: *Gloriosissimi judices* (quos Imperator ad Concilium miserat) *dixerunt: Quoniam vobis sæpe interloquentibus & poscentibus proferri sententiam de Episcopatu sanctæ Ecclesiæ in Epheso constituta, perfecta responsio ab omnibus non est data, venerabile & immaculatum Evangelium in medio proferatur. Et allato sanctissimo Evangelio in medio, gloriosissimi judices dixerunt: Similem petitionem sanctæ Synodo rursus offeri-*

mus, propoſitis ſanctis Evangeliis, adhortantes vos, neque duorum quemquam lædere, ſi forte quiſquam eorum dignus eſt, vt in memorata ſanctiſſima Eccleſia Epiſcopatum debeat obtinere, ſive ſi vterque indignus eſt, declarare. Unde ſecundum Deum, & ſecundum quod dignum eſt atque decens atque vtile ſanctæ Eccleſiæ, quæ juſta ſunt decernite. Anatolius reverendiſſimus Epiſcopus Conſtantinopolitanus dixit, & cetera. *Paſchaſinus reverendiſſimus Epiſcopus obtinens locum Sedis Apoſtolicæ antiquioris Romæ dixit*, &c.

Relatis aliorum Epiſcoporum ſententiis ſubnectitur: *Glorioſiſſimi judices dixerunt: Placet ſancto Concilio interlocutio Dei amantiſſimi Archiepiſcopi Anatolii, & reverendiſſimi Epiſcopi Paſchaſini obtinentis locum Romanæ Apoſtolicæ Sedis; qua declaratum eſt ambos quidem eſſe removendos, tanquam præter regulas factos; alterum vero ordinari debere: prædictos autem habere Epiſcopi dignitatem, & a ſanctiſſima Epheſina Eccleſia nutriendos. Sancta Synodus exclamavit: Hæc pia interlocutio, hæc ſecundum regulas eſt.*

Non legerat Synodi VI. actionem VIII. in qua Imperatori Conſtantino ſic acclamatur: *Sancta Synodus Conſtantino magno Imperatori multos annos, conſervatori orthodoxæ fidei multos annos, pacifico Imperatori multos annos, novo magno Conſtantino Imperatori multos annos, novo Theodoſio Imperatori multos annos, novo Imperatori Marciano multos annos, novo Juſtiniano Imperatori multos annos. Nos famuli Imperatoris, Agathoni orthodoxo Papæ Romano multos annos*, &c.

Non legerat eiuſdem Synodi actionem XVIII. vbi poſtquam Conſtantinus Imperator ita ſubſcripſit: *Conſtantinus in Chriſto Rex & Imperator Romanorum legimus & conſenſimus.* Illi acclamatur hoc pacto: *Multos annos Imperatori. Integritatem duarum naturarum Chriſti Dei noſtri tu declaraſti, luminarium pacis, Domine, conſerva. Marciano novo Conſtantino æterna memoria, novo Juſtiniano Conſtantino æterna memoria. Omnes hæreticos tu effugaſti, dejectorem hæreticorum, Domine, conſerva; vita tua orthodoxorum vita eſt, cæleſtis Rex terreſtrem conſerva; per te vniverſalis Eccleſia pacificata eſt.* Approbavit hæc omnia ſucceſſor Agathonis Leo II. qui Synodum Græce ſcriptam

Latinitate donavit. Hic Pontifex, quia Siculus erat, linguam Græcam optime callebat.

Non legerat ejuſdem Synodi actionem VIII. IX. X. & XI. vbi habetur: *Piiſſimus Imperator Conſtantinus & ſancta Synodus dixerunt.*

Non legerat actionem XII. vbi quoque abſente Conſtantino habetur: *Glorioſiſſimi judices & ſancta Synodus dixerunt.*

Non legerat ſecundam Gregorii II. ad Leonem Iſaurum epiſtolam, in qua ſic loquitur: *Scripſiſti, Imperator: ſum & Sacerdos: Enimvero qui ante te fuerunt Imperatores, hoc opere ac ſermone demonſtraverunt, qui curam geſſerunt Eccleſiarum vna cum Pontificibus, & cupiditate zeloque incenſi, rectaque fidei veritatem perveſtigantes, Conſtantinus magnus, Theodoſius magnus, Valentinianus magnus, & Conſtantinus Iuſtiniani pater, qui ſextæ Synodo interfuit: Imperatores iſti religioſe imperarunt, & cum Pontificibus vno conſilio ac ſententia Synodos congregantes, atque veritatem dogmatum requirentes, ſanctas Eccleſias conſtituerunt & ornarunt. Hi ſunt Sacerdotes & Imperatores, qui id opere demonſtrarunt.*

Non legerat Francofordienſis Synodi canones, in quibus ſic habetur. In can. IV. *Statuit piiſſimus noſter, conſentiente ſancta Synodo, vt nullus homo, ſive Eccleſiaſticus, ſive laicus ſit, vnquam carius vendat annonam*, &c. In can. VI. *Statutum eſt a domino Rege & ſancta Synodo, vt Epiſcopi juſtitias faciant in ſuis parochiis.* In can. VII. *Definitum eſt a Domino Rege & ſancta Synodo, vt Epiſcopus non migret de civitate in civitatem, ſed curam habeat Eccleſiæ ſuæ.* In can. IX. *Definitum eſt ab eodem Domino noſtro Rege ſive a ſancta Synodo, vt Petrus Epiſcopus conteſtans coram Deo & angelis ejus juraret*, &c. In can. X. *Definitum quoque a Domino Rege & ſancta Synodo eſſe dignoſcitur, vt Gerbodus, qui ſe Epiſcopum eſſe probat*, &c.

Non legerat octavæ Synodi actionem VIII. in qua *ſanctiſſimi Vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Deus conſervet Chriſti amiciſſimum Imperatorem per multos annos, qui gubernat Eccleſiam ejus.*

Non legerat proœmii Florentinæ Synodi de purgatorio antiquæ editionis, in quo *aiebat Pontifex: Vbi ego ſum cum Im-*

peratore & Patriarcha, ibi est universa Christianorum Synodus, præsertim cum adsunt Patriarchæ omnes & Cardinales nostri.

Hæc autem si legisset omnia, de Principibus Christianis paulo honorificentius verba fecisset, nec eos instar laicorum etiam religiosorum habuisset; & sane mirum est virum in Italia tam celebrem tanta laborare ignorantia, quanta laborare debuit, vt laicorum religiosorum nomine Imperatores & Reges intellexerit, quibus postea jus ferendarum legum Matrimonia dirimentium per Caput *Ecclesiæ sanctæ Mariæ novæ* auferret.

IV. Quomodo quæ mox retulimus legisset, qui Caput *Ecclesiæ sanctæ Mariæ novæ* minime legit? nam si legisset, & Latine intellexisset, ibi nec de Principibus, nec de Matrimonii contractu, nec de Principum in Matrimonii contractum potestate agi sine difficultate vlla deprehendisset. Bonacina gratias agat Thomæ Sanches, quo præeunte ad casum ita horribilem & miserum deductus est. Ceterum hoc Caput *Ecclesiæ sanctæ Mariæ novæ* integrum retuli, quia Bonacina eo duntaxat vtitur, vt probet, sæcularibus Principibus potestatem sanciendi impedimenta Matrimonium dirimentia ablatam esse ab Ecclesia in Caput *Ecclesiæ sanctæ Mariæ novæ*.

XI. In ejusdem articuli capite VII. num. XI. Vincentius Candidus dicit: *Principes sæculares fidelium possunt seclusa prohibitione Ecclesiæ constituere impedimenta Matrimonii.* Hoc facile dicitur, sed difficile explicatur: tantum abest, vt Theologicis rationibus probetur. Theologicis dico, quæ scilicet ex Scripturæ auctoritate & Catholicæ Ecclesiæ traditione comparentur. Non prohibebit Ecclesia, quæ in fidelium collectione consistit: quia Principes, qui ad eam fidelium collectionem pertinent, sibi non prohibebunt, quod ab Ecclesia prohibendum esse statuitur. Non prohibebit Ecclesia, quæ in sacerdotalis ordinis consessu versaretur: quia sacerdotalis ordinis consessus jus non habet prohibere, quominus Principes jure suo quod ab auctore ponitur, vtantur. Admonere quidem potest Principes ne jure suo in perniciem boni communis abutantur; sed prohibere non potest ne jure suo pro

bono communi vtantur. Nam poteſtas eorum, qui ſacerdotale adminiſtrant officium, illis data eſt in ædificationem, non in deſtructionem. Non prohiberet Romanus Pontifex, qui ſi dici poſſet, Eccleſia diceretur. Jus prohibendi quærendum eſſet vel ex verbis; *Tu es Petrus*; vel ex verbis, *Paſce oves meas*; vel ex verbis, *Quodcunque ligaveris & ſolveris*. At nunquam quæretur & invenietur ab iis, qui Tridentinæ fidei profeſſionem emittunt. Unus hic eſt articulus: *Item ſacram Scripturam juxta eum ſenſum quem tenet & tenuit ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum; admitto, nec eam vnquam, niſi juxta vnanimem conſenſum Patrum, accipiam & interpretabor.*

XII. In ejuſdem articuli capite VIII. num. II. Joannes Azor dicit: *Poſſet Princeps juſtis de cauſis legem condere, qua Matrimonium hoc vel illo modo contractum reſcinderetur, niſi Eccleſia prohiberet.* Non dicit, vt quidam alii dixerunt, niſi ab Eccleſia prohibitum eſſet, vel Eccleſia prohibuiſſet; ſed, *niſi Eccleſia prohiberet.* Hic auctor aliis doctior ea in parte noverat, id quo de agitur nondum prohibuiſſe Eccleſiam, quia nullum Eccleſiæ vel repræſentantis Eccleſiam Concilii decretum legerat, in quo clara & perſpicua extaret prohibitio. Verumtamen ſibi ſumit id ab Eccleſia prohiberi poſſe, & cum id ſibi ſumit, perinde eſt ac ſi ſibi ſumeret ab Eccleſia prohiberi poſſe, ne Princeps legem conderet, qua venditionis vel emptionis contractum hoc vel illo factum reſcinderet. Et ſane, niſi putet Azorius Eccleſiam totius orbis Chriſtiani dominam eſſe, dicendi quod dixit rationem nullam habet, alioquin inconſequenter admodum diſſereret: ſi autem putat Eccleſiam totius orbis Chriſtiani dominio potiri, enormiter fallitur. Porro autem cum dixit, *niſi Eccleſia prohiberet*, rei tantæ adjungenda erat probatio, quæ non adjungitur, nec, vt oportet, ex Scriptura & traditione adjungi poteſt.

XIII. In ejuſdem articuli capite VIII. num. VI. Henricus Henriquez dicit: *Impedimenta irritantia poſſet Princeps ſæcularis addere Matrimonio, niſi Eccleſia inter Chriſtianos eam facultatem ſuo judicio reſervaſſet.* Henriquez ponit factum, quod eſt falſo falſius. Nam neque vniverſalis Eccleſia per orbem diſperſa,

neque vniverſale Concilium illam repræſentans Eccleſiam, vnquam coaluit, in quo quod ponit ab Eccleſia factum, id factum vllo modo legatur; & ita luculenter imponit Eccleſiæ, & continuo in pœnas adverſus impoſtores iſtiuſmodi latas incurrit. Nonne notari debuit & locus & tempus in quo talis acciderit reſervatio? Nonne exponi debuit cauſa, cur Chriſtiani Principes jure ſuo ſpoliati ſint ab Eccleſia? Sufficitne allegaſſe facinus tam grande, quod nec publicis inſtrumentis, nec idoneis teſtibus confirmetur?

XIV. In ejuſdem articuli capite VIII. num. VIII Thomas Sanchez dicit: *Abſque dubio poteſt Princeps ſæcularis ex genere & natura ſuæ poteſtatis Matrimonii impedimenta dirimentia fidelibus ſibi ſubditis inducere, niſi ſummus Pontifex hanc poteſtatem ſibi reſervaſſet.* Perinde eſt ac ſi diceret: Poteſt Princeps ſæcularis ex genere & natura ſuæ poteſtatis contractum venditionis & emptionis impedimenta dirimentia ſubditis ſuis inducere, niſi ſummus Pontifex hanc ſibi poteſtatem reſervaſſet. Et ſi quis reſponderet, venditionis & emptionis contractus Sacramenta non eſſe; Matrimonium vero Sacramentum eſſe; eum ita reſpondiſſe pœniteret, dum legeret auctorem reſponſioni huic ſic occurriſſe loco citato: *Nec obſtat Principis ſæcularis poteſtati Matrimonium eſſe Sacramentum, quia ejus materia eſt contractus civilis; qua ratione perinde poteſt illud ex juſta cauſa irritare, ac ſi Sacramentum non eſſet.* Labyrinthus hic eſt, ex quo Sanchem nemo educet vnquam, niſi quis præ ſe ferat, Chriſtianos Principes in ferendis circa Matrimonii, venditionis & emptionis contractus legibus Romani Pontificis vicarios eſſe: quo in caſu labyrintho exibit, ſecus non exibit; exire tamen aliter poſſet, ſi quis Pontifex Romanus Principes Chriſtianos ex orbe toto vocatos & præſentes paterna benignitate ſic affatus eſſet: Bene veneritis, cariſſimi filii. Multi ſunt anni, quod poteſtate ferendarum circa matrimoniales contractus legum laudabiliter, vt decebat, fruimini. Non poſſum non ſatis laudare obſequium veſtrum; ſed haud morabor vos diutius. Jam tempus eſt, vt vacetis otio, & ab illo labore deſiſtatis: ego conſiderata re & motu proprio ſtatui, de poteſtate illa mihi deinceps ac-

commodare, & vos onere tanto levare. Christiani Principes audito sermone tam blando consenserunt, gratias egerunt, & accepta benedictione & indulgentiis, reversi sunt vnusquisque in regionem suam. Actum die N. mense & anno N.

XV. In eodem articulo & capite num. X. Luisius Turrianus dicit: *Principes saeculares jam nihil possunt circa hæc* (impedimenta Matrimonia dirimentia) *disponere, quia Pontifex sibi hanc materiam reservavit.* Cum dicit, jam nihil possunt, significat fuisse tempus quo possent; sed in medium edenda fuit ratio, cur Pontifex hanc sibi materiam reservavit. Qui enim assereret Pontificem sibi materiam illam reservasse sine ratione optima, Pontificem injuria non medio cri afficeret. Vix enim fingi potest, quanta & quam firma & constans debet esse ratio, quæ Romanum Pontificem ad potestatem illam conservando communi bono reipublicæ tam necessariam sibi reservandam impulerit, & Christianorum Principum nationem totam jure suo privaverit in perpetuum. Audax facinus, in quo sontes & insontes æqualiter puniuntur.

XVI. In eodem articulo & capite num. XIII. Adamus Tannerus dicit: *Potuissent etiam Principes saeculares ex genere & natura suæ potestatis Matrimonii impedimenta qualibet etiam dirimentia constituere pro suis subditis, nisi Pontifex hanc sibi potestatem reservasset.* Thomæ Sanchis verba sunt ipsamet, quæ transscripsit, & sua faciendo metetur in eas conjici angustias & fauces, in quas Sanches conjectus est, & vnde neuter eripietur vnquam.

XVII. In eodem art. & cap. num. XVI. Joannes Præpositus dicit: *Nisi Ecclesia impedimenta Matrimonium dirimentia constituendi potestatem ad se revocasset, Principes saeculares ea possent constituere.* Tannerus facinoris tanti auctorem facit Pontificem, Præpositus Ecclesiam: Cui credemus? neutri, quia neuter id quod sibi sumit probare potest, assignato tempore quo id acciderit. Quæstio facti est, & in facto consistit: qui dicit id factum esse quod non factum, egregie mentitur.

Deinde qua facilitate Præpositus asserit Ecclesiam, id est, Sacerdotium ad se regiæ potestatis effectum revocasse, eadem assereret quis Regnum Pontificiæ potestatis effectum ad

se

se revocasse. Et sane, vt nemo Christianus patienter audiret, Regnum quod Sacerdotii est, ad se revocare: ita nemo quoque Christanus patienter audiret, Sacerdotium quod Regni est, ad se revocare.

XVIII. In eodem art. & cap. num. XXI. Franciscus Amicus dicit, laudatis quibusdam Theologis: *Qui omnes conveniunt, Principes sæculares, quantum est ex vi potestatis quam vi muneris sui a Populo communicatam habent, posse impedimenta Matrimonium dirimentia suis subditis statuere: de facto tamen vsum hujus potestatis sibi soli Pontificem reservasse. Excipe Petrum Sotum.*

Et primo quidem Petrus Sotus excipiendus non est solus. Nam & plures alii excipiendi sunt, & cum primis ii omnes, quorum testimonia retulimus in articuli II. capite II. & sic Amicus in facti quæstione mirum quantum aberravit.

Deinde dicere non sufficit, potestatis hujus vsum sibi soli reservasse Pontificem, nisi quis ille fuerit Pontifex, designetur. Hæc enim indefinita disputandi methodus fraude non caret.

Tum causæ profert nihil, cur Pontifex sua non contentus potestate, alienæ potestatis, quæ non qualiscunque est, sed regia, vsum in se transtulerit. At nemo prudens & attentus est, qui non videat in re tanti ponderis, aliquid causæ proferendum fuisse.

Quarto Amicus notare debuit, num Christiani Principes vniversi Romam tunc vocati fuerint, cum Pontifex potestatis illorum vsum sibi soli reservavit. Nam si vocati non fuerint, nec consenserint, iniqua prorsus esset illa reservatio.

Præterea nescire me fateor vtrum Amicus posset reservationem hujusmodi a latrocinio defendere.

Quinto si vocati fuerint & consenserint, pro se fortassis potuerunt consentire, sed pro successoribus consentire non potuerunt; scilicet potestas illa ad conservandum bonum commune, & retinendam inter subditos pacem & tranquillitatem penitus necessaria est.

Sexto, si impedimenta Matrimonium dirimentia constituendi jus quod Christiani Principes habent, sibi reservavit

Pontifex, per potestatem directam vel indirectam sibi reservavit. Non per directam, quia nullam habet in Principum temporalia, vt Bellarminus in libri V. de Rom. Pont. capite II. III. IV. & V. demonstrat. Non per potestatem indirectam, quia, vt mox dicebat Pontius, *nisi potestate sua abuterentur Principes, & aliquid statuerent, quod spiritualem Sacramenti Matrimonii rationem læderet, non possent a Pontifice pro indirecta potestate, quam habet in temporalia, coerceri*. Hinc efficitur, vt ab Amico designandi necessario forent Principes, qui potestate sua fuissent abusi, & statuissent aliquid, quo spiritualis Sacramenti Matrimonii ratio & dignitas læderetur. At non est facile designare Principes, qui ita se gesserint, vt a Pontifice pro indirecta potestate illa coerceri meruerint.

Septimo, quia fieri vix potest, vt Christiani Principes vniversi simul & semel abutantur potestate sua, & statuant aliquid, quo spiritualis Sacramenti Matrimonii ratio lædatur; nihilominus tamen contigisset, vt sontes & insontes pari pœna castigati fuissent, scilicet amissione vsus potestatis, quo leges Matrimonium dirimentes constituerent: quod est non solum dictu, sed etiam cogitatu horribile. Amicus paullo post tempus indicat, quo Pontifex regiæ in Matrimonium potestatis vsum sibi soli reservavit. *Quod autem*, inquit, *talis potestas de facto sit in Principibus sæcularibus ab Ecclesia impedita, ne valide possit exire in actum, constat ex multis canonibus, can. Multorum* XXXV. *quæst.* V. *& cap. De consanguinitate & affinitate sui, & cap. Accedentes de excess. Prælatorum. Demum ex Tridentino sess.* XXIV. *can. vltimo, vbi definit causas matrimoniales spectare ad judices Ecclesiasticos*. Impeditæ hic ab Ecclesia potestatis Regum epochas numero quatuor assignat: vnam sub Alexandro II. alteram sub Alexandro III. tertiam sub Innocentio III. quartam sub Tridentino Concilio. At in epochis quatuor, ne fideles quidem vel infideles nominantur Principes: tantum abest vt ibi agatur de impediendo illorum jure, quo possint impedimenta Matrimonium dirimentia constituere.

In can. seu potius cap. *Multorum*, privati cujusdam hominis, qui Guillelmus de Monstrolio vocatur, res agitur. Vo-

lebat propriam vxorem dimittere consanguinitatis prætextu, & aliam ducere. Id cum resciit Alexander II. Guillelmo rescribit, ne id faciat, vsque dum collecta ex Episcopis Synodus causam istam examinasset.

In Cap. *De consanguinitate*, Alexander III. Cassinensi Abbati rescribit, vt diligenter inquireret in Matrimonium, cui objiciebatur impedimentum consanguinitatis. Agiturne ibi de tollenda Principibus potestate, qua leges Matrimonium dirimentes ferre possunt?

In Cap. *Accedentes de excess. Prælatorum*, Innocentius III. multorum Antistitum querelis, quas illi de certis quibusdam Abbatibus instituerunt, respondet. Abbates in officio continet, & vetat ne de causis matrimonialibus judicent, reservato Episcopis illarum judicio. Agebatur de tali judicio, quod Episcopi ad leges Principum non raro instituerent: non de auferenda Principibus potestate, qua illi Matrimonia subditorum ad bonum commune reipublicæ dirigebant.

In canone demum Tridentini Concilii mota nulla est de jure Principum quæstio. Id & Concilii acta, & historici duo, Frater Paulus & Sforza Pallavicinus, confirmant: igitur frustra torquetur ad minuendam Principum in Matrimonii contractum potestatem. Si Principes jure suo tantum fuissent abusi, quantum auctor iste otio abutitur & literis, ei non repugnarem. Ceterum, quæ Amicus laudat capita & canones, pertractata sunt latius in art. 11. capite III. & IV.

Reliquum est modo, vt id quod sentio, ingenue fatear, nonnullos e Schola Theologos, quorum certa quædam minus considerate dicta recensui & expendi, ad ineptissimas quasque complexiones deduxi, idque cum ex aliis, tum ex eo quoque, quod ista disputandi ratio ad inveniendam & asserendam veritatem plurimum conducit: voluissem quidem aliter tractare, sed non potui. Agebatur Regum & Principum causa, quæ ab illis supra quam dici possit, negligenter curata est. Nescio an plebeiorum hominum res curata esset negligentius. Hi postquam regiam in Matrimonium potestatem candide agnoverunt, & eam vbi politico Magistratui summe necessariam variis asseruerunt modis, continuo gratis

& sine ratione pronuntiant, Romanum Pontificem potestatem illam ademisse Regibus, & sibi soli reservasse. Quis cum hæc perspicit, sibi temperare posset?

Nunc meridiana luce clarius, quidquid de jure Principum in sanciendis impedimentis, quæ Matrimonium dirimant, disputatum est, in hoc posse mitti compendium. Si Reges & Principes jus illud habuerunt ab initio Christianæ religionis, nec eo spoliati sunt, etiamnum habent: habuisse ab initio consentiunt Theologi, quos magno in numero per varias classes & gentes distribuimus. Qui scribunt Romanum Pontificem jus illud regium seu civile sibi soli reservasse, eos in quæstione facti pariter errasse vidimus. Ad paucos & novos Theologos & Jurisconsultos, qui Reges & Principes jure ferendarum legum quæ Matrimonia dirimunt, caruisse ab initio statuunt, quod pertinet, ὀψιμαθίας illos accusavimus, & in probatione omnino defecisse ostendimus. His autem ita constitutis, regia in Matrimonium potestas in perfectiorem adhuc libertatem asseritur & vindicatur.

CAPUT XIII.

Explicatur modus, quo impedimenta Matrimonii dirimant Matrimonium, ut regia in Matrimonium potestas magis eluceat, & prorsus constabiliatur.

OBSERVATUM est in articuli 1. capite XV. quantus fuerit apud Tridentinos Patres disquisitionis labor in quærenda & asserenda ratione, qua perciperetur, impedimenta Matrimonii dirimere Matrimonium ipsum posse. Hæc autem inventa & asserta ratio, cum repetatur ex civili prudentia, Principum regula, atque ex rebus ordinis mere naturalis, impedimenta Matrimonii, & Matrimonium ipsum Principibus omnino subjicit. Operæpretium est retexere, quæ hoc in argumenti genere laudati supra quidam Theologi scripserunt.

I. Sanctus Thomas in IV. dist. XXXIV. quæst. I. art. I. ad IV. *Dicendum quod personæ illegitimæ ad Matrimonium contrahendum dicuntur, ex eo quod sint contra legem, qua Matrimonium constituitur. Matrimonium autem in quantum est in officium naturæ, statuitur jure naturæ; in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili.* Et paullo post: *Ideo ex qualibet dictarum legum naturæ & humanæ potest persona effici ad Matrimonium illegitima*, id est, inhabilis. Hæc vt intelligantur, lectione sola opus est.

Petrus de Palude in IV. dist. XXXVII. quæst. I. art. III. conclus. III. *Ecclesia potest facere personas inhabiles ad contrahendum Matrimonium carnale, sicut & spiritale; & si non ratione sui, tamen ratione fundamenti: quia pactio & conventio, in qua fundatur Matrimonium, subest ordinationi Principum & Prælatorum.* Cum sic loquitur de Ecclesia, a parte, nimirum a Principibus, totum intelligit, nimirum Ecclesiam, quæ cum sit fidelium congregatio, Christianos Principes comprehendit. Hæc autem vt ita dicantur & intelligantur, ipsa verborum series exigit, nisi quis velit Paludanum in ea esse sententia, vt putet Ecclesiam Christiani orbis dominio potiri: quo in casu synecdoche locum nullum haberet. Sed a Paludano absit tam stulta opinio.

Joannes Capreolus in IV. dist. XXVI. *Personæ illegitimæ ad Matrimonium contrahendum dicuntur, ex eo quod sint contra legem qua Matrimonium constituitur.* At Mattimonium civili legi constituitur.

Guillelmus Votillonius in IV. dist. XXVII. art. I. *In legitimitate Matrimonii diversas provincias in suis abundare sensibus*, quia in diversis provinciis diversæ sunt leges politicæ vel consuetudines.

Eligius Bassæus in Floribus Theologiæ Moralis, Matrim. VII. num. I. *Dupliciter potest Ecclesia contractus irritare. Primo mediate reddendo personas inhabiles ad contrahendum Matrimonium. Secundo immediate irritando contractum Matrimonii: qua ratione potest etiam irritare Matrimonium infidelium, modo illa irritet, non tanquam Princeps Ecclesiasticus, quia non habet potestatem supra infideles, sed tanquam Princeps sæcularis erga sub-*

ditos. Secundus modus rescindendi Matrimonium, nec intelligi, nec explicari potest, nisi reducatur ad primum. Si Matrimonium juxta leges contractum est, qua via per se & immediate rescindetur, nisi Matrimonio legitime contracto vis aperta inferatur? Si Matrimonium contra leges contractum est, rescissioni non exponitur: quia Matrimonium haud legitime contractum ex se nullum est, & ita se habet ac si contractum non esset. Superest primus, isque vnicus, rescindendi contractum Matrimonii modus, quo scilicet personæ ad contrahendum Matrimonium redduntur inhabiles; & nescio an dati possit aliquid ex objecto, fine & circunstantiis civilius.

Ceterum demus, illum secundum rescindendi Matrimonii modum intelligi commode, & vere a primo distingui: hic æque ac primus, quia naturalis est ordinis, & vniversis contractibus convenit, Principum ordinationi subjacebit. Agitur de re, cui politicæ administrationis moles tota incumbit; scilicet per Matrimonium propagatur natura hominum, & retinetur optimo in statu communitas. At hæ sunt duæ Matrimonii partes præcipuæ, in quibus nihil per se ac proxime ad supernaturalem finem tendit. Quidquid id est, in ordine mere naturali ac politico conquiescit. Quare Bassæus per Ecclesiam a parte solum debet intelligere, vt mox diximus. Quod si per Ecclesiam sacerdotalis ordinis consessum intelligat, in se debet recipere Ecclesiam hanc totius orbis Christiani supremam in temporalibus dominam esse: quod absurdum & ridiculum esset.

Josephus Angles in Floribus quæstione de impedimentis Matrimonii art. 111. *Potestas civilis potest aliquos inhabilitare, quominus contrahant; & de facto si contrahatur, Matrimonium erit nullum*. Interpretatione opus non est, perspicue loquitur. Sed quod majus est, per auctorem loqui censenda est Complutensis Academia, quæ librum illum approbando suum fecit.

Alexander Pesantius in Additionibus ad sanctum Thomam: *Propter bonum commune expedit, vt Princeps reddat quasdam personas inhabiles Matrimonio*. Hæc Romæ docuit, & sine difficultate vlla docuit; nec aliud docere potuit, nisi Regni & Sacerdotii officia, quæ Christus distinxit, permisceret.

Martinus Bonacina in quæſt. III. de impedimentis Matrimonii puncto I. *Advertendum eſt Eccleſiam poſſe dupliciter contractus irritare. Primo mediate reddendo perſonas inhabiles ad contrahendum Matrimonium. Secundo immediate irritando contractum Matrimonii.* Hic auctor, quia Italus erat, Eccleſiæ nomine Romanam intelligere potuit: quo in caſu Romana Eccleſia id præſtare jure ſuo poterit, quod ab Eccleſia præſtari poſſe contendit. Cauſam adfert Innocentius III. tit. *Qui ſint legitimi filii* Cap. *Per venerabilem. Id autem in patrimonio beati Petri libere poteſt Apoſtolica Sedes efficere, in quo & ſummi Pontificis auctoritatem exercet, & ſummi Principis exequitur poteſtatem.* Sic Romana Eccleſia vel Sedes Apoſtolica perſonas ad contrahendum Matrimonium reddit inhabiles, in quantum ſummi Principis poteſtatem exequitur. Si nomine Eccleſiæ vniverſam intelligit Eccleſiam, quæ definitur cœtus fidelium, reddendi perſonas ad contrahendum Matrimonium inhabiles munus ſingulis Eccleſiæ partibus non conveniet, ſed tantum Principibus, qui ſupremam in temporalibus juriſdictionem exercent. Si Eccleſiæ nomine eos intelligit, qui ſacerdotale adminiſtrant officium, his id tribuit, quod Principibus ex genere & natura ſuæ poteſtatis tribuendum erat: atque hoc injuſtitia non vacaret.

Thomas Sanchez lib. VIII. de Matrimonio diſp. III. *Nec obſtat Principis ſæcularis poteſtati Matrimonium eſſe Sacramentum, quia ejus materia eſt contractus civilis. Qua ratione perinde poteſt illud ex juſta cauſa irritare, ac ſi Sacramentum non eſſet, reddendo perſonas inhabiles ad contrahendum, & ſic illegitimum & invalidum contractum redderet.* Hæc explicatione non egent, quia perſpicua ſunt, & jus Principum omni ex parte conſtabiliunt.

Ægidius Coninck diſp. XXX. de impedimento Matrimonii dub. I. concluſ. I. *Sicut igitur ſupradicti* (ſupremi Principes) *ex juſta cauſa poſſunt aliquos, verbi gratia prodigos & pupillos, reddere inhabiles ad alios contractus; ita etiam ad hunc, quia eadem plane eſt ratio. Nec refert quod Matrimonium ſit Sacramentum, quia ideo non deſinit eſſe vere contractus civilis, & hac ratione ſubditus poteſtati politicæ. Quare etſi poteſtas politica directe nihil*

possit statuere circa Sacramenta: potest tamen indirecte impediendo valorem contractus, quem Matrimonium essentialiter involvit. Hic Theologus nihil relinquit quod ad firmamentum juris Principum in matrimoniales contractus adjici queat. Jus autem istud eminet in reddendis lege lata personis ad contrahendum Matrimonium inhabilibus.

Vincentius Filliucius in secunda parte tractationis de Sacramento Matrimonii cap. 1. *Nonobstat autem quod Matrimonium sit Sacramentum, quia materia, vt diximus, est contractus civilis, eaque ratione potest* (Princeps fidelis) *illud irritum reddere, ac si Sacramentum non esset.* Eandem serram reciprocat, atque ita jus Principum exponit & confirmat.

Stephanus Baunius in Theologia morali tract. XII. de Matrimonio quæstione V. *Potest Princeps aut quilibet alius potestatem habens ferendi leges, statuere, vt Matrimonium quatenus est contractus, certo modo aut cum certis circunstantiis ineatur, quæ si omittantur, ratum non sit. In Magistratu politico auctoritatem tantam esse est necesse, vt cum res temporaque reipublicæ exigunt, contractus, qui in ejus perniciem vergunt, modificare, irritare ac determinare valeat: ergo cum Matrimonium sit contractus civilis, more aliorum contractuum legibus certis ab eo & Principibus, quorum in terris fiet, restringi poterit.* Quæ omnia eo spectant, vt politici Magistratus & Principes, cum id expedire videbitur, personas subditorum reddant ad contrahendum Matrimonium inhabiles; & si deinceps Matrimonium contrahatur, illud nullum & invalidum denuntient.

Ex his autem omnibus, quæ cum auctoribus suis disseruimus, colliguntur res quatuor. Primum, quod facere personas ad contrahendum Matrimonium inhabiles, politicum quid est, & ordinis mere naturalis, & eam causam ad supremos Principes duntaxat attinere. Deinde, quod hæc loquendi formula suppeditat argumentum efficax, quo regia seu civilis in Matrimonium potestas certo dignoscatur, & separetur a spirituali, quæ ex se suisque principiis similem loquendi formulam vsurpare non potest. Tum quod qui non sunt sæculi Principes, & hac vel pari formula loquendi vtuntur, non suo, sed Principum jure vtuntur. Denique quod impe-

impedimentum dirimens quodcunque hoc loquendi genere, indiget vt idonea reddatur ratio, cur consanguiniras, verbi gratia ordo sacer, votum Matrimonium subsequens dirimat Matrimonium. Qui Presbyterium assumit, aut votum emittit, ex se non potest seipsum reddere inhabilem ad contrahendum Matrimonium, quod & ad officium naturæ & ad officium communitatis institutum est. Id genus potestatis ad communitatem & societatem civilem pertinet, vel ad eum qui communitati & civili societati præsidet. Communitas autem & civilis societas, aut illius Præses censetur sciens & prudens permittere, vt subditi quidam fiant in Ecclesiis, putà Diaconi & Presbyteri: quidam alii vota emittant in monasteriis, & reddantur ad Matrimonia & civilia munera inhabiles. Nam qui partes & membra sunt communitatis, non possunt sine illius aut Præsidis consensu abalienare a se communitatis officia, inter quæ primas tenet Matrimonium. Sed de his adhuc postea.

ARTICULUS III.

In quo dirimentes Matrimonium leges præcipuas jam tum primum ab Imperatoribus aut Principibus institutas esse demonstratur.

QUI ferendarum legum Matrimonia dirimentium potestatem a Gregorio I. Triburiensi Concilio, Alexandro II. Alexandro III. Innocentio III. vel Honorio III. Principibus ablatam esse tradunt; necessaria consecutione docere debent, præcipua impedimenta hujusmodi jamjam primum ab Imperatoribus, non a Pontificibus aut Conciliis instituta esse, cum illa ante Gregorii I. tempus instituta reperiantur. Gregorium autem Triburiense Concilium, Alexandrum II. Alexandrum III. Innocentium & Honorium III. non fecisse quod illi fecisse volunt, articulo superiori demonstratum est. Nunc igitur primam præcipuorum impedimentorum Ma-

trimonia dirimentium institutionem, quoad licuerit, persequamur.

CAPUT I.

Consanguinitatis impedimentum.

INTER omnia impedimenta Matrimonii, quæ humano jure sancita sunt, primum occurrit consanguinitas, de qua quid ab Imperatore Theodosio seniore constitutum sit, memoriæ prodiderunt Sextus Aurelius Victor, Ambrosius & Augustinus. Primus in epitome hist. sub finem: *Vinolentiam scilicet & cupiditatem triumphandi usque eo detestatus est, ut bella non moverit, sed invenerit, prohibueritque lege ministeria lasciva psaltriasque comessationibus adhiberi, tantum pudori tribuens & continentiæ, ut consobrinarum nuptias vetuerit tanquam sororum.*

Secundus in epistola XLVIII. ad Paternum: *Hic est tertius gradus, qui etiam civili jure a consortio conjugii exceptus videtur.* Et post alia: *Si divina te prætereunt, saltem Imperatorum præcepta, a quibus amplissimum accepisti honorem, haud quaquam te præterire debuerunt. Nam Theodosius Imperator etiam fratres patrueles & consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine, & severissimam pœnam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora; & tamen illi invicem sibi æquales sunt: tantummodo quia propinquitatis necessitudine & fraternæ societatis ligantur vinculo, pietati eos voluit debere quod nati sunt.*

Tertius in lib. XV. de Civit. Dei cap. XVI. *Experti autem sumus in connubiis consobrinarum etiam nostris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana: verumtamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti, & quod fiebat cum consobrina, pene cum sorore fieri videbatur: quia & ipsi inter se propter tam propinquam consanguinitatem fratres vocantur,*

& pene germani sunt. Et post pauca : *Verumtamen quis dubitet honestius hoc tempore etiam consobrinarum prohibita esse conjugia, nec solum secundum ea quæ disputavimus propter multiplicandas affinitates, ne habeat duas necessitudines vna persona, cum duæ possint eas habere, & numerus propinquitatis augeri; sed etiam quia nescio quomodo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, vt cui debet causa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus etiam ipsam pudicitiam conjugalem.*

Hæc autem cum ita sint, sequitur primo ante Theodosium consobrinarum nuptias licuisse: quia, vt ait Augustinus, *id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana*, id est, Imperatoris; deinde subdititia esse illa decreta omnia, quæ in hanc rem a Gratiano quibusdam Pontificibus, Evaristo, Callisto I. & Fabiano affinguntur: & hæc meridiana luce clarior est suppositionis decretorum istorum confirmatio. Quo autem in pretio haberemus id, quod de consanguineorum conjunctionibus Evaristo, Callisto I. tribuitur, non obscure significavimus in art. 1. cap. XII. & in art. II. cap. X. vbi manus cum Canisio conseruimus. Non legerat, opinor, Ambrosium & Augustinum Canisius: hic non vituperasset, quod illi prædicant: non dixisset, Imperatorem falcem in messem alienam misisse, quod Patres sanctissimi non dicunt, nec dici posse significant.

Sed placet hic referre V. Cl. Jacobi Sirmondi de hac lege judicium, quod initium est libelli, cui titulus est, *Quæstio triplex. Consobrinarum nuptias primus omnium, vt Aurelius Victor tradit, pudoris & continentiæ amans, Princeps vetuit Theodosius. Lex qua vetuit, non extat; sed patris legem secuti Arcadius & Honorius proximo post ejus mortem anno inter incestas & prohibitas nuptias consobrinarum conjugia retulerunt lege III. codicis Theodosiani de incestis nuptiis. & mortuo Arcadio, idem Honorius cum Theodosio fratris filio nuptias ex rescripto peti vetans, consobrinarum Matrimonia excepit, in quibus juxta patris legem Principis rescriptum expetere liceret, lege vnica, Cod. eodem, Si nuptiæ ex rescripto petantur. Denique perseverasse deinceps annos amplius centum, & viguisse legem Theodosii, fidem facit formula,*

qua consobrina legitima fiebat uxor, apud Cassiodorum Senatorem lib. VII. *cap.* XLVI. *ex qua liquet, reservatum etiam tum Principi fuisse hoc beneficium, nec legitimas inter consobrinos habitas esse nuptias, nisi Principis auctoritate firmarentur.*

Theodosiani codicis leges illæ duæ, quas Sirmondus laudat, hæ sunt. Una in libri III. tit. XII. *de incestis nuptiis: Imperatores Arcadius & Honorius Augusti Eutychiano P. P. manente circa eos sententia posthac, qui consobrinæ suæ, vel sororis aut fratris filiæ uxorisve, postremo cujus vetitum damnatumque conjugium est, sese nuptiis funestarit: designato quidem legis supplicio, hoc est, ignium & proscriptionis careat; proprias etiam, quandiu vixerit, teneat facultates. Sed neque uxorem, neque filios ex ea editos habere credatur, ut nihil prorsus prædictis, ne per interpositam personam vel donet superstes, vel mortuus derelinquat. Dos si qua forte solenniter aut data aut dicta, aut promissa fuerit, juxta jus antiquum fisci nostri commodis cedat: testamento suo extraneis nihil derelinquat, sive testato, sive intestato legibus ei & jure succedat. Qui si forte ex justo & legitimo Matrimonio editi fuerint, hoc est, de descendentibus, filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis; de ascendentibus, pater, mater, avus, aviæ; de latere, frater, soror, patruus, amita: testandi sane ita demum habeat facultatem, ut his tantum personis pro juris ac legum quod voluerit, arbitrio relinquat, quas succedere imperialis præcepti tenorem mandavimus; ita tamen ut hereditate diem functi penitus arceatur. Si quis ex his, quos memoravimus, in contrahendis incestis nuptiis participatum atque consilium iniisse monstrabitur, successuro in locum illius, qui post eum gradum proximum invenitur: id sane quod de viris cavimus, etiam de feminis, quæ prædictorum se consortio commaculaverint, custodiatur: memoratis vero personis non extantibus fisco locus pateat. Ad cujus legis nexum & conditionem pertinere jubemus. Si qui forte jamdudum ante promulgationem hujusce legis illicitis memoratarum nuptiarum sceleribus commaculati, quoquo modo latere potuerunt. Dat.* V. *Id. Decemb. Constantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. Conss. hoc est, anno Christi* CCCXCVI.

Altera est in ejusdem libri tit. X. *Si nuptiæ ex rescripto petantur: Imperatores Honorius & Theodosius AA. Theod. P. P.*

Quidam vetusti juris ordine prætermisso, obreptione precum nuptias, quas se intelligunt non mereri, de nobis æstimant postulandas, se habere puellæ consensum confingentes: quapropter sponsaliorum genus præsentis legis definitione prohibemus. Si quis igitur contra hanc definitionem nuptias precum subreptione meruerit, amissionem bonorum & pœnam deportationis subiturum se esse non ambigat; & amisso jure Matrimonii, quod prohibita vsurpatione meruerit, filios se juste hac ratione susceptos non habiturum, nec vnquam postulata indulgentiæ adnotationisve Principis indulto efficacem se veniæ effectum meruisse: exceptis his, qui consobrinorum, hoc est, quarti gradus conjunctione, lex triumphalis memoriæ patris nostri exemplo indultorum supplicare non vetavit: exceptisque his qui parentum sponsione de nuptiis filiarum impleri desiderant vel sponsalia, hoc est, arrarum data nomine reddi sibi præcepto legum cum quadrupli pœna deposcunt. Nos enim peti de nobis nuptias supplicatione prohibemus, quas deceat de voluntate parentum, vel de ipsis adultis puellis aut mulieribus impetrari. Nam si negato conjugio, quod fuerat ante promissum, lis aliqua legum præcepto nascatur, de jure nos consuli non vetamus. Dat. Cal. Febr. Ravennæ DD. NN. Honorio VIII. & Theodosio III. AA. Conss. hoc est, anno Christi CCCCIX.

In vtraque lege confirmatur Theodosii Magni lex, qua primus vetuit, ne consobrinæ & consobrini Matrimonio jungerentur.

An autem Arcadius & Honorius Theodosii legem resciderint, & lege *Celebrandis* consobrinorum Matrimonia permiserint, aut non permiserint; sed an eorum lex depravata fuerit ab editoribus codicis, vel an Justinianus in institutionibus, paragrapho *Duorum autem fratrum*, eadem consobrinorum Matrimonia permiserit, vel non permiserit, sed hic paragraphus corruptus fuerit: quæstio est, quæ nuper commissos tenuit duos celeberrimos viros, Sirmondum & Gothofredum; sed hujus quæstionis decisio nostrum vix attinet institutum. Utrum enim asseretur tanquam verum, in eo civilis super impedimenta Matrimonii potestas elucescet: quoniam quidquid factum est tunc circa consobrinorum nuptias, Imperatorum auctoritate factum est. Si enim post Theodo-

fium feniorem confobrinorum nuptiæ licuerint, Arcadii, Honorii & Juftiniani auctoritate licuerunt; fi vero non licuerint, Theodofii & horum Imperatorum auctoritate non licuerunt.

Et quamvis decifio hæc noftrum ad inftitutum nihil aut parum attineat; de re ipfa tamen dicam obiter quod fentio. Lex *Celebrandis*, qualis extat in libro V. codicis Juftinianæi, art. IV. *de nuptiis*, Arcadio & Honorio fubjecta mihi videtur. Sic autem illa fe habet: *Celebrandis inter confobrinos Matrimoniis licentia legis hujus falubritate indulta eft, ut revocata prifci juris auctoritate, reftinctifque calumniarum fomentis, Matrimonium inter confobrinos habeatur legitimum, five ex duobus fratribus, five ex duabus fororibus, five ex fratre & forore nati, & ex Matrimonio editi legitimi, & fuis patribus fucceffores habeantur. Datum Stilicone II. & Anthemio Conff.* qui anno Chrifti CCCCV. refpondent.

I. In Arcadii & Honorii legibus *Manente*, & *Si nuptiæ*, certa funt veritatis indicia, quæ legi *Celebrandis* omnino defunt. In illis duabus legibus dies, menfis & vrbs adfcribuntur. In lege *Manente* fic: *Dat. V. Id. Decembris Conftantinop.* In lege *Si nuptiæ* fic: *Dat. Calend. Febr. Raven.* At in lege *Celebrandis* nec dies, nec menfis, nec vrbs adfcribuntur.

II. Affectatio eft in legis anno CCCCV. in quo Arcadius & Honorius Confules non erant. Imperatorum Arcadii & Honorii auctoritatem majorem conciliaffet legi *Celebrandis*, fi eam illi tuliffent: quis dubitat?

III. Si Arcadius & Honorius legem patris revocaffent, fuam quoque, qua lex patris confirmatur, revocaffent. At quis prudens & attentus crederet, Arcadium & Honorium vtramque revocaffe legem, nulla vtriufque legis mentione facta?

IV. Si anno Chrifti CCCCV. Arcadius & Honorius per legem *Celebrandis* voluiffent fuam & patris revocare legem: quid prodeft lex *Si nuptiæ* lata anno CCCCIX. quæ a lege *Celebrandis* difcordat, & cum lege *Manente* concordat?

V. Si Arcadius & Honorius patris & fuam legem revocaffent anno CCCCV. fanctus Auguftinus nunquam fcripfiffet

anno CCCCX. vel CCCCXI. quæ in libri XV. de Civitate Dei cap. XVI. ſcripſit in hunc modum: *Experti autem ſumus in connubiis conſobrinarum etiam noſtris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat: quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana.* Scripſiſſetne hæc, inquam, poſt legem *Celebrandis*, qua revocatur priſci juris auctoritas, & conſobrinorum & conſobrinarum Matrimonia permittuntur? Cur Auguſtinum legis latæ revocatio minus quam lex lata fugiſſet?

VI. Nulli ſunt auctores Arcadio & Honorio æquales, qui lege *Celebrandis* teſtimonium vllum tribuant: hæc lex pertinaci omnium obruitur ſilentio.

VII. Lex iſta nondum ſubjecta erat Arcadio & Honorio, cum ſæculo plus minus vno poſt Imperatores illos Caſſiodorus varias conſcripſit formulas, & eam maxime, qua diſponentibus Regibus conſobrina legitima fiebat vxor. Quid, quæſo, neceſſe erat dare veniam ineundi inter conſobrinos Matrimonii, ſi quæ lex Matrimonium vetabat hujuſmodi, ab Imperatoribus abrogata fuerat? Hanc autem formulam ſic tradit Caſſiodorus lib. VII. variarum cap. XLVI. *Inſtitutio divinarum legum humano juri miniſtrat exordium, quando in illis capitibus legitur præceptum, quæ duabus tabulis probantur adſcripta. Sacer enim Moyſes divina inſtitutione formatus, Iſraelitico populo inter alia definivit, vt concubitus ſuos a vicinitate ſanguinis abſtinerent, ne & ſe in proximitatem redeundo pollucrent, & dilatjonem providam in genus extraneum non haberent. Hoc prudentes viri ſequentes exemplum, longius pudicam obſervantiam poſteris tranſmiſerunt, reſervantes Principi tantum beneficium conſobrinis nuptiali copulatione jungendis: intelligentes rarius poſſe præſumi, quod a Principe juſſerant poſtulari. Admiramur inventum, & temperiem rerum ſtupenda conſideratione laudamus, hoc ad Principum fuiſſe remiſſum judicium, vt qui populorum mores regebat, ipſe & moderata concupiſcentiæ frena laxaret. Et ideo ſupplicationum tuarum tenore permoti, ſi tibi illa tandem conſobrini ſanguinis vicinitate conjungitur, nec alio gradu proximior approbaris, Matrimonio tuo decernimus eſſe ſociandam, nulli nul-*

Iamque vobis exinde jubemus fieri quæstionem, quando & leges nostra permitti voluntate consentiunt, & vota vestra præsentis beneficio auctoritatis firmaverunt. Erunt vobis itaque Deo favente posteri heredes solenniter, castum Matrimonium, gloriosa permixtio, quando quidquid a nobis fieri præcipitur, necesse est, vt non culpis, sed laudibus applicetur. De hac formula sic loquitur V. Cl. Jacobus Sirmondus in notis ad epistolam XXIV. libri V. Ennodii Ticinensis Episcopi: *Imperatores Christiani etiam consobrinas jungi vetuerunt, vt Theodosius. Quare sine Principis venia duci non licebat. quod declarat Cassiodori formula, qua consobrina legitima fiat vxor.*

Quo autem ferme tempore edita est formula hæc, servandam esse omnino in danda alii nuptiarum generi venia severitatem præcepit Imperator Zeno lege, quæ in Justinianæi cod. libro V. tit. VIII. *Si nuptiæ ex rescripto petantur*, ita refertur: *Nefandissimum scelus fratris sororisve nuptiarum, quod sacratissimis constitutionibus sub gravissimæ pœnæ interminatione damnatum est, iterato præsentis divinæ sanctionis tenore, modis omnibus prohibemus: precandi quoque inposterum super tali conjugio (imo potius contagio) cunctis licentiam denegamus, vt vnusquisque cognoscat impetrationem quoque rei, cujus denegata est petitio, nec si per subreptionem post hanc diem obtinuerit, sibimet profuturam.*

Ceterum ad relatas supra leges accedit lex Anastasii Imperatoris, quæ in lib. V. Justinianæi cod. tit. V. *de incestis & inutilibus nuptiis*, vltima habetur: *Ab incestis nuptiis vniversi, qui nostro reguntur imperio, noverint temperandum. Nam rescripta quoque omnia, vel pragmaticas formas, aut constitutiones impias, quæ quibusdam personis tyrannidis tempore permiserunt, scelesto contubernio Matrimonii nomen imponere, vt fratris filiam vel sororis, vel eam quæ cum fratre quondam nuptiali jure habitaverat, vxorem legitimam turpissimo consortio liceret amplecti, aut vt alia hujusmodi committerentur, viribus carere decernimus, ne dissimulatione culpabili nefanda licentia corroboretur.*

Agatensis, Epaunensis, Aurelianensis III. Turonensis II. & Matisconensis II. Gallicanæ Synodi quinque ad harum legum normam canones quosdam suos exegerunt. Prima,

quæ

quæ habita est anno D V I. canonem hunc L X I. *De incestis conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos vero nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est, hos censemus esse. Si quis relictam fratris, quæ pene prius soror extiterat, carnali conjunctione polluerit; si quis frater germanam uxoris acceperit; si quis novercam duxerit; si quis consobrinæ suæ se sociaverit; si quis relictæ vel filiæ avunculi misceatur, aut patrui filiæ, vel privignæ suæ; aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam consanguineus habuit, concubitu polluerit, aut duxerit uxorem. Quos omnes & olim, atque sub hac constitutione incestos esse non dubitamus, & inter catechumenos usque ad legitimam satisfactionem manere & orare præcipimus. Quod ita præsenti tempore prohibemus, ut ea quæ sunt hactenus instituta, non dissolvamus. Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris connubii libertatem.* Synodus Principum constitutiones describit, & iis adjicit, quæ quo serventur diligentius, necessaria esse judicat.

Altera anno DXVII. habita canonem hunc XXII. *Relicta Presbyteri sive Diaconi, si cuicunque renupserit, eatenus ab Ecclesia pellatur, donec a conjunctione illicita separetur; marito quoque ejus simili usque ad correctionem severitate plectendo.* Sic & relicta & relictæ maritus nonnisi pœna spirituali plectuntur.

Tertia habita anno DXXXVIII. canonem hunc X. *De incestis conjunctionibus, ita quæ sunt statuta serventur, .·.·. ut contracta hucusque hujusmodi Matrimonia non solvantur; sed in futurum quod de incestis conjunctionibus in anterioribus canonibus interdictum est, observetur; id est, ne quis sub conjugii nomine sociare præsumat relictam patris, filiam uxoris, relictam fratris, sororem uxoris consobrinam, relictam avunculi vel patrui. Quod si qui in hoc incesti adulterio potius quam conjugio fuerint sociati, quandiu se non separaverint, a communione Ecclesiastica repellantur.* Sic Principum leges Ecclesiasticæ communionis privatione communiendas esse censet.

Deinde canonem hunc XIII. *Christianis quoque omnibus interdicimus, ne Iudæorum conjugiis misceantur.*

Quarta anno DLXVII. celebrata canonem hunc XXI. *Item ait ſacra ſententia legum, quæ in hac explanatione omni homini tam docto quam indocto aperta eſt, vt quiſquis aut ſororis aut fratris filiam, aut certe gradu conſobrinam, aut fratris vxorem ſceleratis ſibi nuptiis junxerit, huic pœnæ ſubjaceat, vt de tali conſortio ſeparetur, & reliqua. Item alia: Quæcunque mulier ſororis ſuæ maritum poſt mortem illius acceperit, vel ſi quis ex viris, mortua vxore, ſororem ejus aliis nuptiis ſibi conjunxerit, noverit tali conſortio eſſe notabilem.* Deſcribit ſacram legum ſententiam.

Quinta anno DLXXXV. habita canonem hunc XVIII. vbi Theodoſianam legem ſic exequitur: *Inceſtam copulationem, in qua nec conjuges, nec nuptias recte appellari leges ſanxerunt, Catholica omnis deteſtatur atque abominatur Eccleſia, & gravioribus pœnis eos afficere promittit, qui nativitatis ſuæ gradus libidinoſo ardore contemnentes, in merda, quod nefas eſt, ſua, vt ſues teterrimi, convolvuntur.* In cod. Theodoſiani libro III. tit. XII. *de inceſtis nuptiis.*

Ceterum quando temporis progreſſu hic ſerius, alibi citius conjugalis copulæ prohibitio vſque ad ſeptimum gradum admiſſa eſt, non abnuerunt Principes, immo ſuis ſæpe edictis firmarunt. At cum non potuit amplius ſervari propter publicam vtilitatem & pacem, quæ variis in tam multiplici vetito gradu contractis nuptiis turbabatur, Concilium Lateranenſe quartum impedimenta conſanguinitatis ad quartum gradum revocavit, cui rei Chriſtiani Principes facilem aſſenſum dederunt; in ea nimirum materia, quæ civilis juris metas non excedit. Quibus enim probantibus ſanctiſſimis Eccleſiæ Patribus, Ambroſio & Auguſtino, conſobrinorum gradus vindicatur, poſteriores gradus iiſdem non poſſunt ex ſe non vindicari.



Caput II.

Impedimentum disparis cultus.

Disparis cultus impedimentum longe antiquius est, quam Bellarminus lib. I. de Matrimonio cap. XXIII. tradidit, vbi docet nulla vniversali lege irritum esse Matrimonium, quod cum infidelibus a Christianis contrahitur, sed tantum vniversali consuetudine, quæ quingentis circiter abhinc annis vim & auctoritatem legis obtinet. Sed modo cujus sit antiquitatis, videamus.

In lib. III. codicis Theodosiani tit. XIV. *de nuptiis gentilium*, lege I. *Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Theod. Magistrum Equitum. Nulli provincialium cujuscunque ordinis aut loci fuerit, cum barbara sit vxore conjugium, nec vlli gentilium provincialis femina copuletur, nisi quæ inter provinciales atque gentiles affinitates ex hujusmodi nuptiis extiterunt: quod in iis suspectum vel noxium detegitur, capitaliter expietur. Dat.* V. *Calend. Iunii, Valentiniano & Valente AA. Conss.* id est, anno Christi CCCLXV.

Deinde lib. IX. tit. IV. leg. V. *Imperatores Valentinianus, Theodosius & Arcadius AA. Cynegio P. P.* legem tulerunt, qua ne Judæus cum Christiana, vel Christianus cum Judæa Matrimonium ineat, vetatur: *Ne quis Christianam mulierem in Matrimonium Iudæus accipiat, neque Iudææ Christianus conjugium sortiatur. Nam si quis aliquid hujusmodi admiserit, adulterii vicem commissi hujus crimen obtinebit, libertate in accusandum publicis quoque vocibus relaxata. Dat. prid. Id. Mart. Thessal. Theod.* XII. *& Cynegio Consulibus*, id est, anno Christi CCCLXXXVIII. Impedimentum dirimens est, vbi qui violat illud, vt adulter punitur.

His autem Imperatoribus adjungitur Constantinus Magnus legem ferens, qua Christianorum Matrimonium cum quibusdam populis infidelibus prohibuit. Illam repetimus ex Constantini

Porphyrogenneti libro, quem de administrando Imperio ſcripſit ad Romanum Porphyrogennetum filium: *Si vnquam gens quæpiam ex infidelibus & inhonoratis Borealibus affinitatem contrahere cum Romano Imperatore voluerit, vel filiam ejus ſponſam accipere, vel ſuam illi elocare, vel Imperatoris, aut ejus filii vxorem capere, hujuſmodi te verbis indecoram hanc petitionem propulſare oportet, etiamſi de hac re interdictum, conſtitutionemque metuendam, immutabilemque a magno & ſancto Conſtantino ſcriptam eſſe in ſacra menſa Chriſtianorum Eccleſiæ ſanctæ Sophiæ, ne vnquam Imperator Romanus affinitatem contrahat cum gente, quæ peregrinis, & a Romano ſtatu diverſis moribus vtatur, maxime quæ ſit fidei alterius, & baptizata non ſit, exceptis duntaxat Francis. Hos enim ſolos excepit magnus ille vir ſanctus Conſtantinus, cum quod ex illis partibus ipſe oriundus, tum quod propinquitas iſti genti, & commercia magna eſſent cum Romanis. Quapropter etiam cum his ſolis valere contractus matrimoniales permiſit, propter partium illarum gentiumque ſplendorem ac nobilitatem, quam jam annotavi; cum autem quocunque populo omnino prohibuit. Quod vero ſi quis facere auſus fuerit, tanquam patriarum conſtitutionum imperialiumque legum tranſgreſſor, & inter Chriſtianos cenſeri indignus, diris devoveatur.* Hæc ille de Conſtantino Magno, quæ, quia nec in illius vita, nec in codice reperiuntur, vide, an rejeceris, & ſoli Conſtantino Porphyrogenneto, vel alicui alii, qui in ſacra menſa Chriſtianorum Eccleſiæ ſanctæ Sophiæ deſcripſerit, tribueris. Utut ſit, hæc conſtitutio ſuam non poterit non habere a Porphyrogenneto auctoritatem.

Bellarminus cum videret antiquos canones, nonniſi ſpirituali pœna animadvertere in eos, qui cum Judæis vel infidelibus Matrimonia contraherent, diſparis cultus impedimentum dirimens ad conſuetudinem reduxit, quæ quingentis abhinc annis vim dirimentis impedimenti ſortita eſt. Sed vt ſit hoc verum, illa tamen conſuetudo ſine Principum ſæcularium aſſenſu inducta non eſt. Id enim Matrimonii genus non minus quam quodlibet aliud ad publicam Imperii pacem & tranquillitatem refertur.

CAPUT III.

Impedimentum affinitatis.

AFFINITAS cum duplex sit: vna quæ ex conjugali nexu, altera, quæ ex fornicario trahit originem; duplici quoque lege in impedimentum dirimens instituta est. Ad primam affinitatem quod attinet, de ea sic codex Theodosianus lib. III. tit. XII. *Imperatores Constantinus & Constans Augusti, & Iulianus Cæsar, ad Volusianum Vicarium vrbis. Etsi licitum veteres crediderunt, nuptiis fratris solutis ducere fratris vxorem, licitum etiam post mortem mulieris aut divortium contrahere cum ejusdem sorore conjugium; abstineant hujusmodi nuptiis vniversi, nec æstiment posse legitimos liberos ex hoc consortio procreari. Nam spurios esse convenit qui nascentur. Dat. prid. Calend. Mai. Romæ, Arbitione & Lolliano Consulibus*, id est anno Christi CCCLV.

Deinde in eodem lib. leg. III. *Imperatores Honorius & Theodosius Augusti Aureliano P.P. Tanquam incestum commiserit, habeatur, qui post prioris conjugis amissionem, sororem ejus in Matrimonium proprium crediderit sociandam: pari ac simili ratione etiam, si qua post interitum mariti in germani ejus nuptias crediderit aspirandum, illo sine dubio insecuturo, quod ex hoc contubernio nec filii legitimi habebuntur, nec in sacris patris erunt, nec paternam vt sui suscipient hereditatem. Dat.* XVII. *Calend. Ian. Constantino* X. *& Theod.* VI. *Augustis Consulibus*, id est anno Christi CCCCXV. Ex his duabus legibus primam qui legit, primos auctores fuisse hujus impedimenti dirimentis Imperatores facile judicabit.

Tum in lib. V. cod. Justinianæi leg. XIX. *Nemini liceat contrahere Matrimonium cum filia, nepte vel pronepte: itaque cum matre, avia vel proavia, & ex latere amita, ac matertera, sorore, sororis filia, & ex ea nepte; præterea fratris tui filia, & ex ea nepte: itemque ex affinibus privigna, noverca, nuru, socru, ceteris-*

Ff iij

quę quæ jure antiquo prohibentur, a quibus cunctos volumus se abstinere. Et quamvis singula legis puncta non pertineant ad affinitatem, malui tamen legem integram quam dimidiam afferre: quæ enim abundant, non nocent.

Denique in lib. V. codicis Justinianæi tit. V. leg. V. *Fratris uxorem ducendi, vel duabus sororibus conjungendi, penitus licentiam summovemus, nec dissoluto quocunque modo conjugio.* Deinde leg. VIII. *Licet quidam Ægyptiorum idcirco mortuorum fratrum sibi conjuges Matrimonio copulaverint, quod post illorum mortem mansisse virgines dicebantur, arbitrati scilicet quod certis legum conditoribus placuit, cum corpore non convenerint, nuptias non videri re esse contractas, & hujusmodi connubia tunc temporis celebrata firmata sunt: tamen præsenti lege sancimus, si quæ hujusmodi nuptiæ contractæ fuerint, eas earumque contractores, & ex his progenitos antiquarum legum tenori subjacere, nec ad exemplum Ægyptiorum, de quibus supra dictum est, eas videri fuisse firmas, vel esse firmandas.* Sed videamus modo, an Nicolaus Papa decessoribus suis, vel Principibus hoc impedimentum affinitatis acceptum referat cap. XXXIX. responsionis ad consulta Bulgarorum: *De consanguinitate generationum exquiritis, ut quibus utique feminis jungi debeatis, liquide cognoscatis. Verum quod leges hinc sanciunt jam meminimus, & denuo memorare summatim operæpretium ducimus. Aiunt enim, ergo non omnes nobis uxores ducere licet. Nam quarundam nuptiis abstinere debemus. Inter eas enim personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, matrem & filium, aviam & nepotem, & usque ad infinitum. Inter eas quoque personas, quæ ex transverso gradu cognationis junguntur, est quædam similis observatio, sed non tanta.* Expende nunc, quæso, cur qui Papa solet majorum Decreta præ legibus Imperatorum citare, tria illa, quæ apud Gratianum, Hygino unum, alterum Fabiano, tertium Julio tribuuntur, non citet, sed potius Imperatorum leges, quibus apud Bulgaros neophytorum Matrimonia instituuntur: intelligebat quippe vir prudens Nicolaus in negotiis, quæ politicam rationem omnino attinent, ea potissimum adducenda esse, quæ certissimam in auctoritatem

admittuntur. Porro tria illa Decreta, quorum meminimus, ſubdititia eſſe cum ex aliis conſtat, tum ex lege, quam primo propoſuimus.

Alterum vero genus affinitatis ſic perſtringitur lib. v. codicis Juſtinianæi tit. I v. leg. I v. *Liberi concubinas parentum ſuorum vxores ducere non poſſunt, quia minus religioſam & probabilem rem facere videntur: qui ſi contra hoc fecerint, crimen ſtupri committunt.* Hactenus de impedimento vtriuſque affinitatis.

CAPUT IV.

Impedimentum cognationis legalis.

QUÆ ferme rationum momenta ad conſanguinitatis, eadem & ad cognationis legalis ſtatuendum impedimentum excitarunt. Hoc probamus partim ex Digeſtorum lib. XXXVIII. tit. XVI. vbi ſic habetur: *Non ſolum autem naturales filii, verumetiam adoptivi quoque jura conſanguinitatis habebunt cum iis, qui ſunt in familia, vel in vtero, vel poſt mortem patris nati.* Partim ex Inſtit. lib. I. tit. XI. *In plurimis cauſis adſimilatur is, qui adoptatus vel adrogatus eſt ei, qui ex legitimo Matrimonio natus eſt.* Quo fit, vt Digeſtorum lib. XXIII. tit. II. *de ritu nuptiarum*, proponatur iſtud impedimentum: *Adoptivus filius, ſi emancipetur, eam, quæ patris adoptivi vxor fuit, ducere non poteſt, quia novercæ locum habet. Item ſi quis filium adoptaverit, vxorem ejuſdem, quæ nurus loco eſt, nequidem poſt emancipationem filii ducere poterit, quoniam aliquando ei nurus fuit.* Hæc de cognationis legalis impedimento, quod ex jure civili profectum eſt, neque vllus, opinor, eſt qui merito negare poſſit.



CAPUT V.

Impedimentum spiritualis cognationis.

SPIRITVALIS cognatio in impedimentum dirimens instituta æmulatur cognationis legalis rationem, quæ & in ipsa lege Imperatoris exprimitur lib. v. cod. Justinianæi tit. IV. cap. XXVI. *Ea persona omnino ad nuptias venit prohibenda, quam aliquis sive alumna sit, sive a sacrosancto suscepit baptismate, cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem, & justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem, Deo mediante, animæ eorum copulatæ sunt.* Sed de vtraque cognatione legali & spiritali differentem Nicolaum I. audire juvat; sed continuo notandum est, vtrum a majoribus suis, vel a Principibus hæc impedimenta Matrimonii repetat ad consulta Bulgarorum respondens cap. 11. *Unde inter eos* (compatres) *non arbitramur esse quodlibet posse conjugale connubium, quandoquidem nec inter eos, qui natura, & eos, qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ leges Matrimonium contrahi permittunt. Siquidem primus institutionum liber cum de nuptiis loqueretur inter cetera: Inter eas, inquit, personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum & nepotem, vel matrem & filium, vel aviam & nepotem, & vsque ad infinitum; & si tales personæ inter se coierint, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicantur; & hæc adeo sunt, vt quamvis per adoptionem parentum liberorumve loco sibi esse cœperint, non possint inter se Matrimonio jungi: itaque eam, quæ mihi per adoptionem filia, aut neptis esse cœperit, non potero vxorem ducere.* [*Et infra: Si quis per adoptionem soror esse cœperit, quandiu quidem constat adoptio, sane inter me & eam nuptiæ consistere non possunt.*] *Si ergo inter eos non contrahitur Matrimonium, quos adoptio jungit: quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cæleste Sacramentum regeneratio sancti Spiritus vincit?* Sic ergo Nicolaus ad Bulgarorum consulta respondet, vt Principum leges tanquam matrimo-

trimonialis inter Christianos contractus regulas sequatur, & Bulgaris sequendas proponat. Hic non moror aliquot canones Arabicos, quorum editionem neque Nicolaus Papa novit, neque ætas Justiniani vidit, neque certa ratio hactenus probavit. Canones igitur Ecclesiasticos hæc cognationis vtriusque impedimenta antecesserunt.

CAPUT VI.

Impedimentum publicæ honestatis.

DE impedimento publicæ honestatis, quæ oritur ex sponsalibus de futuro, vel ex Matrimonio rato nondum consummato, lex extat in digestorum lib. XXIII. de ritu nuptiarum: *Inter me & sponsam patris mei nuptiæ contrahi non possunt, quanquam noverca mea non proprie dicatur; sed & per contrarium sponsa mea patri meo nubere non poterit, quamvis nurus non proprie dicatur.* Sed lubet expendere, quæ Alexander III. retulit in appendice Lateranensis Concilii ex quodam Pontifice Benedicto, qui Gradensi Patriarchæ rescripsit in hæc verba, huic consultationi respondens: *Utrum soror illius, quæ Ioanni desponsata ante peractas nuptias obiit, illi eidem Ioanni nubere possit? Censura Apostolica mandamus, hoc absque criminis vitio posse. Nam cur prohibeam, quod prohibitum nunquam sacra Scriptura declaravit; sed neque mundanæ leges connumeratis personis, quibus inter se nuptias contrahere non licet, de hujusmodi aliquid dicunt negotio.* Hæc si vera sunt, primum spuria esse oportet, aut saltem extra vsum Romanæ Ecclesiæ decreta illa, quæ Gratianus in hanc rem Julio I. & Gregorio I. tribuit causa XXVII. Deinde Benedictum ignorasse, quid mundanæ leges super hac quæstione edicerent, cum quæ ex legibus modo relata sunt, hunc Benedictum antecesserint: Tum in impedimentis dirimentibus mundanas leges antevertere canones, cum, vt ait Catharinus, *in materia propria* versentur. *Cur*, inquit iste Benedictus, *prohibeam, quod pro-*

hibitum nunquam ſacra Scriptura declaravit; ſed neque mundanæ leges connumeratis perſonis, quibus inter ſe nuptias contrahere non licet, de hujuſmodi aliquid dicunt negotio?

CAPUT VII.

Impedimentum erroris.

ERROR ſive perſonæ, ſive ſervilis conditionis, Matrimonium cum impediat & dirimat jure naturæ, id primum a politicis Magiſtratibus declaratum fuiſſe docent antiquæ Imperatorum leges, quæ Eccleſiaſticos canones præceſſerunt. Quinetiam hac in re nobis conveniunt recentiores Theologi, Silveſter, Viguerius, Sanchez, & alii, qui, vt probent conjugium, in quo error perſonæ intervenit, nullum eſſe, non canones, ſed has leges adducunt ex codice Juſtinianæo, lib. I. tit. XVIII. vbi leg. VIII. & leg. IX. *errantis nullam eſſe voluntatem, nullum errantis eſſe conſenſum* decernitur. Tum ex Digeſtorum lib. II. tit. I. vbi Juriſconſultus dicit: *Non conſentiunt qui errant. quid enim tam contrarium conſenſui eſt, quam error, qui imperitiam detegit?*

Quod autem ſpectat ad ſervilem conditionem, præſto eſt novella XXII. de nuptiis cap. X. in Authent. collat. IV. tit. I. *Si vero ab initio putaverit aliquis liberæ jungi perſonæ, illa vero famula poſtea declaretur exiſtens; non dicimus ſolvi Matrimonium; ſed ab ipſo initio neque Matrimonium fieri ſecundum prius a nobis dictam cauſam propter inæqualitatem fortunæ. Unde neque lucrum ex Matrimonio contemplandum eſſe, neque aliud tale, ſed puram rerum competentium per congruas actiones redditionem. Hæc autem decernimus, & tale non eſſe dicimus Matrimonium, ſi cauſam animus incertus diſponat ſolum, neque conſenſu domini, neque malignitate ejus aliqua, neque negligentia convicta.*

Porro Matrimonium ſervi ſine conſenſu domini contractum non valuiſſe quondam tradit Petrus Ledeſma his verbis: *Advertendum eſt,* inquit, *quod talia Matrimonia irrita erant per jus*

civile. Quod autem varius in variis temporibus hujus impedimenti fuerit vſus & varie temperatus, ad noſtrum nihil refert inſtitutum, in quo primas impedimentorum dirimentium origines diſquirimus. Deinde varie temperari non potuit diſſentientibus iis, qui ſpectata poteſtatis ſuæ natura & fine, hæc impedimenta primum inſtituerunt, & ſoli potuerunt inſtituere.

CAPUT VIII.

Impedimentum raptus.

IMPEDIMENTVM raptus ſeu vis illud eſt, quod obſtat legitimo conſenſui, qui ad Matrimonium requiritur. De hoc impedimento inſignem tulit legem Juſtinianus lib. IX. cod. tit. XIII. *Raptores*, inquit, *virginum honeſtarum vel ingenuarum, ſive jam deſponſatæ fuerint, ſive non, vel quarumlibet viduarum feminarum, licet libertinæ vel ſervæ alienæ ſint, peſſima criminum peccantes capitis ſupplicio plectendos decernimus, & maxime ſi Deo fuerint virgines vel viduæ dedicatæ.* Et poſt alia: *Nec ſit facultas raptæ virgini vel viduæ vel cuilibet mulieri ſibi maritum expoſcere; ſed cui parentes voluerint (excepto raptore) eam legitimo copulent Matrimonio, quoniam nullo modo nulloque tempore datur a noſtra ſerenitate licentia eis conſentire, qui hoſtili more in noſtra republica ſtudent Matrimonia ſibi conjungere. Oportet enim, vt quicunque vxorem ducere voluerit ſive ingenuam, ſive libertinam, ſecundum noſtras leges & antiquam conſuetudinem parentes vel alios, quos decet, petat, vt cum eorum voluntate fiat legitimum conjugium.* Et poſt alia: *Omnibus legis Iuliæ capitulis, quæ de raptu virginum ſive viduarum ſive ſanctimonialium, ſive in antiquis legum libris, ſive in ſacris conſtitutionibus poſita ſunt, de cetero abolitis, vt hæc lex in hoc capite pro omnibus ſufficiat, quam de ſanctimonialibus etiam virginibus & viduis locum habere ſancimus.* Hac autem lege impedimentum dirimens ſtatui quis neget?

At enim dices Juſtiniano præiviſſe Calchedonenſe Concilium, quod ſic de puellarum raptoribus decernit can. XVII.

Eos qui rapiunt mulieres sub nomine simul habitandi cooperantes, aut conviventes raptoribus, decrevit sancta Synodus, ut siquidem Clerici sunt, decidant gradu proprio; sive vero laici, anathematizentur. At inprimis negamus in statuenda lege Matrimonium dirimente ob causam raptus Justiniano Calchedonense præivisse Concilium, cum in hoc canone non sanciatur impedimentum dirimens; sed spiritalis tantum pœna, quæ Clericos & laicos a raptu virginum deterreat. Quod ita intellexit Carolus Magnus lib. VI. Capitularium num. XCV. *Si quis*, ait, *alterius sponsam, virginem & viduam, necdum desponsatam rapuerit vel furatus fuerit: placuit ut sive eam postea sponsaverit, sive dotaverit, seu non, sive cum parentum ejus voluntate quocunque commento ipsam accipere vel tenere potuerit, nunquam illam uxorem habeat, sed raptori aut furi auferatur, & proximis suis alii viro tempore congruo, si ipsa hoc malum consenserit, nuptura, legibusque acceptura reddatur. Raptor vero sive fur, omnesque eis consentientes publica pœnitentia juxta canonicam auctoritatem mulctetur, & proximi illius, quidquid injuste in tam nefando scelere egerunt, in triplo componant, & unamquamque rem semotim legibus in triplo restituant. Ipsa namque quæ rapitur, si aut primo, aut postmodum tam nefario sceleri libens consenserit, nunquam postea nubat, sed publica pœnitentia mulctetur, & sub tali custodia ponatur, ut ei nullatenus luxuriari cum quoquam liceat. Taliter enim memorata flagitia puniantur, ut omnes cognoscant, quoniam nec sæculi leges tam nefandis conjunctionibus consentiant, nec sacri canones consilium ullum præbeant. Sed tales sæculi leges cooperatoresque eorum capite feriri præcipiunt, & sacri canones spiritu Dei conditi, non solum raptores, sed etiam omnes eorum cooperatores, eisque consentientes, anathemate feriunt: sicut in Calchedonensi Concilio, in quo* DCXXX. *Patres adfuerunt, capitulo* XXVII. *cunctis legentibus patet.* Quinetiam ante hoc Concilium fuerunt Principes, atque inprimis Jovianus, qui nuptias virginum Deo dicatarum prohibuit, & earum raptores capitali pœna percussit. Quare Concilia & Patres id fecerunt, quod faciendum esse longo post tempore censuit Petrus Sotus, qui ex parte Pontificis Tridentino Concilio interfuit. *Nec debent*, inquit, *Prælati Ecclesiæ gravate suscipere*,

si quid temporali paci viderint necessarium, sæculares Principes statuant. Nec est cur illis se opponant; sed permittant potius Matrimonium legibus humanis ordinandum, cum officium humanum sit, & addant postea ipsi, si videbitur, quod ad bonum religionis pertinet. Sic post civiles leges, quæ jungendi Matrimonii causa raptum prohibuerunt, raptores ejusmodi anathemate feriendos esse judicarunt.

CAPUT IX.

Impedimentum criminis.

CRIMINIS impedimentum, cum ex homicidio & adulterio generatim oriatur, non potest non subjacere Principum legibus, quæ reos afficiunt infamia vel supplicio extremo. At cum sæculares Principes pro sua clementia, vel pro aliqua politica ratione mortis pœnam in aliud levioris supplicii genus mutare possunt, cur non possent homicidii aut adulterii sontes spoliare libertate contrahendi cum hac aut illa muliere Matrimonii, quod hinc publicæ pacis ac tranquillitatis fundamentum est, inde vt naturæ & societatis officium legibus sæcularium Principum subjicitur? Enimvero ex hoc crimine, quod machinatio in mortem proprii vel alieni conjugis, & adulterium illi machinationi seu spei futuri conjugii conjunctum definiri solet, non ante impedimentum dirimens statui potest, (nisi in nullum rei vsum statuatur) quam Principis reo vitam liberaliter concedentis gratia intelligatur. Neque enim pro hominibus morte mulctatis decernitur impedimentum dirimens.

Non ignoro quidem sanctum Thomam quodlibeto v. art. xv. asserere solum summum Pontificem statuere posse, ne vxoricidæ Matrimonium valide contrahant. Sed illud aTeruit ea præventus opinione, quæ sacerdotalem ordinem sibi reservasse jus statuendorum impedimentorum ait, quamquam istud nec probare possit, & aliud supra docuerit.

Quod autem iſtud impedimenti genus Principum edictis ſubſit, Nicolaus I. ſignificat epiſtola XLVIII. *Illud*, inquit, *quod Waldradæ perhibes teſtimonium, dicens eam fuiſſe legitimam uxorem Lotharii, fruſtra conaris aſtruere, quandoquidem tuo nullo prorſus hinc teſtimonio quis indigeat, cum magis nos ita ſentiamus quod juſtum eſt, & ita intelligamus quod æquum exiſtit, ut te etiam reprobata, etiam mortua, Lotharius nullis legibus, nullis ſine ſui diſcrimine regulis Waldradam mœcham in uxorem unquam permitteretur aſſumere.* Cum ergo Nicolaus dicat, nullis legibus permitti Lotario, ut & repudiata, immo & mortua Theutperga, quam prius legitime duxiſſet, Waldradam retineret, quam poſtea legitimæ ſuperduxerat uxori, non obſcure docet, id ex juſtis Principum legibus pendere. Quorſum enim legitima uxore repudiata ſeu mortua, mœchæ *contra leges* (non ait contra canones) copularetur Lotarius: aut, ut idem Papa loquitur epiſtola LIII. hanc cauſam *legaliter* agere non poſſet, niſi juſtæ nuptiæ ad civilium legum pertinerent inſtitutionem?

Triburienſis Concilii Patres non prius de hoc criminis impedimento, & de aliis capitibus ad Eccleſiæ diſciplinam ſpectantibus quidquam ſtatuerunt, quam Regem Arnulphum ſic in præfatione alloquerentur. *Inter alia namque, quibus divina & humana tractaturi erant*, (Sacerdotes) *communi voto & pari conſenſu de collegio ſanctorum Sacerdotum gnaros & idoneos direxerunt mediatores ad præfatum pium Regem, inquirentes, quo ſtudio & quali benignitate ſecundum ſapientiam & poſſibilitatem ab ipſo Deo ſibi datam Eccleſiam Chriſti, illi per regalem poteſtatem, ipſis per ſacerdotalem eminentiam commiſſam defendere, miniſterium illorum amplificare & ſublimare dignaretur.* Secundum iſta canonem ediderunt LI. qui ſic ſe habet: *Illud vero communi Decreto ſecundum canonum inſtituta definimus, ut ſi quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit, moriente marito ſynodali judicio aditus ei claudatur illicitus, ne ulterius ei conjungatur Matrimonio, quam prius polluit adulterio. Nolumus enim nec Chriſtianæ religioni convenit, ut ullus ducat in conjugium quam prius polluit per adulterium.* Triburienſe Concilium cum hujus impedimenti materiam civilem eſſe agnoſceret, juſtam

habuit causam, cur Regem Arnulphum memorata præfatione alloqueretur; & huic ac paribus canonibus regalem accommodari potestatem concupisceret.

CAPUT X.

Impedimentum ligaminis.

LIGAMINIS impedimentum est prioris sive consummati, sive rati tantum conjugii vinculum, quo sequens Matrimonium etiam consummatum dirimitur. Hoc impedimentum non ad Principes spectat, sed ad Deum ipsum, a quo in Scriptura sancitum est: Principes tamen illud suis edictis declararunt, & populis servandum denuntiarunt. Hoc inprimis præstitit Justinianus lib. v. cod. sui tit. IV. cap. II. *Neminem, qui sub ditione sit Romani nominis, binas uxores habere posse vulgo patet, cum etiam in edicto Prætoris hujusmodi viri infamia notati sint, quam rem competens judex inultam esse non patietur.* Hoc autem impedimentum, quod divino & humano jure Matrimonium irritum efficit, solo humano seu civili efficeret, quamvis illa lex ab ethnicis Imperatoribus, Diocletiano & Maximiano, statuatur. Unde post alios plures Theologos recte docet Becanus, *Christianos habitantes sub potestate Principum infidelium teneri servare legem irritantem Matrimonia, modo non sit injusta.* Nicolaus I. longo post civiles leges tempore jus divinum declaravit, respondens ad consulta Bulgarorum cap. v. *Duas tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit. Nam Deus qui fecit hominem ab initio, masculum unum fecit, & unam feminam tantum, cui potuit utique, si vellet, duas uxores tribuere; sed noluit. Scriptum quippe est: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ; non dixit uxoribus. Et iterum: Erunt duo in carne una; masculus scilicet & femina in carne una, & non tres aut plures.* Quibus verbis non novam fert legem, sed divinam declarat. Cete-

rum impedimenti, quod naturali divinoque jure statuitur, declarationem, primum ad sæculares, tum ad Ecclesiasticos Magistratus retulit post Tridentinum Concilium Clemens Cardinalis Monilianus in compendio Theologicarum Institutionum cap. LXIII. *Cum abrogata sit lex Moysi de gradibus consanguinitatis & affinitatis in* XVIII. *Levitici posita, cum noster esset pædagogus in Christo, necessarium fuit constitui tam politicos quam Ecclesiasticos Magistratus: similiter & leges & canones, quibus explicarentur generalia divini & naturalis juris præcepta de supradictorum contractuum gradibus, & Matrimonii impedimentis, ac quibuscunque aliis, quæ in præfatis rebus politicis pro illarum communi utilitate expedire videbantur.* Unde ex eo ordine, quo leges præcedunt canones, Nomocanon a Græcis dictus est.

CAPUT XI.

Impedimentum impotentiæ.

IMPEDIMENTUM hoc, quod Matrimonium censetur dirimere, natura præter ipsius naturæ ordinem statuit; verum quia non omnes sciunt illud per ætates varias varie temperatum esse, quidquid id est, non erit inutile vnicuique sigillatim attribuere. Tum observationes in rei gestæ narrationem nonnullas subjiciam.

Ordior ab Justiniano, qui Imperii habenas ab anno DXXVII. vsque ad annum DLXV. tenuit. Sic autem impotentiam, qua de agimus, temperandam esse duxit in novella XXII. *de nuptiis* cap. VI. *Per occasionem quoque necessariam & non irrationabilem distrahitur Matrimonium, quando aliquis impotens fuerit coire mulieri, & agere quæ a natura viris data sunt: si biennium quidem secundum de hoc a nobis pridem scriptam legem, transcurrat ex nuptiarum tempore; ille vero quia pro veritate est vir, non ostendat. Licebit enim mulieri, aut ejus patribus disjungere Matrimonium & mittere repudium, vel si noluerit hoc maritus, & hic quidem dos (si quæ omnino data sit) sequetur mulierem, & reddet*

reddet hanc vir, ſi contigit eam accipi : propter nuptias autem ſeu ante nuptias donatio manet ad virum nihil de ſuo damnificandum. Hanc itaque legem corrigimus, brevi quidem adjectione. Non enim biennium numerari ſolum ex ipſo tempore copulationis, ſed triennium volumus ; edocti namque ſumus ex iis, quæ ante hæc provenerunt, quoſdam amplius quam biennium tempus non valentes, poſtea potentes oſtenſos miniſtrare filiorum procreationi.

Tunc Antiſtes primi vel ſecundi ordinis nullus fuit, qui Imperatorem redargueric, conqueſtus illum tuliſſe legem, quam ſpectato jure ſuo ferre non potuerit. Quid ita ? Creditum eſt in Eccleſia Dei Juſtinianum ſuo & non alieno jure vſum fuiſſe. Id omnium contumaci ſilentio confirmatur.

11. Juſtinianum Gregorius ſequitur, ſi ſcripſit quod eum ſcripſiſſe Ivo Carnotenſis in part. VIII. cap. CLXXXII. & Gratianus cap. *Requiſiſti* XXXIII. quæſt. X. referunt. *De his requiſiſti qui ob cauſam frigidæ naturæ ſe dicunt non poſſe invicem operam carnis dantes commiſceri : iſte vero ſi non poteſt ea vti pro vxore, habeat quaſi ſororem : quod ſi retinaculum jugale volunt reſcindere, manebunt vtrique innupti. Nam ſi huic non potuit naturaliter concordare, quomodo alteri conveniet : igitur ſi vir aliam vult accipere vxorem, manifeſta ratio patet, quia ſuccendente diabolo odii fomitem, exoſam eam habuit ; & idcirco illam dimittere mendacii falſitate molitur. Quod ſi mulier cauſatur & dicit : Volo mater eſſe & filios procreare ; vterque eorum ſeptima manu propinquorum tactis ſacroſanctis reliquiis jurejurando dicat, vt nunquam per commixtionem carnis conjuncti, vna caro effecti fuiſſent. Tunc videtur mulierem ſecundas poſſe contrahere nuptias : humanum dico propter infirmitatem carnis eorum ; vir autem qui frigidæ naturæ eſt, maneat ſine conjuge. Quod ſi & ille aliam copulam acceperit, tunc qui juraverint, perjurii crimine rei teneantur, & pœnitentia peracta priora cogantur recipere connubia.* Apud Ivonem titulus capitis eſt, *Ex epiſtola Gregorii* ; apud Gratianum vero titulus eſt, *Ex epiſtola Gregorii ad Ioannem Ravennatem Epiſcopum.*

Initio dixi : Juſtinianum Gregorius ſequitur, ſi ſcripſit quod

cum ſcripſiſſe Ivo & Gratianus referunt. Nam rationes ſunt multæ, quibus caput totum iſtud Gregorio ſubjectum eſſe comprobatur.

I. Gregorius in libri I. epiſtola XXXV. in libri II. epiſtola XXII. XXXII. & LIV. & in libri IV. epiſtola XV. ſcribit ad Joannem Ravennatem Epiſcopum, & in epiſtolis illis quinque nihil ſimile comparet.

II. Joannes Ravennas Epiſcopus in libri II. Indict. XI. ſcribit epiſtolam LV. ad Gregorium, & eum de Matrimonio non conſulit, ſed de vſu pallii & mappulis, & de diverſis ornatibus cum eo tractat.

III. Gregorius in libri IV. epiſtola LIV. & in libri V. epiſtola I. ſcribit ad Marinianum Ravennatem Epiſcopum & Joannis ſucceſſorem, & in duabus illis epiſtolis de Matrimonio vel de hominibus frigidæ naturæ ne verbum quidem vllum habet.

IV. In ceteris aliis epiſtolis, quas continent libri duodecim, par eſt ſilentium.

V. Capitis hujus contextus a Gregorii Papæ ſtilo mirum quantum abhorret, & hoc ad probandam rei falſitatem ſufficeret.

VI. Doctrina capitis hujus diſſentit a Romanæ Eccleſiæ doctrina, quam tradit Gregorius II. ſeu junior, cum ad varias Bonifacii Moguntini Præſulis interrogationes reſpondet anno DCCXXVI. id eſt, anno poſt Gregorii I. exceſſum centeſimo viceſimo ſecundo. Reſponſionibus ſuis ita præfatur: *In iiſdem literis quædam ſubnexuiſti capitula ſciſcitando qualiter teneat vel doceat hæc Apoſtolica Romana Eccleſia. Bene ſatis, quia beatus Petrus Apoſtolus & Apoſtolatus & Epiſcopatus principium extitit, & conſulenti tibi de ſtatu Eccleſiæ, non ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ejus gratia, qui aperit os mutorum, & linguas infantium facit diſertas, qualiter teneas Apoſtolici vigoris doctrinam dicimus.* Et poſt alia cap. II. *Nam quod propoſuiſti, quod ſi mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum eſſet, ſi ſic permaneret, vt abſtinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum eſt, ille qui ſe non poterit continere, nubat magis, non tamen ſubſidii opem ſubtrahat ab illa, cui*

infirmitas præpedit, & non detestabilis culpa excludit. In tom. I. Conciliorum Galliæ. Hoc Ivo vidit & retulit part. VIII. decreti sui cap. LXXVIII.

Animadvertenda hic occurrunt duo. Primum, quod credibile non est, Romanam Ecclesiam sub duobus illis Pontificibus tam diversa in tam brevi temporis intercapedine de Matrimonio sensisse & docuisse. Quare cum responsa Bonifacio data idoneis rationibus abjudicari Gregorio juniori non possint, relatum ab Ivone & Gratiano caput abjudicari Gregorio seniori debet.

Deinde, quod apud Romanam Ecclesiam, cum succedens Matrimonio impotentia Matrimonium dirimat, dubium nullum est, quin antecedens Matrimonium impotentia dirimere Matrimonium ipsum possit.

III. Stephanus II. anno DCCLIV. venit in Galliam, & cum esset in villa Carisiaco, inter alia ad plures quæstiones responsa, hoc vnum dedit cap. II. *Si quis se in conjugio copulaverit, & vni eorum contigerit, vt debitum reddere non possit, non liceat eos separare, nec pro alia infirmitate, excepto si dæmonii infirmitas, aut lepræ macula supervenire t. Ceterum si ab his duabus infirmitatibus liberi fuerint invicem conjuncti, vnus alteri servitium exhibeat.*

Hic incertum vnum est, certum alterum: incertum quidem, num Stephanus II. probe tenuerit, quid Gregorio II. Pontifice Romana hac de re docebat Ecclesia; certum vero, Stephanum II. interrogantibus Galliæ Episcopis respondisse aliter quam Gregorius II. sciscitanti Bonifacio Moguntiæ Episcopo responderat. In responso Stephani non quæcunque infirmitas impediens ne vir & vxor mutuum sibi debitum reddant, vt separentur, sufficit; sed requiritur vt infirmitati τὸ ἐνέργημα, seu dæmonum vexatio, vel lepræ macula superveniat.

IV. Carolus Magnus in libri VI. Capitularium num. LV. de hoc impedimento sic decernit: *Si vir & mulier conjunxerint se in Matrimonium, & postea dixerit mulier de viro, non posse nubere cum eo: si poterit probare, quod verum sit, accipiat alium, eo quod juxta Apostolum non potuit illi reddere suum de-*

bitum. Imperator decretum suum auctoritate beati Pauli confirmat, & Gregorio II. consentit; sed Stephani II. responso derogat nonnihil, vt Stephanus II. Gregorii II. responso derogaverat.

v. Leo & Constantinus Justinianum sequuti sunt, & illius constitutionem constitutione nova confirmarunt: *Uxor a marito propter has causas, si maritus a tempore matrimonialis contractus cum uxore sua triennio coire nequiverit, &c.* Hæc inter causas, quæ Matrimonium dissolvunt, in delectu compendiario legum tomo II. juris Græco-Romani tit. XIII.

VI. Excerptum ex epistola Gregorii ad Joannem Ravennatem Episcopum, quod Gregorio subjectum fuisse ostendimus, ad mediam inter Gregorium II. & Alexandrum III. ætatem pertinet. An suppostor propius Gregorio quam Alexandro, vel contra accesserit, vix sciri potest. Quidquid id est, in Romana Ecclesia, cum eam regendum suscepit Alexander III. invaluerat consuetudo non dissolvendi propter impotentiam Matrimonii; sed in dissolvendi propter impotentiam Matrimonii consuetudine Gallicana perseverabat Ecclesia. Alexander vtrumque docet in epistola ad Ambianensem Episcopum, quæ in parte vltima appendicis ad Lateranense Concilium refertur. Res ibi sic se habet: *Quod Sedem Apostolicam consulis super his, quæ dubia tibi existunt, gratum gerimus & acceptum, & tua exinde fraternitas non parum commendanda omnibus videtur. Ex tua siquidem parte nobis est intimatum, quod quædam mulier tui Episcopatus cuidam viro nupsit, ignorans, quod propter vtriusque inguinis rupturam genitalia ejus essent abscissa, nec ab eo cognita fuisset. Qui vtique modo factus l presus, se pariter & sua domui dedit infirmorum: mulier vero ad domum paternam reversa, sicut juvenis, alii viro desiderat nubere, & conjugali fœdere conjungi. Verum licet Romana Ecclesia non consueverit propter naturalem frigiditatem, aut propter alia maleficia legitime conjunctos dividere: si tamen consuetudo Gallicanæ Ecclesiæ habet, vt ejusmodi Matrimonia dissolvantur, nos patienter tolerabimus, si secundum illam consuetudinem eidem mulieri, cui voluerit, in Domino concesseris nubendi facultatem. Sicut enim puer qui non potest reddere debitum, non est aptus conju-*

gio; sic quoque qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda Matrimonia reputantur.

VII. Lucius III. Alexandri III. successor proximus convenienter Romanæ consuetudini, quam Alexander laudat, consultationi cuidam respondet tit. *de frigidis & maleficiatis* cap. IV. *Consultationi tuæ, qua nos consuluisti, utrum fœminæ clausæ impotentes commisceri maribus, Matrimonium possint contrahere, & si contraxerint, an debeat rescindi: taliter respondemus, quod licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus contrahat Matrimonium; Romana tamen Ecclesia consuevit in consimilibus judicare, vt quas tanquam vxores habere non possunt, habeant vt vxores.*

VIII. Celestinus III. Lucii successor aliter respondit ibidem cap. V. *Laudabilem.* Et infra: *Requisisti quantum temporis indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis. & infra. Nos vero in præsenti consultatione sentimus, vt a tempore celebrati conjugii, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium: quo elapso, si nec tunc cohabitare voluerint, & juxta Decretum Gregorii mulier per justum judicium de viro probare potuerit, quod cum ea coire non possit, accipiat alium; si autem ille accipiat aliam, separentur: quod si ambo consentiant simul esse, vir eam, & si non vt vxorem, saltem vt sororem habeat.* Quis autem Lucium III. quis Celestinum III. consuluerit, nescitur, nec sciri potest ex Lucii & Celestini epistolis, quæ cum in Bullario, tum in tomis Conciliorum editæ sunt: nulla enim ibi extat, in qua de hoc impedimenti genere tractetur. Deinde Lucius III. & Celestinus III. in suis rescriptis pugnant inter sese in iis, quæ ad Romanæ Ecclesiæ disciplinam attinent. Hinc efficitur, vt quæ in titulo *de frigidis & maleficiatis* tribuuntur Lucio III. & Celestino III. in suspicionem falsi non possent non venire.

Nunc restat vt ad ea, quæ juxta doctrinam temporum sincere retulimus, nonnulla observemus.

I. Imperatores primi omnium de coeundi impotentia, quæ Matrimonium dirimit vel potest dirimere, leges ediderunt, nec iis Pontifices vlli præiverunt.

II. Pontifices Justiniano, Carolo Magno, Leoni & Con-

ſtantino Impp. æquales de iis conqueſti ſunt nunquam, quod poteſtatem ſacerdotali juri convenientem vſurpaverint.

III. Sæculares illi Principes ſibi conſentiunt in ſuis conſtitutionibus, nec alius alii repugnat, quod, vt apparet, de Romana Eccleſia vere affirmateque dici non poteſt. Loquor hic ad ſenſum eorum, qui quæ de Gregorio I. de Alexandro III. de Lucio III. & Celeſtino III. commemoravimus, in dubium minime revocant, ſed omnia vt vera recipiunt.

IV. Ut omittam decretum, quod Gregorio Papæ ſubjectum eſſe probavi, religio mihi eſt Lucio & Celeſtino attribuere quæ mox retuli; & primo quidem propter certa veritatis indicia, quæ in illorum decretis ſeu reſponſis deſiderantur: deinde propter res ſacerdotali ordini indecoras, quæ in iis continentur. Hæc laicis & medicorum ſcholis relinquenda ſunt, & a Sacerdotum labiis, oculis & auribus procul abſcedant.

V. Celeſtinus III. quæ de triennali cohabitatione ſtatuit, ex Imperatorum legibus promulgat, qua ratione rem ad Imperatorum auctoritatem pertinere ſignificat. Et recte: nam quidquid illud eſt, intra naturalis finis & civilis prudentiæ limites continetur, & ibi ſupernaturali fini locus per ſe nullus eſt.

Ceterum Romana Eccleſia conſuetudinem, cujus Alexander III. meminit, jamdudum deſeruit, & Gallicanæ Eccleſiæ conſuetudinem, cujus idem Pontifex meminit, approbando ſuam fecit. Sed id inſtitutum noſtrum nihil attinet.

CAPUT XII.

Impedimentum voti.

QUO præſertim tempore Monachorum & Monacharum votum impedimentum dirimens eſſe cœperit, non parva eſt inter Doctores contentio, quæ necdum finem accepit. Sed vt noſtrum perſequamur inſtitutum, in quo jura Princi-

pum disquirimus, sciendum est inprimis Turonensem Synodum alteram, quæ habita est anno DLXVII. latas ab Imperatoribus contra virginum connubia leges executam esse can. XXI. *Nos ergo hoc sequentes, quod vel Apostolus Paulus, vel Papa Innocentius statuit, in canonibus nostris inserentes statuamus observandum, vt nullus sacratam Deo virginem, quæ in honorem Christi vestem mutavit, aut rapere, aut competere, aut sibi conjugem sociare præsumat: quia etiam lex Romana constituit, vt quicunque sacratam Deo virginem vel viduam fortasse rapuerit, si postea eis de conjunctione convenerit, capitis sententia feriantur. Item si quis, non dicam rapere, sed attrectare Matrimonii jungendi causa sacram virginem ausus fuerit, capitis sententia feriatur.* Ecce tibi plusquam, vt ita loquar, dirimens impedimentum, quod ab Imperatore sancitum est. Neque dubitandum est quin qui capitali supplicio puniuntur ob attentatum ejusmodi Matrimonium, a legislatore potuerint mitius haberi, hoc est, contracti Matrimonii rescissione tantum puniri, quod accideret, cum qui votum castitatis emisit, redditus esset ad contrahendum Matrimonium inhabilis. Porro Synodus Imperatorias leges quoad ejus fieri licet, exequitur. Sic loquor, quia leges sunt duæ, quibus supplicium vltimum iis qui contravenerint, decernitur. A Synodo haud decerneretur: Episcoporum Synodi neminem morti addicunt.

Deinde sciendum est votorum esse genera duo: alterum, quod cum civilis communitatis muneribus cohæret; alterum, quod non cohæret. Ficta non est distinctio, sed vera & necessaria. Nam votum quod simplex dicitur, impedit quidem ne contrahatur Matrimonium, sed non dirimit contractum; votum vero quod non simplex tantum dicitur, Matrimonium impedit contrahendum, & dirimit contractum. Beatus Augustinus prius illud eleganter & subtiliter explicat in libri de bono viduitatis capite IX. & X. *Sed quoniam, sicut ait Dominus, non omnes capiunt verbum hoc: Quæ* (femina) *potest ergo capere, capiat, & quæ se non continet, nubat; quæ non cœpit, deliberet; quæ aggressa est, perseveret; nulla adversario detur occasio, nulla Christo subtrahatur oblatio. In conjugali quippe vinculo, si pudicitia conservetur, damnatio non timetur; sed in viduali &*

virginali continentia excellentia muneris amplioris expetitur, qua expetita & electa & voti debito oblata, jam non solum non capessere nuptias, sed etiamsi non nubatur, nubere velle damnabile est. Nam ut hoc demonstraret Apostolus, non ait: Cum in deliciis egerint, in Christo nubunt, sed nubere volunt, habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, etsi non nubendo, sed tamen volendo, non quia ipsæ nuptiæ vel talium damnandæ judicantur, sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur non susceptio a bono inferiore, sed ruina ex bono superiore. Postremo damnantur tales, non quia conjugalem fidem posterius ineunt, sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt. Quod ut breviter insinuaret Apostolus, noluit eas dicere habere damnationem, quia post amplioris sanctitatis propositum nubunt, non quia non damnentur, sed ne in eis ipsæ nuptiæ damnari putarentur. Sed cum dixisset, nubere volunt, continuo addidit, habentes damnationem, & dixit quare: quoniam primam fidem irritam fecerunt, ut voluntatem quæ a proposito cecidit, appareat esse damnatam, sive subsequantur nuptiæ, sive desint. Proinde qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur acute ac diligenter considerare quid dicant. Fallit eos quippe similitudo veritatis. Quia enim conjugium Christi dicuntur eligere, quæ Christiana sanctitate non nubunt; hinc argumentantur quidam dicentes: Si viro suo vivo, quæ alteri nubit, adultera est, sicut ipse Dominus in Evangelio definivit: Vivo ergo Christo, cui mors ultra non dominatur, quæ conjugium ejus elegerat, si homini nubit, adultera est. Qui hoc dicunt, acute quidem moventur, sed parum attendunt, hanc argumentationem quanta rerum sequatur absurditas. Cum enim laudabiliter etiam vivente viro ex ejus consensu continentiam femina Christo voveat, jam secundum istorum rationem nulla hoc facere debet, ne ipsum Christum, quod sentire nefas est, adulterum faciat, cui vivente viro nubit. Deinde cum primæ nuptiæ melioris sint meriti quam secundæ, absit, ut sanctarum viduarum iste sit sensus, ut Christus eis videatur quasi secundus maritus: ipsum enim habebant ut antea, quando viris suis fideliter serviebant, subditæ non carnaliter, sed spiritualiter, virum cui ipsa Ecclesia, cujus membra sunt, conjunx est, quæ fidei, spei, caritatis integritate,

tate, non in solis virginibus sanctis, sed etiam in viduis & conjugatis fidelibus tota virgo est. Universa quippè Ecclesia, cujus illæ membra sunt, Apostolus dicit: Aptavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Novit autem ille conjugem virginem sine corruptione fœtare, quem in ipsa etiam carne potuit mater sine corruptione procreare. Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant lapsarum a sancto proposito feminarum, si nupserint, non esse conjugia, non parvum malum, ut a maritis separentur uxores, quasi adulteræ sint non uxores; & cum volunt eas separatas reddere continentiæ, faciunt maritos earum adulteros viros, cum suis uxoribus vivis alteras duxerint. Quapropter non possum quidem dicere a proposito meliore lapsas, si nupserint, feminas, adulteria esse, non conjugia: sed plane non dubitaverim dicere, lapsus & ruinas a castitate sanctiore, quæ vovetur Deo, adulteriis pejores esse.

Sic beati Augustini tempore fuerunt, qui nuptias virginum quæ Deo castitatem voverunt, non conjugia, sed adulteria esse dicerent; fuerunt qui negarent. Augustinus ab istorum stat partibus, & eas tuetur egregie. Nuptias nempe virginum, quæ Deo castitatem voverant, non licere quidem propter rationes quas exponit, sed valere propter rationes, quibus suam confirmat sententiam: atque ita votum quo sese virgines obstrinxerant, cum officio naturæ & politicæ communitatis adhuc cohærere.

Hæc autem sententia, si non ubique, saltem in Gallia diu multumque duravit. Id colligimus ex epistola, quam beatus Bernardus ad Artaldum Pulteriensem Abbatem scribit hoc modo: *Unde placuit tuæ dignationi fratrem hunc nostram parvitatem consulere, sic nos quod nobis visum fuit, noveris consilium dedisse, ut saniori non præjudicaverimus. Ne ergo rerum quas scis, superflua narratione te gravemus, hæc est summa consilii. Periculosum quidem est, & fortassis illicitum, hominem post diutinam in domo & habitu religionis conversationem ad sæculum redisse, quique prius, & adhuc priore uxore vivente ac consentiente, fortissime ac diutissime continentiam tenuit, secundis rursus amplexibus se ineptissime atque inhonestissime implicuisse. Quia tamen publice ac solenniter juxta morem ceterorum hominum & sine querela vel calumnia ipsum qua-*

lecumque conjugium celebratum fuit, non nobis videtur tutum, illum illam non consentientem dimittere, nisi prius episcopalis auctoritatis vel Concilio fretum vel imperio, aut certe Ecclesiastico canonicoque judicio. Quoniam vero hoc tam grande hominis periculum ad te nimirum non minima ex parte respicere credimus, (ex eo quod volentem suum confirmare propositum nimis suscipere distulisti, occasione sumpta diabolus in hac eum mala præcipitavit) omnino ex caritate consulimus, vt quacunque ex industria potes, omnino satagas liberare, conveniendo scilicet aut mulierem, vt illum sponte dimittat, & continentiam promittat; aut Episcopum, vt ambos vocari jubeat, & quod recto posse fieri credimus judicio, separet. Basilius Pontius hac epistola in libri VII. de impedimentis Matrimonii capite XVII. vtitur, vt probet votum beati Bernardi tempore impedimentum dirimens nondum fuisse. Verba sunt Pontii: *Denique adhuc temporibus Bernardi, qui obiit anno* ML. (dicere voluit MCLIII.) *eandem extitisse litem, pluresque sensisse etiam post vota valere hujusmodi connubium. Probo ex epistola* LXXVI. *Bernardus enim ab Abbate Pultariensi hac super re consulitur. Quidam Monachus jam professus institutum, deseruerat, nupserat. Quæritur a divo Bernardo quid faciendum? Ille autem, quamvis illicitam fateatur habitus dimissionem, Matrimonii copulam, inquit, tamen non nobis videtur tutum etiam illum illam non consentientem dimittere, nisi prius Episcopalis auctoritatis accesserit vel Concilium, vel imperium. Addit tamen in fine epistolæ, posse Episcopum recte judicare, vt separentur. Constat ergo tempore Bernardi adhuc sub dubio esse, an valerent hujusmodi conjugia; & Bernardum tutius existimasse, ne proprio consensu separarentur post semel initum Matrimonium. Sensit ergo valere: alias si adulterium aut scortatio esset, non exspectaret Bernardus judicium Ecclesiasticum. Nec dici potest illum, de quo erat sermo, non fuisse religiosum votis astrictum. Si enim votis solutus esset, quæ posset suboriri dubitatio de veritate Matrimonii? Nec vero dici potest teneri illum voto castitatis, extra religionem tamen emisso: tum quia planum est sermonem esse de Monacho, tum nequaquam diceret Bernardus; recte fieri posset vt separaretur vinculum, cum votum continentiæ extra religionem emissum non dirimat Matrimonium ex antiqua certaque sententia, quam non est*

verisimile ignorasse Bernardum. Hæc ille, & sane parenthesis hæc Bernardi, *ex eo quod volentem suum confirmare propositum suscipere nimis distulisti*, sufficere non potest, vt dicatur, Monachum non emisisse votum, quia verba quæ sequuntur, impediunt, ne illud vere dicatur: *Quia tamen publice ac solenniter juxta morem ceterorum hominum & sine calumnia ipsum qualecunque conjugium celebratum fuit, non nobis videtur tutum, illum illam non consentientem dimittere.* Quorsum hæc scriberet, nisi Monachus votum emisisset.

Porro autem, vt libere dicam quod sentio, difficile prorsus est Pontii sententiam monumentis, quæ beati Bernardi tempus antecedunt, refellere. Id confirmo ex Tridentina Synodo, quæ de clandestinis Matrimoniis in sess. XXIV. capite I. de reformatione sic statuit: *Iure damnandi sunt illi, vt eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea* (clandestina Matrimonia) *vera ac rata esse negant, quique falso affirmant Matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse; nihilominus sancta Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.* Quamvis igitur sancta Ecclesia semper detestata sit atque prohibuerit clandestina Matrimonia, non tamen sequitur hæc vera ac rata non fuisse: sic quamvis olim sancta Ecclesia Monachorum nuptias semper detestata sit atque prohibuerit, non tamen sequitur has veras ac ratas non fuisse. Illicitæ fuerunt, invalidæ non fuerunt, vt ex relatis beati Augustini verbis colligitur.

Sunt ergo, vt præmisimus, votorum genera duo: alterum non impediens, quominus initum post illud Matrimonium ratum sit ac verum; alterum impediens, quominus initum post illud Matrimonium ratum sit ac verum: quærenda nunc est ratio, cur certum quoddam votum impediat, quominus votum subsequens Matrimonium valeat.

Et primum quidem idonea ratio quæri non potest ex voto secundum se sumpto. Id eleganter persequitur Pontius in libri VII. de impedimentis Matrimonii capite XVII. extremo. *Superest*, inquit, *vt ostendamus ratione, voto castitatis in religione emisso ex natura sua non reddi voventem inhabilem ad Matrimonium. Quia traditio quæ fit per Matrimonium conjugi,*

& per votum religioni, sunt diversæ rationis, atque adeo se mutuo non impediunt. Sicut cum quis jure servitutis vni traditur, alteri vero in Matrimonio; & ista duo vincula non pugnare inter se potest ostendi a posteriori, quia si quis post consummatum Matrimonium ad religionem transit, manet vinculum Matrimonii cum religionis vinculo, nec vnum altero enervatur atque dissolvitur: ergo neque votum castitatis in religione emissum impedit ex sui natura vinculum conjugii. Quam etiam rationem reddiderunt Gabriel Vasquez disp. CLXV. *cap.* VII. *Ferdinandus Rebellus lib.* III. *quæst.* IV. *sect.* III. *Azor tom.* I. *lib.* XII. *cap.* VI. *quæst.* III. *& alii.*

Deinde idonea ratio quæri non potest ex voluntate voventis, quasi ipse possit se per seipsum ad Matrimonium inhabilem reddere. Non potest, sui non est juris: quicunque enim vovet, membrum est communitatis, a qua sicur pars a toto depender necessario. Quæ persona ad faciendos quoscunque contractus redditur inhabilis, non ab alio quam ab eo, qui superior est, redditur, aur reddi potest inhabilis: at nemo seipso vel superior vel inferior est.

Tum idonea ratio quæri non potest ab iis, qui sacerdotale munus administrant, & qui Ecclesia minus proprie vocantur, nisi totum pro parte capiatur. Sacerdotalis ordo, quatenus talis, nec civilis communitas est, nec civili communitati præsidet in iis, quæ per se cum ad officium naturæ, rum ad officium communitatis pertinent; & sic jus non habet reddendi personas inhabiles ad vtrumque officium, quod ordinis mere naturalis est, nec de seipso ad supernaturalem finem tendit.

Denique idonea eaque sola ratio quæri potest ex civili communitate, vel ex eo qui communitati huic præsidet. Civilis ergo communitas, vel communiratis præses potest certa quædam membra sua, id est, personas castiratem voventes ad Matrimonium inhabiles reddere, ita vt Matrimonium quod post tale votum contrahitur, cassum atque irritum sit. Quidquid id est, duabus quæ sequuntur rationum momentis, confirmatur. Prima hæc est, ex disciplina quæ in monasteriis observatur: Si quis ibi profitetur, & tota vel major communitatis pars, aut qui ei præest, professionem rejicit; is non cen-

ſetur voviſſe, aut legitimam profeſſionem emiſiſſe. Quo ita conſtituto, philoſophari quis ita poteſt, vt v. g. Petrus cœnobiticæ communitatis membrum eſſe incipiat, neceſſe prorſus eſt, vt vel tota communitas, vel illius pars major, vel certe præſes conſentiat: ſic vt Petrus civilis communitatis membrum eſſe deſinat, neceſſe quoque eſt, vt vel tota communitas, vel illius pars major, vel certe præſes conſentiat. Splendore ſuo lucet vis conſequentiæ, quæ in juſtiſſima comparatione verſatur. Deinde ſingulæ perſonæ civilis communitatis a nativitate ſua cum ad ſpeciei, tum ad communitatis conſervationem deſtinatæ ſunt. Nam Matrimonium per quod lucis vſura fruuntur, inſtitutum eſt in officium naturæ & in officium communitatis.

Altera inter Petrum, qui cœnobiticæ communitatis membrum eſſe cupit, & cœnobiticam communitatem, eſt certa quædam ſpecies contractus, ſine quo Petrus cœnobiticæ communitatis membrum eſſe nunquam eſſe poterit: ſic inter Paulum, qui civilis communitatis membrum non vult eſſe amplius, & civilem communitatem, intervenire debet certa quædam ſpecies contractus, ſine quo membrum illius nunquam eſſe deſinet. Diſparilis ratio nuſquam dabitur.

Ex his autem quæ hactenus diſſeruimus, apparet, conjunctam voto ad contrahendum Matrimonium inhabilitatem, a civili communitate, vel ab eo qui civili communitati præſidet, neceſſario pendere; deinde eam eſſe ordinis pure naturalis ex objecto, fine & circunſtantiis, nec de ſe ad ſupernaturalem finem ſpectare. Qui hæc non capit, Philoſophiæ elementis imbutus non eſt, & neſcit vnde res vnaquæque naturam ac ſpeciem ſuam ac diſtinctionem repetat.

Non igitur gratis & ſine ratione ab initio poſuimus votorum genera eſſe duo. Alterum, quod cum civilis communitatis ſeu reipublicæ muneribus cohæret; alterum quod non cohæret, ſed habet adjunctam ad illa munera, & præſertim ad Matrimonium, inhabilitatem. Votorum prioris generis cognitio ad ſacerdotalis ordinis judices ſpectat, qui voti hujuſmodi violatoribus pœnitentiam imponent, quando & quomodo expedire judicaverint. Votorum vero poſterioris ge-

neris cognitio, ad civiles Magiſtratus. Nam ex voto dirimi non poteſt Matrimonium ſine conſenſu & auctoritate illius, cujus eſt videre ne quid detrimenti reſpublica capiat: at caperet ſine dubio, ſi omnes promiſcue voverent, & vnuſquiſque ex voto per ſe inhabilis ad Matrimonium, id eſt, ad officium naturæ & officium communitatis, duplicem naturalis & publici muneris functionem, redderetur. Hæc autem inhabilitas voventem & votum poteſtati Principum ita ſubjicit, vt qui poſt votum contrahit Matrimonium, id Matrimonii genus caſſum atque irritum, & liberi ex eo nati ſpurii & non legitimi denuntiari merito poſſint: ſic tam Eccleſiaſtici quam ſæculares, ſi ſuis contenti eſſent finibus, vtrique haberent, quo ſuam quique concorditer exercerent poteſtatem.

CAPUT XIII.

Impedimentum ordinis.

QUOD de impedimento voti diſſeruimus & aſſeruimus, id de impedimento ordinis diſſerendum plane & aſſerendum eſt. Neque enim ordo ex ſe, aut ex voto continentiæ, quod ordini annexum eſt, Matrimonium dirimit; ſed ex eo, quod qui ſuſcipit ordinem, inhabilis ad contrahendum Matrimonium efficitur. Perſonas autem politicæ communitatis ad contrahendum inhabiles reddere nemo poteſt, niſi communitas ipſa, vel qui curam habet communitatis. Hoc autem validiſſime confirmatur ex iis, quæ in Tridentino Concilio de clandeſtinis Matrimoniis diſputata ſunt, vt in art. I. capite XV. retulimus & vidimus, perſonam ad contrahendum inhabilem reddere, politici juris eſſe, aut certe ſine conſenſu civilis Magiſtratus perſonam ad contrahendum inhabilem reddi non poſſe. Sed quod de vno efficiendæ inhabilitatis genere dicitur, de alio dici poſſe æqualibus rationum momentis perſuadetur. Ad politici enim ſtatus munia quempiam ineptum tradere ſpectat ad eum qui politicum

Principatum tenet, nec id absque illius tacito vel expresso consensu attentari potest. Quod optime pervidit Basilius Pontius lib. VI. de Matrimonio cap. II. vbi novam sententiam asserere conatur : *Si Matrimonium etiam post Christi institutionem, quia contractus est, subjectus esset Principum sacularium dispositioni, nequaquam invitis Principibus fidelibus posset Ecclesia ab illis auferre eam potestatem leges condendi, & sibi reservare. Quo etiam jure id posset : sicut neque subditum hominem saculari Principi posset Pontifex eximere a jurisdictione illius.* Hæc autem omnia neque Reges, neque Præsides Ecclesiæ videntur ignorasse.

Concilium Aurelianense primum de ordinationibus observandum esse decernit can. IV. *Ut nullus sacularium ad Clericatus officium præsumatur, nisi aut Regis jussione, aut judicis auctoritate.* Sic & ipsi Episcopi non crediderunt, quemquam a sæculari statu ad Clerum transire posse sine Regis jussione, vel judicis auctoritate. Hoc ipsum Clodoveus Rex Concilio præscripserat, vt ex his synodicæ epistolæ ad Clodoveum verbis constat : *Quia tanta ad religionis Catholica cultum gloriosa fidei cura vos excitat, vt sacerdotalis mentis affectu Sacerdotes de rebus necessariis tractaturos in vnum colligi jusseritis, secundum voluntatis vestra consultationem & titulos quos dedistis, ea qua nobis visum est, respondimus : ita vt & qua nos statuimus, etiam vestro recta esse judicio comprobantur, tanti consensus Regis ac Domini majori auctoritate servandum firmet sententia Sacerdotum.* Sic edendorum canonum, & illius cum primis quem laudavimus, argumenta Rex dederat.

Justinianus dum Clericis nuptias prohibet, cum Matrimonio retinendi Sacerdotii licentiam aufert, novella XXII. cap. XLII. collat. IV. tit. I. *Si quis inter reverendissimos constitutus Clericos (vltra Cantorem & Lectorem dicimus) omnino contraxerit nuptias, hunc ex nostra constitutione cadere Sacerdotio constituimus atque volumus.*

Carolus Magnus id confirmat lib. I. Capitul. num. CXX. *De liberis*, inquit, *hominibus, qui ad servitium Dei se tradere volunt, vt prius hoc non faciant, quam a nobis licentiam postulent. Hoc ideo quia audivimus aliquos ex illis non tam causa devotionis hoc fecisse, quam pro exercitu seu alia functione regali*

fugienda; quosdam vero cupiditatis causa ab his, qui res illorum concupiscunt, circumventos audivimus, & hoc ideo fieri prohibemus. Quibus verbis Carolus sua constitutione instaurare videtur, quod ab Aurelianensi Concilio sancitum fuerat: & suæ constitutionis eam reddit rationem, quæ ad gerendæ reipublicæ momenta pertinet.

Ceterum regiæ concessionis formulam exhibet Marculfus lib. I. cap. XIX. *Si eis, qui se ad onus Clericatus transferre deliberant, licentiam non negamus, retributorem Dominum exinde habere confidimus, quia scriptum est: Noli prohibere benefacere ei, qui potest; si vales, & ipse benefac. Ille ad nostram veniens præsentiam, petiit serenitati nostræ, vt ei licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capitis sui ad onus Clericatus deponere deberet, & ad basilicam illam aut monasterium deservire deberet, quod nos propter nomen Domini, hoc eidem gratante animo præstitisse cognoscite: præcipientes ergo jubemus, vt si memoratus ille de capite suo bene ingenuus videtur esse, & in puletico publico censitus non est, licentiam habeat comam capitis sui tonsurare, & ad suprascriptam basilicam vel monasterium deservire, vel pro nobis Domini misericordiam attentius exorare.* Ex eo autem Clericos ordinandi more, qui ex canone IV. Aurelianensis Concilii primi, ex Caroli Magni constitutione, & ex formula Marculfi colligitur, perspicue constat, ad communitatis officium, quale est Matrimonium, vel ad alia ejusdem communitatis munia, neminem reddi posse inhabilem sine Principum consensu atque auctoritate: quinetiam ipsi sunt Principes, qui jure suo Clericos ad contrahendum Matrimonium inhabiles efficiunt. Nam, vt dictum est sæpius, ad publicam naturalis muneris functionem personas reddere inhabiles, solius est civilis potestatis, quia ex genere & natura sua talis est & naturalis ordinis: in quocunque tandem potestas illa resideat, hoc observo propter Romanum Pontificem, qui in patrimonio beati Petri auctoritatem summi Principis exercet, vt loquitur Innocentius III. & hac ratione personas ditionis suæ ad contrahendum Matrimonium reddit inhabiles, prout retinendæ inter subditos paci expedire censuerit: Hoc ipsum facere posset sacerdotalis ordo vniversus, si summa rerum per orbem Christianum poti-

tiretur. Quo autem tempore inhabilitas ad contrahendum Matrimonium ordini accesserit, vix statui potest; & quominus certo statuatur, impedit id quod Tridentina Synodus de clandestinis Matrimoniis decrevit, vt superiori capite vidimus atque exposuimus. Pro causa Principum sufficit, vt cum primum inhabilitas ad contrahendum Matrimonium accessit ordini, illorum voluntate certa accesserit. Ex qua re Matrimonium civilium Magistratuum cognitioni subjacet: habilitas aut non habilitas personarum ad contrahendum Matrimonium, res est in qua, tanquam in materia propria, tota civilium Magistratuum conquiescit jurisdictio. Id vidit Tridentina Synodus, & facto suo comprobavit.

CAPUT XIV.

Galeata præmunitio, quæ & catholica, communis vniversim antecedentibus ad Principum leges & quosdam canones animadversionibus.

SUNT Theologi, sunt Jurisconsulti, sunt & quidam alii, qui simul atque Conciliorum canones & decreta Pontificum de re quapiam edita reperiunt, non altius inquisita re statim colligunt, canonum & decretorum materiam ad sacerdotalem ordinem primo & per se pertinere, eamque a civili Magistratu abalienandam prorsus esse. Id autem hominum genus falli atque errare demonstrandum est: demonstro breviter. Quin manumissiones juris sint Principum, nemo sane dubitare potest. Constantinus tamen manumittendi potestatem Episcopis concessit, vt in libri I. Justinianæi cod. tit. XIII. traditur: *De his qui in Ecclesiis manumittuntur. Imp. Constantinus A. ad Protogenem Episcopum.*

Iamdudum placuit, vt in Ecclesia Catholica libertatem domini suis famulis præstare possint, si sub aspectu plebis, adsistentibus Christianorum Antistitibus, id faciant, vt propter facti memoriam vice actorum interponatur qualiscunque scriptura, in qua ipsi vice testium signent. Unde a vobis quoque ipsis non immerito dandæ

& relinquendæ sunt libertates, quo quisque vestrum pacto voluerit, dummodo vestræ voluntatis evidens appareat testimonium. Datum VI. *Idus Iunias, Sabino & Rufino Conss.*

Idem A. Osio. Qui religiosa mente in Ecclesiæ gremio servis suis meritam concesserint libertatem, eandem eodem jure donasse videantur, quo civitas Romana solennitatibus decursis dari consuevit; sed hoc duntaxat his qui sub aspectu Antistitum dederint, placuit relaxari. Clericis autem amplius concedimus, vt cum suis famulis tribuunt libertatem, non solum in conspectu Ecclesiæ ac religiosi populi plenum fructum libertatis concessisse dicantur; verumetiam cum postremo judicio dederint libertates, seu quibuslibet verbis dari præceperint, ita vt ex diu publicatæ voluntatis sine aliquo juris teste vel interprete competat directa libertas. Datum Calend. Maii, Crispo II. *& Constantino* II. *Conss.*

Sozomenus testimonium præbet his legibus in libri I. historiæ cap. IX. *Constantinus tres leges tulit, quibus decrevit vt omnes, qui in Ecclesiis essent testimonio Sacerdotum libertate donati, in rempublicam Romanam adscriberentur.* Justinianus vnam ex illis tribus legibus prætermisit. At Episcopi post jus manumittendi ab Imperatore sibi concessum, de manumissionibus perinde sanxerunt canones, ac si manumittendi potestas sibi jure proprio quæsita, vel divinitus data esset. Id testantur Synodi, quarum canones sequuntur.

Arausicana Synodus I. in can. VII. *In Ecclesia manumissos, vel per testamentum Ecclesiæ commendatos, si quis in servitutem vel obsequium, vel ad colonariam conditionem imprimere tentaverit, animadversione Ecclesiastica coerceatur.*

Arelatensis Synodus II. in can. XXXIII. *Si quis per testamentum manumissum in servitute vel obsequio, vel in colonaria conditione imprimere tentaverit, animadversione Ecclesiastica coerceatur.* Deinde in can. XXXIV. *Si quis in Ecclesia manumissum crediderit ingrati titulo revocandum, non aliter liceat, nisi eum gestis apud acta municipum reum esse ante probaverit.*

Aurelianensis Synodus V. in can. VII. *Et quia plurimorum suggestione comperimus, eos qui in Ecclesiis juxta patrioticam consuetudinem a servitio fuerint absoluti, pro libito quorumcunque iterum ad servitium revocari, impium esse tractavimus, vt*

quod in Ecclesia, Dei consideratione, a vinculo servitutis absolvitur, irritum habeatur. Ideo pietatis causa communi consilio placuit observandum, vt quacunque mancipia ab ingenuis dominis servitute laxantur, in ea libertate maneant, quam tunc a dominis perceperunt: hujusmodi quoque libertas si a quocunque pulsata fuerit, cum justitia ab Ecclesiis defendatur, prater eas culpas, pro quibus leges collatas servis revocare jusserunt libertates.

Matisconensis Synodus II. in can. VII. *Quæ dum postea universo cœtui secundum consuetudinem recitata innotescerent, Pratextatus & Pappulus viri beatissimi dixerunt: Decernat itaque & de miseris libertis vestra auctoritatis vigor insignis, qui ideo plus a judicibus affliguntur, quia sacris sunt commendati Ecclesiis: vt si quas quispiam dixerit contra eos actiones habere, non audeat eos Magistratui contradere; sed in Episcopi tantum judicio, in cujus præsentia litem contestans, quæ sunt justitiæ ac veritatis audiat. Indignum enim est, vt hi qui in sacrosancta Ecclesia jure noscuntur legitimo manumissi, aut per epistolam, aut per testamentum, aut per longinquitatem temporis libertatis jure fruuntur, a quolibet injustissime inquietentur. Universa sacerdotalis congregatio dixit: Justum est vt contra calumniatorum omnium versutias defendantur, qui patrocinium immortalis Ecclesiæ concupiscunt; & quicunque a nobis de libertis latum decretum superbiæ ausu prævaricare tentaverit, irreparabili damnationis suæ sententia feriatur. Sed si placuerit Episcopo ordinarium judicem, aut quemlibet alium sæcularem in audientiam eorum accersiri, cum libuerit fiat, & nullus alius audeat causas pertractare libertorum, nisi Episcopus, cujus interest, aut is cui idem audiendum tradiderit.* En Conciliorum plurium canones, quorum materia in jure civili plane consistit: inædificantur legibus, quas Constantinus Imperator tulit. Quid enim magis ad jus illud pertinet, quam vindicatio in libertatem, & causæ quæ ex ea nascuntur? Quid minus, quam assertio hæc & manumissio, supernaturalem ad finem de seipso refertur? & tamen quidquid id est totum sacris Conciliorum canonibus communitur. Hæc autem cum ita sint, viri sapientis est prius expendere, qua in materia sanciti sint canones, quam iis vti continuo ad comprobandum quidlibet seorsim a legibus, quas sæculi Principes tulerunt.

Kk ij

Faciendus est canonum delectus ex objecto & fine, quem illi spectant; hinc oportet perspicere, num sanciti sint in materia spirituali vel civili canones, num vere Ecclesiastici sint ex seipsis, aut habito solum respectu ad eos, qui canones condiderunt, vel ad civiles Magistratus, qui condendorum canonum materiam sacerdotali ordini subministrarunt.

Atenim vt vere affirmateque dici nequit, relatos de manumissione Arausicani, Arelatensis, Aurelianensis & Matisconensis Concilii canones ex seipsis spirituales esse, vel ab Imperatorum legibus non pendere: sic & vere affirmareque dici nequit, relatos supra Agathensis, Epaunensis & Aurelianensis Concilii canones de matrimonialibus impedimentis ex seipsis spirituales esse, vel ab Imperatorum legibus non pendere. Nimirum horum perinde atque illorum materia ex genere & natura sua civilis est, & in civilis negotii fundo consistit, quicunque tandem canones decernat; & huc sine dubio spectat veteris istius monetæ spectator oculatissimus Sirmondus, cum in notis ad Ennodii epistolas ait: *Qui de ea re* (incestis nuptiis) *canones erant, intra vetitos sacris literis & Principum legibus gradus fere consistebant.* Neque enim Agathensis, Epaunensis & Aurelianensis Concilii canones de connubialibus impedimentis expressius loquuntur ac disertius, quam Arausicani, Arelatensis, Aurelianensis & Matisconensis Concilii canones de servorum manumissionibus loquantur. Hanc comparationem premimus & vrgemus, in hac habitamus & quiescimus. Igitur abscedant procul, qui certa quædam rerum discrimina contemnunt, vel qui constitutas a Philosophis internoscendarum actionum quarumcumque regulas dissimulant, vt Regni & Sacerdotii jura permisceant, vt quod Regni est Regno abjudicent, & quod Sacerdotii non est Sacerdotio adjudicent: nisi fortassis qua ratione jus manumittendi servos, ita & jus certis de causis impediendi & rescindendi Matrimonia adjudicare volunt, vt tandem, velint nolint, Regnum & Sacerdotium inter se committant.

Hæc est galeata præmunitio, qua quicquid hoc in articulo III. hinc inde ad Principum leges & certos quosdam canones observatur, circumdandum esse duximus.

ARTICULUS IV.

Non expedit Sacerdotio vt Regnum jure ferendarum legum Matrimonia dirimentium ſpoliet: imo fieri non poteſt, vt vllus civilis ſeu regius Principatus hoc jure ſpolietur in perpetuum.

IN articulis jam tribus confecimus tria. In primo regiam ſeu civilem in ſanciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus poteſtatem oſtendimus; & ea profecto ratione oſtendimus, vt quæ principia doctrinæ veræ tradi ſolent, in argumento hujus articuli facile dignoſcantur, vniverſitas & conſenſio. Univerſitas quidem, cum de hoc Principum jure quid diverſi in diverſis Academiis Magiſtri ac Doctores ſenſerint, propoſuimus. Conſenſio vero, cum in Magiſtrorum ſententiis, quas ſincere retulimus, diverſum nihil ſit; ſed in idem omnes illorum definitiones conſpirent. In ſecundo, retractata facti quæſtione vidimus, Theologos complures nonnihil eſſe paſſos humani, cum a ſacerdotali ordine jus ſanciendi dirimentes Matrimonium leges Principibus ademptum eſſe ſcripſerunt. Hæc autem diſcuſſio tantum abeſt vt incommodet Principum juri, vt illud magis ac magis confirmet. In tertio planum fecimus, præcipua impedimenta Matrimonium dirimentia jam tum primum inſtituta fuiſſe a Principibus, eaque lubenter amplexos eſſe eos, qui ſacerdotale officium vbique adminiſtrarunt, adeo non repugnarunt. Tunc ſæculares Principes & Eccleſiæ Præpoſiti præſtabant id, quod ab iiſdem modo præſtari vult Petrus Sotus: *Nec debent Prælati Eccleſiæ gravate ſuſcipere, ſi quid temporali paci viderint neceſſarium, ſæculares Principes ſtatuant: nec eſt cur illis ſe opponant, ſed permittant potius Matrimonium legibus humanis ordinandum, cum officium humanum ſit, & addant poſtea ipſi, ſi videbitur,*

quod ad bonum religionis pertinet. Ex iis vero, quæ hoc articulo disputavimus, factum est, vt vniversitati & consensioni accesserit in eadem doctrina & vsu doctrinæ antiquitas. Ceterum hi tres articuli sunt illius, quem meditamur, quarti velut præludium, ni melius dicam, decretoria ratio.

CAPUT I.

Non expedit Sacerdotio, vt Regnum jure statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia spoliet.

SAPIENTER quidem omnia beatus gentium Apostolus Paulus, sed illud, cum in primis asseruit, multa sæpenumero licere, quæ non expediunt. Quod Apostolicum effatum ne de proposito themate dictum quis abs te putet, aliquot proponam rationes, quibus suaderi cordato viro poterit, sacerdotali ordini, quem appellant Ecclesiam, non expedire, vt Christianos Principes jure statuendi leges, quæ Matrimonium dirimant, privet, quantumvis id licere probaretur.

RATIO PRIMA.

Christianos Principes jure ferendi leges Matrimonium dirimentes hactenus non spoliavit sacerdotalis ordo, licet vix vlla spoliandi hodie contingeret causa, quæ per annos mille sexcentos & amplius non contigerit. Igitur non expedit sacerdotali ordini, vt Christianos Principes eo quo de agimus jure spoliet: immo sacerdotalis ordo semper judicasse visus est id non expedire, cum omni retro ætate & qualibet oblata occasione facinus ejusmodi aggressus non sit. Enimvero si quo tempore omnes causæ matrimoniales deferebantur ad Ecclesiasticos judices, & ab iis de dotibus, de successionibus, de hereditatibus & de donationibus inter virum & vxorem exercebantur judicia, de spoliandis jure suo Principibus nullum sacerdotalis ordo decretum edidit; vt alio

tempore ederetur, bono sacerdotalis ordinis quis expedire censeret?

RATIO SECVNDA.

Non expediret, vt quo jure per sacerdotale privilegium accepto tandiu vsi fuissent Principes, eosdem privaret sacerdotalis ordo. Igitur multo minus privandi sunt eo jure, quod illis naturali divinaque concessione datur.

RATIO TERTIA.

Si quod est Principum, sacerdotalis ordo Principibus auferret, periculum esset, ne quod est sacerdotalis ordinis, Principes lege talionis vsurparent; & sic moto Regnum inter & Sacerdotium bello, plura perderet sacerdotalis ordo, quam lucraretur. At illud prudentiæ, qua Ecclesiam regi vult Deus, adversatur, ac proinde non expedit.

RATIO QVARTA.

Cum adverterent Principes se proprio jure spoliari a sacerdotali ordine, cui tot privilegia & immunitates liberaliter concesserunt; inde revocandi non injustam, vt sibi videretur, causam arriperent: quis ergo non videt e re non esse sacerdotalis ordinis, vt Principes jure suo priventur?

RATIO QVINTA.

Sacerdotalis ordo adversus hæreticos & Christianæ pacis turbatores Principum sæcularium opem quotidie implorat, & consequitur: ergo non expedit, vt quorum tantis in rebus auxilium quærit & obtinet, eorum jura tam insigniter imminuat.

RATIO SEXTA.

Non expedit jus illud a suis legitimis possessoribus remo-

vere, quod publicæ regnorum ac provinciarum tranquillitati plurimum inservit, qùia vbi publica pax turbatur, tunc nullum boni ac veri discrimen geritur, orthodoxa fides pluribus in locis perit, aut certe magnum in periculum adducitur, probati mores, sine quibus parum prodest fides, corrumpuntur, & omnis tandem Ecclesiasticæ disciplinæ nervus dissolvitur.

RATIO SEPTIMA.

Christiani Principes observationi legum, quæ cum propter morum honestatem, tum propter asserendam inter cives pacem, ad certa quædam vetanda conjugia feruntur, invigilabunt diligentius; si tum demum cognoscant sese jure suo illas tulisse leges, quam si ab aliis latas tantum arbitrentur. Hoc cum ita sit, sacerdotali ordini injuriam facit is, qui jus Principum auferendi cogitationem Pontificibus suggerit.

RATIO OCTAVA.

Sacerdotalis ordo semper adhortatus est Principes ad ea statuenda, quæ ad servandam morum honestatem, augendam hominum in Deum caritatem, statuendam proximi pacem, atque ad amplificandam fidelium vtilitatem conducunt: quare idem sacerdotalis ordo vetaret, ne Principes impedimenta Matrimonii statuerent, quibus illa omnia bona procurantur?

RATIO NONA.

Hæc ratio petitur ex his Petri a Soto verbis: *Iuristæ non advertunt, nihil per jus Principum derogari auctoritati Ecclesiasticæ, sed potius conducere Ecclesiæ paci. Si cum jus divinum ipsum permittit prohiberi ab Ecclesia, quod ipsum non prohibet, quare non permittet sæculari potestati prohibere circa Matrimonium, quod ipsa non prohibet? Nec est cur Principibus se opponant, sed permittant potius Matrimonium legibus humanis ordinandum, cum officium*

cium humanum sit; & addant postea ipsi, si videbitur, quod ad bonum religionis pertinet: non est legi vel consuetudini anferendum, vt illegitimos aliquos, si velint, reddere possint; sed potius, si opus foret, confirmandum est ab Ecclesia. Quare in hujus rationis auctarium dicimus, imitandam esse prudentiam Papæ, quisquis ille fuerit, qui Longobardorum Regem pia quondam admonitione cohortatus est, vt quam legem pro interdicendis quibusdam conjugiis noverat esse proficuam, Rex suis ipse subditis imponeret.

RATIO DECIMA.

Quamvis subdubitaretur, an Christiani Principes ex officio possent impedimenta Matrimonium dirimentia statuere, & illud tamen ex sententia plurimorum Theologorum sibi vendicarent; non expediret adhuc, vt sacerdotalis ordo habito apud multos probabili jure eosdem Principes spoliaret: quippe potior est pacis & dilectionis inter Regnum & Sacerdotium concordia, quam legum aliquarum Matrimonium dirimentium institutio, cum hac facilius quam illa Christiana religio careret.

RATIO VNDECIMA ET VLTIMA.

Talis potestatis abrogatione nihil esse potest Christianæ religioni odiosius, nihil ab Ecclesiastici regiminis moderatione alienius, nihil ethnicos Principes ab amplexanda Christi fide magis deterrens, quam si judicaretur expedire, vt Christiani Principes jure sanciendi impedimenta Matrimonium dirimentia, id est, jure conservandæ inter subditos pacis nudarentur. Etenim finge tibi, sic ethnicum Regem ab aliquo Theologo de Christi religione, deque Ecclesiæ disciplina doceri. Complures Theologiæ & juris Pontificii Doctores graviter asserunt, quod pro bono pacis, pro publicæ tranquillitatis securitate, pro Regni salute ex jure divino potuisti, olim hodieque potes impedire tuis legibus, ne hi aut illi subditi tui, etiam Christiani, cum his aut illis mulieribus vere

copulentur. Sed quando cras baptiſmum ſuſceperis, & Chriſtum Dominum indueris, ſine vlla tua culpa hujus auctoritatis jacturam certiſſimam facies, aut certe facere poteris, ſive quia cauſam natalium Reginæ Cypri Honorius III. *ad ſuum revocavit examen:* ſive quia Innocentius III. ad Abbatem ſancti Silveſtri de Urbe ſcribens aſſeruit, *laicis religioſis ſuper Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis nullam eſſe attributam facultatem:* ſive quia Pontifex alius vetuit, *ne Abbates ſine ſpeciali conceſſione, aliave legitima de cauſa matrimoniales cauſas judicarent:* ſive quia Pontifices & Eccleſiaſtici judices ad auferendam Regum poteſtatem, ea impulſi ſunt ratione, qua neque Chriſtus, neque Apoſtoli, neque Apoſtolici viri, neque ſucceſſores optimi quique impulſi ſunt, *decentia* ſcilicet *Sacramenti* ac *dignitate*, ad quam inter Chriſtianos ſublatum eſt Matrimonium.

Qui tandem ſic ageret cum infideli Principe, quemadmodum ex quorundam Theologorum principiis reipſa agendum eſſet, nonne de Chriſti religione, de veterum Pontificum prudentia, de Sacramenti Matrimonii veritate ac præſtantia, de Chriſtianorum Principum moribus peſſime omnino meretur? De Chriſti quidem religione, quæ neminem jure ſuo privat, aut certe, ſi privat, non ſine admiſſo grandi piaculo privat. De veterum Pontificum prudentia, cum ii Eccleſiaſticorum Sacramentorum præſtantiam ex divina Apoſtolicaque traditione edocti civilem poteſtatem reliquerint intactam, nec id ſuum fecerint, quod quandiu foret alienum, Sacramenti Matrimonii reverentiam & honorem læderet. De Sacramentorum veritate, cum occaſionem novatoribus tribuant ſuſpicandi, ea omnia, quæ de Sacramento Matrimonii prædicamus, antiquæ Eccleſiæ incognita fuiſſe. De Chriſtianorum Principum ac civilium Magiſtratuum moribus, cum illos id ſceleris in Deum & Eccleſiam admiſiſſe dicendum ſit, cujus gratia tanto tamque neceſſario jure privari meruerint ipſi; & quotquot futuri ſunt illorum impoſterum ſucceſſores.

Ceterum hoc caput quod rationibus vndecim abſolvitur, non inſcripſiſſem, vt inſcripſi: immo penitus omiſiſſem, niſi me vel invitum coegiſſent nonnulli e Schola Theologi,

quorum certa quædam placita in articuli II. capite XII. retractavi, & retractatu procul abjeci, ac ludibrio virorum prudentium exposui. Sed cum omnia omnibus in locis non discutiuntur ad plenum & perfectum, tunc missum feci, vtrum expediret id fieri, quod Doctores illi factum esse & falso & fallaciter tradiderant. Exspectabam tempus aliud, quo res ad ordinis &, vt ita dicam, decenriæ statum revocata ponderaretur magis magisque, & jura Principum salva & ab omni detrimento incolumia remanerent. Attamen satis prospiciebam animo capitis titulum id importare, quod sponte sua dissilit, quod Reges, quibus nihil est in sæculo excelsius, vniversos potest offendere, quod eorum qui sacerdotale administrant officium, moribus non convenit, quod omnium animis atque auribus absonum videtur, quod hominibus non Christiana modo religione, sed etiam gentili superstitione imbutis horrorem incutit. Nam tangitur principium illud cuilibet a natura insitum : *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis.* Quo & spectant plures Romani Pontifices Gregorius I. Gregorius VII. Innocentius II. & Innocentius III. Qui & quales viri ?

Gregorius I. in libri II. Indict. XI. epistola XXIX. ad Presbyteros & Diaconos Mediolanensis Ecclesiæ : *Sicut ab aliis nostra exigimus, ita singulis sua jura servamus.*

Gregorius VII. in libri I. epistola XXIV. ad Brunonem Veronensem Episcopum : *Sicut Romanæ Ecclesiæ debitum honorem impendi a ceteris Ecclesiis, ita vnicuique Ecclesiæ proprium jus servare desideramus.* Deinde in ejusdem libri epistola LXX. ad Geusam Ungarorum Ducem : *Si officii nostri est omnibus sua jura defendere, ac inter eos componere pacem, & stabilire concordiam: multo magis ratio exigit, & vsus vtilitatis exposcit, vt seminemus caritatem inter majores, quorum pax aut odium redundat in plurimos.*

Innocentius II. in epistola VII. ad Radulfum Patriarcham Antiochenum : *Sanctorum canonum institutionibus continetur, vt vnusquisque suis terminis contentus existat, nec in jura aliena irrepat. Ea enim quæ nobis fieri nolumus, tam divinis quam humanis legibus proximis nostris facere prohibemur.*

Ll ij

Innocentius III. in libri 1. epiſtola ad rectores Thuſciæ: *Sicut jura noſtra nobis volumus ſervari, ſic aliorum jura volumus illibata ſervare.*

Hæc autem cum ita ſint, excuſarem me, ſi gratis & ſine ratione diſſeruiſſem, quæ hoc in capite diſſerui; ſed excuſatos eſſe Doctores illos cupio, qui me ad diſſerendum & ſcribendum impulerunt.

CAPUT II.

An & qua ratione Principibus abrogari poſſit jus ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.

HANC quæſtionem, quæ male affectis in mutuam Regni & Sacerdotii concordiam hominibus invidiæ plena videretur & periculi, ea Chriſtiana moderatione & ſimplicitate tractabimus, vt præcipuam diſputandi legem ſumpturi ſimus, cum a nonnullis, qui nullum vnquam in Chriſtianis Principibus hæc impedimenta ſanciendi jus admiſerunt: tum ex omnibus, qui admiſerunt quidem, ſed ab ordine ſacerdotali deinceps ademptum tradiderunt: tum etiam maxime ex Bellarmino, qua parte indirectam in temporalia Principum dominia poteſtatem tutatus eſt, licet eam cum quibuſdam aliis, ſi rejiceremus, noſtra quæſtio longe facilius abſolveretur. Illam ergo aggredimur, ſed plenam variis aſſertionibus, quæ rem totam explicabunt.

Aſſertio prima. Civilis Principatus ſecundum ſe conſideratus jure diſponendi politicum Matrimonii contractum, qui vt materia Sacramenti, Sacramentum ipſum antecedit, & ſanciendi quædam impedimenta dirimentia, privari nunquam poteſt. Probatur. Suprema poteſtas civilis per ſe ſpectata deſtrui non poteſt ab ordine ſacerdotali: quippe quæ hominibus in perfectam ſocietatem congregatis a Deo conceſſa ſit. Igitur nec aſſerto jure privari, quod vti potiſſima maximeque neceſſaria pars ſupremam poteſtatem civilem componit.

Quod autem potissima maximeque necessaria pars sit supremæ potestatis civilis, & naturali lumine constat, & momentis confirmatur omnibus, quæ art. I. cap. I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. & XII. art. II. cap. II. retulimus.

Assertio secunda, quæ quibusdam aliis præsupponitur. Duobus præsertim modis Principes Sacramenti Matrimonii spiritalem rationem possunt lædere. Uno, si vel statuerent, opus non esse, vt Sacramentum Matrimonii contrahentes sint in statu gratiæ, vel de Matrimonii, qua Sacramentum est, forma vel ministro nonnihil decernerent, contra quam a Christo institutum, & ab vniversalibus Conciliis definitum sit. Altero, si vel Matrimonium ipsum, quod Sacramenti fundamentum est, destruerent, vel aliquid adversus naturalem divinamque legem, qua instituitur, definirent; & licet horum vtrumque disputandi causa supponatur, neutrum tamen a Christianis Principibus timendum est: non primum quidem, tum quia qui suos fines vix servant in hoc negotio, cur alienos invaderent? tum quia facinus istud non in Catholicos, sed in hæreticos quadraret. Non vero secundum, cum Principes civilis Matrimonii contractus exitium moliri non possint, quin simul de politicorum statuum vastitate cogitent: nempe pereunte Matrimonio, pereunt cives: at pereuntibus civibus, quomodo Principes ipsi vel politici status perseverarent? Quis, quæso, ne conficeretur Sacramentum Eucharistiæ, crederet, vel vnum Principem imperaturum aliquando, vt omne Regni sui triticum ac vinum in mare projiceretur?

Ceterum hæc a nobis ex sensu pietatis in Christianos Principes dicuntur, nec quod, vt in Pontificibus, sic & in iis Principibus errante clave contingeret, defendimus.

Assertio tertia. Usus supremæ potestatis civilis in disponendis Matrimoniis, & sanciendis legibus Matrimonium dirimentibus, spectata natura rei, jure posset a sacerdotali ordine in omnibus Principibus simul sumptis coerceri. Probatur, quia nihil vetat absolute, &, vt loquuntur, metaphysice, quominus Principes simul convenirent omnes, vt sua potestate in Matrimonium, & qua est officium naturæ & societatis civilis,

& qua est Sacramentum, graviter abuterentur.

Assertio quarta. Usus supremæ potestatis civilis in disponendis Matrimoniis, & sanciendis legibus Matrimonium dirimentibus, nunquam jure poterit, spectatis hominum moribus, a sacerdotali ordine in omnibus Christianis Principibus simul sumptis coerceri vel interdici. Probatur, quia cum Sacerdotii potestas data sit in ædificationem, non in destructionem, vsum illum supremæ potestatis civilis impedire merito nequit, sine gravissima in Matrimonium offensione ac culpa. Sed prout hominum mores ferunt, in Matrimonii perniciem Christiani Principes nunquam vna conspiraturi sunt vniversi. Deinde vsum hunc interdici non posse sine culpa, docet ipse interdicendi modus: vel enim sacerdotalis ordo Principibus hoc vsu interdiceret per potestatem spiritalem, vel per directam in temporalia potestatem, vel per indirectam: non per spiritalem, quæ per se non spectat interdictum rei temporalis ac civilis, cujusmodi est vsus politicæ potestatis in sanciendis legibus Matrimonium dirimentibus: non per directam, quam Bellarminus, Suares & alii verissimis rationibus abjudicant Sacerdotio; non denique per indirectam, cui nullus est locus, vbi nulla culpa. Siquidem indirecta potestas assertoribus suis, Bellarmino, Francisco Suari, & aliis, cum salutis animarum & boni cujusdam spiritalis obstaculum removeat interjectum, quod removeatur, obstaculum necessario supponit. Id speciatim confirmatur ex Basilio Pontio Legionensi, qui lib. VI. de Matrimonio cap. II. sic disputat adversus receptam Theologorum, quos articulo I. laudavimus, opinionem. *Si Matrimonium*, inquit, *etiam post Christi institutionem, quia contractus est, subjectum esset Principum secularium dispositioni, nequaquam invitis Principibus fidelibus posset Ecclesia ab illis auferre eam potestatem leges condendi & sibi reservare: quo enim jure id posset? Sicut neque hominem subditum seculari Principi posset Pontifex eximere a jurisdictione illius, neque interdicere etiam, ne circa alios contractus leges statueret. Quare nisi ea potestate abuterentur Principes, & aliquid statuerent, quod spiritualem Sacramenti Matrimonii rationem læderet, non possent a Pontifice pro indirecta potestate, quam habet in temporalia, coerceri.*

Quibus verbis explicat, quæ ſit natura poteſtatis indirectæ, quis finis, ſitum demum admitteretur.

Aſſertio quinta. Si quis Chriſtianus Princeps ſpiritalem Sacramenti Matrimonii rationem læderet eo quo dictum eſt modo in aſſertione II. nec ille ſæpius a ſacerdotali ordine monitus, cum debita reverentia & honore ſuas leges emendare vellet: non repugnarem, quin vſus poteſtatis civilis in eo ſuper Matrimonium cohiberi tunc poſſet. Probatur primo ex auctoritate Ambroſii Catharini in quæſtione de clandeſtinis Matrimoniis. *Oportet*, inquit, *canones civilem aliquam legem irritantes ab aliqua ſolida ratione proficiſci; nulla vero poteſt eſſe alia ratio, niſi quia forte viderint, quod a lege civili conſtitutum erat, vel contra jus divinum eſſe, vel contra jus naturale.* Probatur ſecundo ex præſuppoſita veritate indirectæ poteſtatis, vt videant adverſarii, ſi qui ſint, me nullam aſſerendæ veritatis viam aſpernari.

An autem de facto Princeps ille cohibendus eſſet, vel, vt ut ferendus, Sacerdotii eſt, non meum judicare. Mihi tamen in tam abominatiſſima neceſſitate conſulendus videretur Ambroſius epiſtola LVIII. de criminoſo Magiſtratu ſcribens: *Majores*, inquit, *maluerunt indulgentiores eſſe circa judices, vt dum gladius eorum timeretur & reprimeretur, ſcelerum furor non incitaretur.* In eam quoque rem conſulendus videretur beatus Gregorius Papa, cujus in quadam Imperatoris corrigenda lege exemplum omnino dignum eſt, quod hic recenſeatur. Mauritius hanc legem tulerat, ne cui in publicis adminiſtrationibus implicato ad Eccleſiaſticum officium venire liceret, & ne milites in monaſterio ſuſciperentur, eamque poſtea ad Gregorium miſit, vt promulgaret. Gregorius acceptam legem, tametſi quoad alteram partem iniqua videretur; inemendatam tamen promulgavit: narranti Pontifici fidem habeamus. *Ego quidem*, inquit lib. II. epiſt. LXII. *juſſioni ſubjectus eandem legem per diverſas terrarum partes tranſmitti feci; & quia lex omnipotenti Deo minime concordat, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam ſereniſſimis Dominis nuntiavi: vtrobique ergo, quod debui, exolvi, vt qui Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod ſenſi, minime tacui.* Quid vero deinde factum?

vnus præteriit annus, quo Imperator suam non temperaverat legem, vti Gregorius epist. LXV. ejusdem lib. conqueritur apud Imperatoris medicum, huncque, vt moneat Dominum, precatur, ac post explicatam legis injustitiam subdit: *Hæc quia mihi valde dolent, eidem Domino suggessi; sed vestra gloria opportuno tempore secrete suggestionem meam ei offerat. Nolo enim a responsali meo publice dari, quia vos, qui ei familiarius servitis, loqui ei liberius & apertius potestis, quæ pro ejus sunt anima, quoniam in multis est occupatus, & vix animus ejus invenitur a curis majoribus vacuus. Tu quidem, gloriose fili, pro Christo loquere; si auditus fueris, lucrum operatus es animæ prædicti Domini tui & tuæ; si vero auditus non fueris, lucrum solummodo tuæ fecisti.*

Assertio sexta. In vno Principe, qui peccasset id genus peccati quod indicavimus, vsus potestatis civilis etsi coerceretur, in ceteris tamen qui non peccassent, non coerceretur. Probatur, quia talis vsus non coerceretur, nisi per indirectam potestatem, quæ culpam supponit: quod lumine naturæ notum videtur esse.

Assertio septima. Interdictum vsus potestatis civilis in vno Principe non transiret in ejus successorem. Probatur, quia tale interdictum gravissima foret pœna; sed pœna non alterius quam rei & sontis est, cujusmodi non esset successor, qui potestate sibi a Deo concessa legitime vteretur. Deinde vsus potestatis, qua sanciuntur impedimenta dirimentia Matrimonium, ad reipublicæ salutem & tranquillitatem necessarius est, ac proinde in successore liber esse debet atque expeditus. Porro autem potestatis hujus necessitatem att. I. toto & II. demonstravimus.



CAPUT

CAPUT III.

Poteſtas in Matrimonium ſæcularis & ſpiritualis, ſuis vtraque deſcripta finibus explicatur.

QUOMODO ſæcularis & ſpiritualis in Matrimonium poteſtas a ſe invicem pendeant, quæ ſint vtriuſque jura, qui fines, proximis aſſertionibus exponemus, eandem amplexi præmunitionem, quæ initio ſuperioris capitis facta eſt. Hoc enim amuletum omnem, opinor, criminandi cauſam repellet.

Aſſertio prima. Spiritualis poteſtas ab ſæculari pendet quoad naturam civilis contractus Matrimonii, cui jam legitime facto divinitus accedit Sacramenti ratio. Probatur inprimis ex beato Thoma lib. IV. contra gentes cap. LXXVIII. *Matrimonium in quantum ordinatur ad bonum politicum, ſubjacet ordinationi civilis legis; in quantum ordinatur ad bonum Eccleſiæ, oportet quod ſubjaceat regimini Eccleſiaſtico.* Hæc autem ſecunda Matrimonii conſideratio pendet a prima, vt conſtat. Deinde probatur ex recenſitorum art. I. & II. Theologorum conſenſu, qui docent Matrimonium per Sacramentum ab ſæculari juriſdictione non eximi, vel Principem poſſe Matrimonium perinde caſſum reddere, ac ſi non eſſet Sacramentum. Igitur ſi Sacramentum ab ſæculari juriſdictione Matrimonii contractum non eximat, vel ſi Princeps poſſit Matrimonium perinde caſſum reddere, ac ſi Sacramentum non eſſet, Matrimonii contractus talis ſine dubio remanet accedente Sacramento, qualis ante acceſſum illius erat: ac proinde ſi antequam Sacramentum accederet Matrimonio, nullus Matrimonio vti poterat, niſi a civili penderet poteſtate, quæ Matrimonii contractum diſponeret; ſic & poſtquam Sacramentum acceſſit Matrimonio, nullus Matrimonio vti poterit, niſi a civili quoque pendeat poteſtate, quæ Matrimonii contractum diſponat. Confirmatur. Si emptio vel venditio Sacra-

mentum esset, cum a civili potestate non eximeretur, quatenus est contractus quidam, spiritualis potestas a politicis emptionis vel venditionis legibus non minus penderet, quam modo pendet; sic & de Matrimonii contractu ratiocinandum docet illorum Theologorum hypothesis, quam de emptione vel venditione instituendam esse duxerunt.

Assertio secunda. Sæcularis potestas a spirituali pendet quoad ministerium Sacramenti Matrimonii, qua Sacramentum est. Probatur ex beato Thoma loco citato. *Matrimonium*, inquit, *in quantum ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod subjaceat regimini Ecclesiastico: ea autem, quæ populo per ministros Ecclesiæ dispensantur, Sacramenta dicuntur. Matrimonium igitur secundum quod consistit in conjunctione maris & feminæ intendentium prolem ad cultum Dei generare & educare, est Ecclesiæ Sacramentum; unde & quædam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiæ adhibetur, &, sicut in aliis Sacramentis, per ea, quæ exterius aguntur, spirituale aliquid figuratur.* In his ergo quæ ad Sacramenti rationem pertinent, & sequuntur in Matrimonio, sæcularis seu civilis potestas a spirituali pendet. Deinde probatur ex praxi Ecclesiæ, in qua Sacramentum Matrimonii, sicut & alia Sacramenta, celebratur, sive alias contrahentes sint ministri Sacramenti Matrimonii, sive Sacerdotes. Hujus enim quæstionis decisio ad institutum nostrum nihil spectat, quamvis ea opinio, qua contrahentes dicuntur Matrimonii ministri, quoad contractum quidem, beato Thomæ & multis aliis Theologis, necnon Tridentino Concilio conformior, & solidioribus niti rationibus videatur.

Assertio tertia. Hæc mutua civilis & spiritualis potestatis subordinatio nemini displicere debet. Probatur hoc ex sanctissimis juxta & doctissimis hominibus, qui parem subordinationem docuerunt. Et primum quidem ex Gelasio Papa in epistola VIII. ad Anastasium Imperatorem: *Duo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur; auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.* Et post alia: *Si enim, quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sen-*

tentia : Quo, rogo, te decet affectu eis obedire, qui prærogandis venerabilibus attributi sunt mysteriis.

Deinde ex Nicolao Papa in epistola VIII. ad Michaelem Imperatorem: *Sed cum ad verum ventum est, eundem Regem atque Pontificem, vltra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum vsurpavit, quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus* IESVS *sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia vtriusque potestatis discrevit .·.·. vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus vterentur.*

Tertio ex Concilio Trosleiano, & altero apud sanctam Macram, vbi Gallicanæ Ecclesiæ Antistites ex Gelasii dictis ita concludunt: *Ergo quia & Rex pro æterna vita indiget Pontificibus, & Pontifices pro temporalium rerum cursu regali indigent dispositione; a Rege obediendum est Pontificibus recta, sancta & justa suadentibus; & vicissim a Pontificibus obediendum est Regi, pietati, cultui religione, jure & solatio servienti.* Sic igitur in Sacramento Matrimonii, quia Christus officia vtriusque, civilis scilicet contractus Matrimonii, & ei superadditi Sacramenti, actibus propriis discrevit, & Pontifices indigent Regibus, qui certas leges contractui Matrimonii, qua contractus est, præscribant, & Reges indigent Pontificibus, per quos idem Matrimonii contractus, qua sublatus in Sacramentum dispensetur, & *quædam*, vt ait beatus Thomas, *benedictio nubentibus concedatur.*

Assertio quarta. Impedimentum Matrimonia dirimens ex se suoque genere civile est, non spirituale. Assertionis prior pars probatur ex iis omnibus rationibus, quas art. I. c. VIII. & IX. deduximus, & maxime ex VI. & vlt. c. VIII.

Deinde probatur, quia cum impedimenta Matrimonii sint certæ quædam necessario servandæ ad contractum Matrimonii prius ineundum, quam Sacramentum ei superveniens intelligatur, dispositiones ad civilem, quem habet ipse contractus Matrimonii, ordinem spectant. *Permittant*, inquit Sotus, *Prælati Ecclesiæ Matrimonium legibus humanis ordinandum, cum officium humanum sit; & addant postea ipsi, si videbitur, quod ad bonum religionis pertinet.*

Tum probatur. Contractus Matrimonii cum ad civile reipublicæ bonum ordinetur, necesse est, vt impedimenta, quæ pro decore & honestate ejusdem contractus sanciuntur, eundem cum contractu ipso civilem ordinem habeant.

Quarto probatur. Cum Christus Matrimonii contractum sine vlla sui mutatione Sacramentum fecerit, vt plures Theologi docent, impedimenta Matrimonium dirimentia ejusmodi remanent post institutionem Christi, cujusmodi fuerunt vel potuerunt esse ante institutionem Christi; sed nemo negare potest, quin ante Christi institutionem impedimenta Matrimonium dirimentia ad civilem & politicum ordinem pertinerent.

Quinto probatur. Si venditio vel emptio Sacramentum esset, in civili adhuc ordine remanerent conditiones venditionis vel emptionis, quatenus sunt contractus quidam ad hominum societatem ordinati: ergo & leges contrahendi Matrimonii post inditam Matrimonio Sacramenti dignitatem intra civilis ordinis limites perseverabunt, cum non minus contractus Matrimonii quam reliqui omnes ad hominum societatem & commodum referatur, & sæculari jurisdictioni submittatur, vti communis Theologorum Schola tradit art. 1. per varia capita.

Sexto probatur ex auctoritate Ambrosii Catharini, qui Concilio Tridentino interfuit, & cujus opusculum de clandestinis conjugiis editum est Romæ anno MDLII. cum privilegio Julii III. *Quidquid non est*, inquit, *contra legem Dei ac legem naturæ, credo Principes posse circa Matrimonium tanquam circa suam, & non alienam materiam suis legibus providere, & ita latam ab eis legem valuisse puto, qua irritabantur Matrimonia non consultis parentibus contracta.* Debuit itaque vir doctissimus credere impedimentorum dirimentium institutionem ex se suaque natura inter Christianos civilis ordinis esse, nec insuper repugnarunt, qui opusculum Catharini Romæ probarunt, & Pontificis privilegio munierunt.

Septimo probatur ex sententia illorum Theologorum, qui docent Principes spectata natura rei posse legem condere, quæ Matrimonium dirimat; sed Pontifices sibi reservasse hanc

poteſtatem : hæc ergo poteſtas, quam Principibus ablatam ſibi reſervarunt Pontifices, vel eſt ſacerdotalis & ſpiritualis, vel ſæcularis & temporalis. Primum dici nequit, cum quæ poteſtas ſpectata natura rei Principibus convenit, eam ſacerdotalem eſſe ac ſpiritualem repugnet : ergo ſecundum dicatur neceſſe eſt, cum quæ poteſtas ſpectata natura rei Principibus convenit, eā non poteſt non eſſe ſæcularis & temporalis : itaque poteſtas ferendi legem, quæ Mattimonium dirimat, ex natura ſua civilis eſt. Neque vero ſi hæc poteſtas ſacerdotali ordini vel Pontificibus reſervata poneretur, in ſacerdotalem & ſpiritualem evaderet, quia inprimis jurisdictio ſacerdotalis, & ſæcularis manens ſæcularis in eandem perſonam concurrere poſſunt, quemadmodum vtramque Romanus Pontifex habet ſæculis abhinc pluribus in beati Petri patrimonio. Deinde poteſtas illa vel ſacerdotalis aut ſpiritualis fieret ratione cauſæ ex qua derivatur, vel ratione ſubjecti recipientis : non primum, quia derivatur a ſæculari Principe, vt ſupponunt, qui docent eam Principibus ablatam ſibi reſervaſſe Pontifices ; non ſecundum, quia, vt diximus modo, poteſtas ſæcularis cum ſpirituali in eadem perſona recte conjungitur.

Aſſertionis pars altera probatur primo ex iis omnibus, quæ in prima parte aſſertionis expoſuimus, cum, vt ait Bellarminus lib. I. de Matrimonio cap. XXI. *eadem poteſtas ad duo diverſa tribunalia æque immediate & proprie pertinere non poſſit.* Cum igitur ex priori aſſertionis parte impedimentum dirimens ſit ex natura ſua lex civilis, lex ſpiritualis ex ſe eſſe non poteſt.

Secundo probatur. Si impedimentum dirimens ex ſe ſuaque natura ſacerdotalis ſeu ſpiritualis lex eſſet, illud vel ex ſubjecto ſuo, vel ex principio, vel objecto, quæ rebus ſpeciem tribuunt, haberet. Non ex ſubjecto, cum impedimenti dirimentis ſubjectum ſit perſona contrahens, vel contractus ipſe ; ſed ſive ſit perſona contrahens, quæ reddatur inhabilis, ſive contractus, vtrumque ad politicum ſtatum & ordinem ſpectat : deinde ſubjectum accidenti, a quo afficitur, nec ordinem, nec ſpeciem ex ſe tribuit. Non ex principio, cum principium a quo eſſe poteſt impedimentum dirimens,

sæcularis Princeps esse possit, vt communis docet Theologorum sententia. Non ex objecto, cum impedimenti dirimentis objectum nec lumen naturæ, nec politicam regnorum prudentiam excedat, vt vidimus art. I. cap. I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. & IX. art. II. cap. II. Instar omnium esse potest Franciscus de Victoria relectione VII. de Matrim. argumento II. *Omnes*, inquit, *rationes, quæ a Doctoribus ponuntur, vt Ecclesia* (sacerdotalis ordo, dixisset rectius) *aliquos gradus consanguinitatis arceat a Matrimonio, procedunt in lumine naturali, & intra prudentiam politicam: ergo cum prudentia politica sit regula Principum & gubernatorum rerumpublicarum, vt Aristoteles ponit in Ethicis, sequitur, quod hoc spectabit ad humanam & civilem potestatem.*

Deinde qui dicunt, Ecclesiam vel Pontificem statuere posse impedimenta dirimentia, id ex naturali, non ex supernaturali objecto repetunt. Sic Franciscus de Victoria loco citato: *Papa non habet potestatem super Matrimonium, nisi solum in quantum est contractus quidam: ergo per hoc quod est Sacramentum, non excluditur a potestate sæculari, sicut si emptio esset Sacramentum.* Ægidius Conink disp. XXX. de impedimentis Matrim. dubio I. *Immo*, inquit, *nec potestas Ecclesiastica potest alia ratione irritare hoc Sacramentum, quam irritando indirecte contractum.* Petrus Cornejo tom. II. in III. part. tract. II. disp. VII. dub. III. *Ad secundum fundamentum respondeo, Matrimonium in quantum Sacramentum non cadere directe sub potestate sæculari & civili, sicut neque sub Ecclesiastica Pontificis; cadere tamen sub vtraque, vt contractus humanus.* Guillelmus Mercerus in III. part. quæst. L. *Ecclesia non potest ejusmodi impedimenta statuere, nisi quatenus Matrimonium est contractus civilis.*

Tum qui dicunt, impedimentum dirimens idcirco Matrimonium solvere, quia per illud impedimentum conjuges ad contrahendum inhabiles redduntur; Matrimonii solutionem in aliquid pure naturale ac politicum transferunt. Sanctus Thomas quæst. LIII. art. I. ad II. *Præceptum*, inquit, *prohibens Matrimonium inter consanguineos non habet, in quantum est præceptum Dei vel Ecclesiæ, quod dirimat; sed in quantum facit, quod consanguineæ corpus non possit transire in potestatem consan-*

guinei. Idem art. II. in corpore : *Votum solenne non propter statutum Ecclesiæ dirimit Matrimonium contractum; sed in quantum per ipsum homo sui corporis amittit potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens.* Sancto Thomæ in eandem rem adjungimus Scotum & hujus acutissimos sectarores, qui omnes cum idem doceant iisdem fere verbis, referemus tantum id quod Petrus Tarraretus Paris. Theologus, ait : *Dico igitur, quod nec propter votum continentiæ proprie dictum annexum ordini sacro, nec annexum ex præcepto Ecclesiæ præcipientis tali non contrahere; sed ex hoc, quod Ecclesia facit talem personam simpliciter illegitimam.* Michael de Palatio in IV. sent. dist. XXXVIII. *Solennitas voti castitatis solum est inhabilitas ad ducendam vxorem. Hæc autem inhabilitas non contingit ex voti natura, quia votum simplex non facit inhabilem ad Matrimonium: igitur est ex constitutione Ecclesiæ inhabilitantis Monachos & ordinatos ex sacris ad celebranda Matrimonia.* Petrus de Palude in IV. dist. XXXVII. quæst. I. art. III. concl. III. *Ecclesia potest facere personas inhabiles ad contrahendum Matrimonium carnale, sicut & spirituale; & si non ratione sui, tamen ratione fundamenti, quia pactio & conventio, in qua fundatur Matrimonium, subest ordinationi Principum & Prælatorum.* Matthæus Galenus catechesi CCX. *Huc adde sanissimos quosque Theologos non arbitrari tantum penes Ecclesiam jus esse personas ineptas* (ad conjugium) *decernendi, verumetiam Regibus*, &c. Eligius Bassæus in Floribus Theologiæ Moralis: *Dupliciter potest Ecclesia contractus irritare. Primo mediate, reddendo personas inhabiles ad contrahendum Matrimonium; secundo immediate, irritando contractum Matrimonii.* Ex horum ergo Doctorum opinione quis non videt impedimenri dirimentis objectum in aliquid naturale ac politicum resolvi, hoc est, in contractum, vel in personas contrahenres, quibus ad ineundum conjugium habiliras aufertur? Porro vt auctores isti consequenter disputenr, debent sibi sumere sacerdotalem ordinem, vt personas ad contrahendum Matrimonium reddat inhabiles, de consensu Principum, quorum est personas ad contrahendum Matrimonium inhabiles reddere, securum esse, vel totius orbis Christiani dominio potiri, & hac sola ratione personas ad contrahendum Matrimonium

inhabiles reddere. Hoc autem totum plane confirmatur ex iis, quæ in articuli II. capite XIII. & in articuli III. capite XII. & XIII. docuimus.

Tertio probatur. Si impedimentum Matrimonia dirimens aliquid esset ex se, suaque natura sacerdotale seu spirituale, ad politicum Magistratum pertinere non posset, etiam cum subordinatione ad sacerdotalem seu spiritualem: atqui ex Bellarmino lib. I. de Matrimonio cap. XXXII. *Causæ matrimoniales tertii generis* (de impedimentis, &c.) *ad politicum Magistratum pertinere possunt; sed cum subordinatione ad Ecclesiasticum.* Dixisset rectius sacerdotalem seu spiritualem ordinem. Igitur impedimentum Matrimonia dirimens non est aliquid ex se suaque natura sacerdotale seu spirituale. Quod enim ex genere & natura sua tale esset, ad politicum tribunal spectare non posset, etiam cum subordinatione ad sacerdotale. Quis enim sanus assereret, judicium de partibus Sacramenti Matrimonii, qua Sacramentum est, aut de sacerdotali benedictione, quæ nubentibus datur, aut de illius efficacitate, aut de gratia, quæ in hoc Sacramento confertur, ad politicum Magistratum pertinere posse, etiam cum subordinatione ad sacerdotalem? Ceterum, vt hanc quæstionem Bellarminus convolvat, gratis & sine ratione fingit matrimoniales causas de impedimentis mixti esse fori, cum non ex se, sed omnino ex accidenti conjunguntur rei spirituali, quemadmodum probavimus art. I. per plura capita, & art. II. cap. VIII. vbi quædam Bellarmini dicta retractamus.

Asserrio quinta. Sæculares Principes impedimenta Matrimonium dirimentia statuere possunt, secluso sacerdotalis ordinis consensu, qui sæcularium Principum legibus obediendi necessitatem addat, quasi leges illæ ex se non idoneam, sed tantum imperfectam obligandi vim haberent. His suppositis, probatur asserrio ex testimonio Jacobi Hennequini Parisiensis Theologi & Professoris, qui art. I. cap. I. jam citato hac de re ita disserit: *Propter omnimodam humanæ superioritatis, jurisdictionis, inferioritatis, subjectionis, Ecclesiasticæ, spiritalis & sæcularis corporalis diversitatem ac distinctionem, Matth.* XXII. *vers.* XXI. *Rom.* XIII. *vers.* I. *ad* VIII. I. *Petri vers.* XIII.

ad XVIII. *& alibi sæpius in Scripturis inculcatam, possunt Principes laici independenter ab auctoritate & approbatione Principum Ecclesiasticorum pro varietate locorum, temporum, personarum in suo seu reipublicæ sæcularis regimine sæculari connaturaliter & relative ad suum finem & scopum proprium ac distinctum, videlicet sæcularem ferre leges civiles, id est, ad pacem & tranquillitatem ac bonum reipublicæ pertinentes, quibus ut alios contractus civiles, ita & Matrimonium contractum civilem (cum utrinque sit par ratio, & utrinque communis utilitas sæcularis postulare queat) suorum subditorum imbaptizatorum & baptizatorum, quatenus totius corporis & status civilis membrorum, partium, civium prohibeant & dirimant: alioquin carerent potestate sufficiente, qua bono suæ reipublicæ civilis & suorum subditorum communi & consentaneo prospicerent & consulerent.* Quibus verbis pro assertione nostra nihil potest esse clarius. Huc spectat Stephanus Baunius e Societate JESV Theologus, cum in articuli I. capite VIII. ait: *In Magistratu politico auctoritatem tantam necesse est esse, ut cum res temporaque reipublicæ exigunt, contractus qui in ejus perniciem vergunt, modificare, irritare ac determinare valeat: ergo cum Matrimonium sit contractus Matrimonii ac civilis, more aliorum contractuum legibus certis ab eo & Principibus, quorum in terris fiet, restringi poterit.*

Deinde probatur ex Ambrosio Catharino in opere, quod jam laudavimus: *Reperiuntur autem qui dicant, civiles leges non esse sequendas, cum eis canones adversentur: quo in loco videndum est, qua ratione confecti sunt isti canones ad statuendum contra jus civile. Oportet enim canones civilem aliquam legem irritantes ab aliqua solida ratione proficisci. Nulla vero potest esse alia ratio, nisi quia forte viderint, quod a lege civili constitutum erat, vel contra jus divinum esse, vel contra jus naturale.* Et post alia: *Non est autem dubium quin sæculares Principes ea possint circa Matrimonia providere ac statuere, per quæ probi & civiles mores ad illum finem custodiantur atque serventur, ad quem ipsæ respublicæ constituuntur. Itaque quidquid non est contra legem Dei ac legem naturæ, credo Principes posse circa Matrimonium, tanquam circa suam & non alienam materiam suis legibus providere.* Ut autem sæcularis Princeps circa suam materiam leges statuat,

alterius potestatis consensum exspectare necesse non est: alioquin ille Princeps sibi non sufficeret.

Tum probatur ex Petro Soto, qui ex parte Romani Pontificis Tridentino Concilio interfuit. *Nec advertunt* (Juristæ) *nihil per hoc* (institutionem impedimentorum dirimentium) *derogari auctoritati Ecclesiasticæ, sed potius conducere Ecclesiæ paci.* Et post alia: *Non est vel legi vel consuetudini reipublicæ auferendum, ut illegitimos aliquos reddere, si velint, possint; sed potius, si opus foret, confirmandum esset ab Ecclesia.* Et post alia: *Non est cur hæc auctoritas auferatur a Principibus sæcularibus, qui de Matrimonio quidem, ut officium est reipublicæ necessarium, statuunt, quod tamen Sacramentum prærequirit.* Perfectam in Principibus ferendæ legis Matrimonium dirimentis potestatem agnoscit.

Quarto probatur ex communi consensu Theologorum, qui sæculares Principes posse ex se atque ex natura civilis potestatis impedimenta Matrimonium dirimentia statuere docent art. 1. de quibus sic sentit Basilius Pontius Legionensis in persona Petri a Soto. *Quare recte* (inquit ille lib. VI. de Matrim. cap. 1.) *& consequenter Petrus Soto lectione IV. de Matrim. in fine, cum falso existimaret eam potestatem habere Principes sæculares, docuit leges civiles ex pietate quadam cessisse in hac parte legibus pontificiis, atque adeo hodie, etiamsi vellent, posse statuere leges irritantes contractum Matrimonii; & merito quidem falso illo principio admisso docuit non esse penes Pontificem potestatem prohibendi sæcularibus Principibus, ne leges ferant irritantes, quæ Matrimonium irritent, & nullum omnino reddant.* Hæc ille de nostris hominibus secundum assertionem nostram; sed principium quo nititur, & a communi Theologorum Schola, & a Christiana veritate abhorrere, alibi docuimus.

Quinto probatur. Lex Matrimonium dirimens ex se suaque natura civilis est, non sacerdotalis seu spiritualis. Igitur illam sæcularis Princeps ferre potest, secluso sacerdotalis ordinis consensu, cum, ut docet Suares lib. III. defensionis fidei contra Regem Angliæ cap. V. *Reges Christiani habent potestatem in suo ordine supremam, nullumque alium recognoscunt directe*

superiorem intra eundem temporalem seu civilem ordinem, a quo in actibus suæ potestatis pendeant. Quod autem spectat ad antecedens, illud superiori assertione probatum est.

Sexto probatur. Supposita philosophandi ratione, qua docetur a Theologis, Christum Sacramentorum institutione non mutasse naturam Matrimonii; sed ei tantum Sacramenti dignitatem addidisse, proindeque Matrimonium juxta illos Principibus æque subjectum esse, ac si Sacramentum non esset. Sic igitur disputo. Si Matrimonium Sacramentum non esset, Principes possent, secluso sacerdotalis ordinis consensu, dirimentes Matrimonium leges condere; ergo etiamsi Matrimonium Sacramentum sit, dirimentes Matrimonium leges condere poterit, secluso sacerdotalis ordinis consensu: quandoquidem accedente Matrimonio Sacramenti ratione, Matrimonium Principibus æque subjectum remansit, ac si Matrimonio nulla accessisset Sacramenti ratio. Confirmatur. Mutata esset Matrimonii ratio, si accedente Matrimonio Sacramenti ratione, Princeps non posset amplius impedimenta dirimentia statuere, quin sacerdotalis ordo consentiat: quod plane absurdum videretur.

Assertio sexta. Sacerdotalis ordo, seu sacra Pontificum auctoritas, non potest sine consensu Principum impedimenta dirimentia statuere. Hic in memoriam revocandum est, quod initio capitis præmonui, me, vt meum in agendo candorem & sincerum erga sacerdotalem ordinem, seu sacram Pontificum auctoritatem affectum omnes agnoscant, certam quondam disputandi causa supponere Bellarmini, Suares & aliorum quorundam de indirecta in Reges potestate sententiam, de qua quid reipsa sentiendum sit, non semel docuimus.

Inprimis probatur ex assertione quarta & quinta; vnde necessario sequitur. Nam si impedimentum dirimens ex se suaque natura lex civilis sit, non sacerdotalis seu spiritualis: Sacerdotalis ordo, seu sacra Pontificum auctoritas, non poterit illud sine consensu Principum instituere, quia, vt ait Bellarminus lib. v. de Pontifice cap. VI. *Non potest Papa, vt Papa, ordinarie condere legem civilem, vel confirmare aut infirmare leges Principum, quia non est ipse Princeps Ecclesiæ politicus;*

tamen potest illa omnia facere, si aliqua lex civilis sit necessaria ad salutem animarum, & tamen Reges non velint eam condere; aut si alia sit noxia animarum saluti, & tamen non velint eam abrogare. Ex his autem Bellarmini verbis colliguntur tria. Unum, civilem legem a Papa ordinario jure ferri non posse. Itaque cum impedimentum dirimens ex se suaque natura sit lex civilis, non poterit a Papa ordinario jure statui; vnde si ab eo statuatur, sine consensu Principum statui non potest, cum Principum sit ordinario jure civilem legem statuere.

Alterum, civilem legem animarum saluti necessariam a Papa ferri posse, si ab Ecclesia rogati Principes Christiani illam ferre nollent. Sed quia nullus Christianus Princeps rogatus a sacerdotali ordine, vt ejusmodi dirimens impedimentum statuat, statuere nunquam recusabit. Bellarmini placitum nulli Christiano Principi, opinor, incommodabit.

Tertium, contrariam animarum saluti legem a Papa tolli posse, quam Christianus Princeps tollere recusaret. Sed cum nullus, ni fallor, Christianus Princeps a sacerdotali ordine monitus, perniciosi dirimentis impedimenti abrogationem detrectabit, quod eventurum extraordinarie fingitur, eveniet nunquam. Hic metaphysicus casus timendus non est, quia malum non est, quod non nocet.

Deinde si Principes sæculares impedimentum dirimens, secluso Prælatorum Ecclesiæ consensu statuere possint, Ecclesiæ Prælati sine Principum consensu impedimentum dirimens statuere non poterunt, cum, vt ait Bellarminus lib. I. de Matrimonio cap. XXI. *eadem potestas ad duo diversa tribunalia æque immediate & proprie pertinere non possit.* At pertineret, si vt impedimentum dirimens statuerent Principes: necessarius foret Prælatorum Ecclesiæ consensus, qui impedimento dirimenti vim obligandi tribueret.

Tertio probatur ex auctoritate Chrysostomi Javelli & Petri a Soto: *Populus Christianus*, inquit Javellus v. part. Phil. tract. VIII. cap. V. *in primitiva Ecclesia vnanimi consensu voluit hanc potestatem* (sanciendi impedimenta dirimentia) *esse in majoribus & Prælatis Ecclesiæ. Leges civiles*, inquit

Sotus, *ex pietate certe & voluntate Principum facile cesserunt Ecclesiæ, vt jam nullum censeatur illegitimum Matrimonium, quod Ecclesia tale non judicat.* Hæc si vera sunt, sine primigenio Principum consensu impedimentum dirimens a sacra Pontificum auctoritate non potest institui.

Quarto probatur ex rebus in Concilio Tridentino gestis, dum quæstio de clandestinis Matrimoniis agitaretur. Ibi ab Antonio Solisio Matrimonii contractus nullos facere, ad civiles Magistratus attinere dictum est, nec a Tridentino Concilio reclamatum. His autem positis, omnino sequitur impedimentum dirimens a sacerdotali ordine sine consensu Principum statui non posse; nempe contractus Matrimonii, cum civilis sit, nemo eum reddere invalidum potest sine consensu Principis, qui summa rerum civilium potitur; at sacerdotalis ordo minime potitur.

Quinto probatur ex iis auctoribus, qui matrimoniales causas trifariam dividunt, Bellarmino, Baio, Suare, Becano. Bellarminus enim lib. I. de Matrim. cap. XXXII. matrimoniales causas ita dividit. *Quædam*, inquit, *sunt omnino politicæ, vt de dotibus, de successionibus, de hereditatibus*, &c. *quædam sunt omnino spirituales, vt de partibus Sacramenti, de benedictione sacerdotali*, &c. *Quædam sunt partim politicæ, partim spirituales, vt de gradibus cognationis, de divortiis, de impedimentis: quatenus enim contractus Matrimonii naturalis est, materia est politica; quatenus idem contractus est fundamentum Sacramenti & res conscientiæ, spiritualis est.*

Jacobus Baius lib. II. Institutionum Christianæ religionis cap. CXLV. *Causæ matrimoniales mere politicæ, quales sunt de dotibus, de successione, de hereditatibus, Magistratui politico subsunt; mixtæ vero eidem subsunt, cum subordinatione tamen ad Ecclesiasticum judicem.*

Franciscus Suarez lib. III. defensionis fidei adversus Regem Angliæ cap. XVI. num. XI. *Est autem*, inquit, *advertendum, materiam proximam legis civilis interdum esse per se ac directe omnino distinctam a canonica, vt quando est pure temporalis, & nullo modo sacra, nec ad finem spiritualem de se ordinata, vt est, verbi gratia, definire pretium mercium, ordinem judiciorum civilium*

disponere, & cetera: aliquando vero communicare aliquo modo cum materia legis canonicæ ratione rei substratæ vtrique legi, vt leges circa Matrimonia, circa funera, circa legata pia, & similes. Et post alia, materiam harum legum vocat *mixti fori.*

Martinus Becanus cap. L. de Matrimonio dub. I. num. II. *Causæ matrimoniales sunt triplices. Primo, quædam sunt omnino politicæ, vt de dotibus, successionibus, hereditatibus. Secundo, quædam sunt omnino spirituales, vt de materia, forma & ministro Sacramenti, de benedictione sacerdotali. Tertio, quædam sunt partim politica, partim spirituales, vt de gradibus consanguinitatis, de divortiis, de repudio, de impedimentis, & de aliis ad contractum Matrimonii pertinentibus. Nam hic contractus partim spectatur vt civilis, partim vt in eo fundatur ratio Sacramenti: priori modo est materia politica; posteriori, spiritualis seu Ecclesiastica.* In hac autem sententia matrimoniales causæ de impedimentis cum mixti sint fori, impedimentum dirimens a sacerdotali ordine statui non potest sine consensu Principum. Huc accedit, quod impedimentum dirimens afficiat Matrimonium, non qua Sacramentum est, sed qua contractus civilis, quem subesse Principum legibus concedunt. At manifestum est, nihil quod sit alicujus momenti circa materiam politicam effici posse, quin Principes consentiant. Porro hæc ad hominem dicta sint, vt Dialectici loqui consuerunt. Illam Bellarmini divisionem art. II. cap. VIII. displosimus, ostendimusque impedimentum dirimens non esse, nisi per accidens, materiam pontificiam seu spiritualem; sed nunc quibus possumus modis, veritatem ab adversariis extundimus.

Sexto probatur ex auctoritate Guillelmi Okami in tractatu de potestate Imperatoris in causis matrimonialibus: *Absque dubitationis scrupulo ad Imperatorem, qui tam fidelibus quam infidelibus Romanis Augustis in pleno jure Imperii Romani succedit, videtur causa matrimonialis, maxime quantum ad illa, de quibus sacræ literæ non loquuntur, pertinere. Unde & de Matrimonio & de contingentibus ipsum, antequam leges Ecclesiasticæ aliquæ apparerent, tam fideles quam infideles leges ediderunt non paucas.* Sed impedimentum dirimens cum ejusmodi causa matrimonialis sit, de qua loquitur auctor noster, a Pontificibus de-

cerni non poteſt ſine conſenſu Principum, ad quos cauſa illa matrimonialis pertinet.

Atenim dicet quis, nonnullos ex illis Theologis, quorum alibi recenſita ſunt teſtimonia, ſic argumentari. Sæculares Principes ſtatuere poſſunt impedimenta Matrimonium dirimentia: ergo & Eccleſia. Et primum quidem reſpondeo, conſecutionem hujuſmodi jam ſemel atque iterum examinatam eſſe: ſemel in articuli 1. capite 11. iterum in ejuſdem articuli capite x. Deinde reſpondeo eos, ſi nomine Eccleſiæ ſacerdotalem dumtaxat ordinem intelligunt, vt debent intelligere, ex certo & vero principio, vt ſibi ſumunt, vitioſe concludere, quemadmodum ſi quis ita philoſopharetur: Sæculares Principes ſtatuere poſſunt impedimenta contractus venditionis & emptionis dirimentia: ergo & Eccleſia: Sacerdotes poſſunt hæreticos Eccleſiaſtica communione privare: ergo & civili, quia Eccleſiaſtica communio civili longe eſt præſtantior: item Sacerdotes poſſunt hæreticos vita ſpirituali privare: igitur & corporali, quia ſpiritualis vita corporali potior eſt ac nobilior; vitioſe concluderet, quia ſic ab vno ordine ad alium ordinem, ab vno genere ad aliud genus tranſitur. Mutatur terminorum ſuppoſitio: quod mutationis genus argumentationem vitioſam efficit. Sunt artis verba illa, quæ qui neſcit, falli poteſt: qui diſſimulat, vult fallere: vtrumque reipſa veritati nocet, ſed conditione diſpari. Ex eo autem quod regia poteſtas civilem legem poſſit ſtatuere, non ſequitur ſacram Pontificum auctoritatem eandem poſſe ſimilem legem ſtatuere: impedimentum autem Matrimonium dirimens in iſtorum Theologorum ſententia, vt apparet, civilis lex eſt, & ea civilis ratione qua civilis foret, etiamſi Matrimonio Sacramenti dignitas haud ineſſet. id ſupra demonſtratum eſt. Quod ſi nomine Eccleſiæ, Eccleſiam prout eſt fidelium ſeu Catholicorum congregatio intelligunt, vitioſius adhuc concluderent, qua parte Chriſtiani Reges & Principes ad fidelium ſeu Catholicorum congregationem pertinerent, & ſic idem per idem, ſaltem ex parte probaretur. At ſacerdotalis ordo ſeu ſacra Pontificum auctoritas, his fraudibus & offuciis non eget. De ſacra Pontificum auctoritate, peſſime quis mereretur, ſi pro-

pter illius amplitudinem, violandas esse Dialecticæ & sensus communis regulas existimaret?

Septimo probatur ratione. Si sacerdotalis ordo sine consensu Principum dirimens impedimentum statuere posset, vel illud statueret per directam potestatem, vel per indirectam. Non per directam, quia & ex rei veritate, & ex assertoribus potestatis indirectæ Bellarmino, Suare & aliis, sacerdotalis ordo nullam habet. Non per indirectam, quia hæc potestas non legis institutionem, sed abrogationem respicit; aut si respiciat, non vltra quam ex accidenti respicit, hoc est, in abominatissimæ necessitatis casu, quo, vt Bellarminus docet, Christiani Principes aliquam civilem legem ferre nollent, quæ animarum saluti necessaria foret. An autem tale impedimentum dirimens, quod Christianus Princeps instituere recusaret, quis invenire possit, nunc non quæro.

Ceterum, si quando sacerdotalis ordo impedimentum dirimens statueret, nonnisi per potestatem indirectam statueret, vt tradunt Theologi, qui hanc rem curiosius indagarunt: atque inprimis Nicolaus Baionensis in Decalogum cap. 1x. sect. 1x. de Matrimonio. *Papa*, inquit, *vel Concilium generale, dum statuit impedimenta, vtitur potestate indirecta, quam habet circa res temporales in ordine ad bonum spirituale fidelium.* Indirectæ autem potestatis vsus ex natura sua non est ordinarius, sed tantum extraordinarius: cum scilicet Principes nollent eam ferre legem, qua spirituale quoddam fidelium bonum procuraretur, aut eam abrogare legem, quæ fidelium saluti noceret. Sed si casus iste metaphysicus circunscribatur, sacerdotalis ordo sine consensu Principum impedimentum dirimens statuere non poterit, cum impedimenti dirimentis materia legis civilis materia sit.

Quæcunque autem hactenus probavimus, hæc confirmantur ex Concilio Milevitano, quod canonem de re ad Matrimonium spectante sine consensu Principum sanciendum sibi non esse credidit: *Placuit, vt secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam neque dimissus ab vxore, neque dimissa a marito, alteri conjungatur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur: in qua causa legem*

impe-

imperialem petendam promulgari. In negotio autem, quod Evangelicam & Apostolicam disciplinam attinet, si petendam ab Imperatore legem existimarunt Milevitani Concilii Patres, in impedimentis dirimentibus, quæ nec Evangelicam nec Apostolicam disciplinam attinent, ab Imperatore quid non petiissent? Quidquid id est, latius persequimur in articuli 1. capite XIV.

Africanis Patribus adjungimus Gallicanos, qui in causa celebris cujusdam divortii ita se gesserunt apud Hincmarum, qui in opusculo de divortio Lotharii & Tetbergæ ea de re sic scripsit: *Et quoniam scriptum est: Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui, quorum imitanda exempla nobis sunt vera doctrina; ad memoriam revocare necessarium duximus: quoniam quidam nostrum tempore sanctæ memoriæ Ludovici Pii Augusti in Attiniaco palatio tunc fuerunt, quando in universali Synodo totius Imperii, etiam cum Sedis Romanæ legatis, & in generali placito, femina*, inquit, *quædam non ignobilis genere, nomine Northildis, de quibusdam inhonestis inter se & virum suum, vocabulo Agembertum, ad Imperatorem publice proclamavit, quam Imperator ad Synodum destinavit; ut inde episcopalis auctoritas quid agendum esset, decerneret. Sed Episcoporum generalitas ad laicorum & conjugatorum eam remisit judicium, ut ipsi inter illam & suum conjugem judicarent, qui de talibus negotiis erant cogniti, & legibus sæculi sufficientissime præditi, eorumque legalibus judiciis eadem femina se subjiceret, & quod de quæstione sua decrevissent, sine repetitione teneret; si vero crimen aliquod esset, unde pænitentiæ modum post illorum judicium ab episcopali auctoritate deposceret, secundum quod sacri canones præfixerunt, eam imponere non negarent. Nobilibus autem laicis sacerdotalis discretio placuit, quia de suis conjugibus eis non tollebatur judicium, nec a sacerdotali ordine inferebatur legibus civilibus præjudicium, & legem proclamationi feminæ protulerunt, & legali judicio quæstioni terminum contulerunt.* Hoc negotium in quo de divortio vel alia simili causa agebatur, ad sæculares Magistratus remiserunt, cum ex aliis, tum ex hoc quoque, quod nullum civilibus legibus præjudicium inferre nollent. Unde sequitur illud negotium ab Episcopis tractari non potuisse, quin sæcu-

lares Magistratus consentirent.

Assertio septima. Principes plus habent potestatis in Matrimonium, qua contractus civilis est, quam sacra Pontificum auctoritas; sed sacra Pontificum auctoritas plus habet potestatis in Matrimonium, qua Sacramentum est, quam Principes. Ex dictis pars vtraque assertionis probatur. Prior quidem, quia Principes directam in personas contrahentes, & in civilem Matrimonii contractum potestatem habent, & circa hoc vtrumque tanquam circa suam & non alienam materiam versantur. Sacra Pontificum auctoritas ad summum non habet nisi indirectam potestatem, si quam habet, & si recte explicetur secundum principia eorum, qui hanc in Pontifice vel in sacerdotali ordine potestatem admittunt.

Deinde Principes impedimenta dirimentia statuere possunt citra sacerdotalis ordinis consensum; sacerdotalis ordo non potest citra Principum consensum: atqui, vt vidimus, impedimenta dirimentia directe cadunt in personas contrahentes, vel in ipsum Matrimonii contractum. quæ duo ad civilis juris administrationem pertinent.

Tum si quam sacerdotalis ordo potestatem habet, eo habet modo, quem superiori assertione Javellus & Petrus Sotus significant. Hujus assertionis pars vtraque difficultate caret.

Posterior assertionis pars probatur, quia sacerdotalis ordo ex principiis, quibus constituitur, solus potest & Matrimonii Sacramentum administrare, & de rebus, quæ Matrimonium, qua Sacramentum est, attinent & consequuntur, nullo requisito Principum consensu judicare: at Principes nonnisi indirecte & consequenter in Matrimonium, qua Sacramentum, potestatem sortiuntur. Quod laudatus art. 1. cap. 1. Andreas Duvallius sic exponit: *Respondeo Principes ex se certa quædam impedimenta statuere posse, si non esset illis ab Ecclesia prohibitum. Cum enim ex se potestatem habeant in contractum civilem, consequenter potestatem in eum quatenus est Sacramentum, habere poterunt.* Quæ ratiocinatio verissima est.

Assertio octava. Nullum est de facto impedimentum dirimens a Principibus institutum, quod sacerdotalis ordo in eam quam habet, auctoritatem non receperit. Probatur, quia nullum assi-

gnari poteſt impedimentum ab antiquis Principibus inſtitutum, quod ii, qui ſacerdotale adminiſtrant officium, reſpuerint: & hoc eſt argumentum non vſurpatæ ab illis hac in re auctoritatis certiſſimum. Intelligebant profecto id quod eſt ſemper repetendum, infigendum & inculcandum, leges quæ Matrimonium dirimunt, ex genere & natura ſua civiles eſſe & ordinis mere naturalis. Intelligebant deinde modum, quo leges illæ Matrimonium dirimunt, reſciſſionem Matrimonii Principibus ſubjicere; nimirum redditione perſonarum ad contrahenda Matrimonia inhabilium.

CAPUT IV.

Nunc Tridentinæ Synodi canones referendi ſunt duo, & cum aſſertione VI. præcedentis capitis conciliandi.

TRIDENTINÆ Synodi canones ſunt duo, qui a nonnullis Theologis Patrum ſenſum haud percipientibus, & impedimentorum Matrimonia dirimentium hiſtoriam ignorantibus poſſent objici; ſed quam inutiliter videndum eſt. Canones autem hi ſunt ex ſeſſ. XXIV.

Si quis dixerit, eos tantum conſanguinitatis ſeu affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare aut conſtituere, vt plures impediant & dirimant; anathema ſit.

Si quis dixerit non potuiſſe Eccleſiam conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis errare; anathema ſit. At cur ſanciti fuerint canones iſti duo, in cauſa fuit Lutherus, qui quæ ſequuntur in libro de captivitate Babylonica ſcribit: *Conjunctio viri & mulieris tenet, quocunque modo contra leges hominum contigerit: debent Sacerdotes ea omnia Matrimonia confirmare, quæ contra Eccleſiaſticas vel Pontificias leges fuerunt contracta, in quibus Papa diſpenſat, & quæ non ſunt in ſacra Scriptura expreſſa.* Has propoſitiones duas cum pluri-

Oo ij

bus aliis Facultas nostra Theologiæ Parisiensis olim damnavit. Sed ex illis relatos canones cognoscendi sumenda est ratio. Lutherus impedimenta dirimentia, & cum primis consanguinitatis & affinitatis, quæ olim sæcularium Principum auctoritate laudabiliter, vt vidimus, instituta, Ecclesiasticis postea constitutionibus inserta & variis modis confirmata fuerant, cum reprehendat, vel ex hoc vnico capite manifestum est, quid definierit Synodus, & quam ad interpretationis lineam exponendi sint illius canones. Quæ igitur impedimenta Matrimonia dirimentia novator ille rejicienda esse censuit, hæc Concilium retinuit, & retenta duplici anathemate communiit. Sic Tridentini Præsules & illorum Theologi, qui repetitam ab initio impedimentorum Matrimonia dirimentium historiam probe noverant, Theodosii Magni, & aliorum Principum leges a nobis supra descriptas adversus Lutherum vindicarunt.

Hinc efficitur, vt Ecclesiæ nomen, quod vtrique canoni inserunt, secundum naturam actus & communem loquendi vsum hac in materia Synodus prudenter accipiat, vt omnis Luthero tergiversandi tollatur occasio. Ecclesia vero a Romanis Pontificibus, a Conciliis, a Patribus & a Theologis, quo tempore Tridentina fiebat Synodus, definitur *fidelium seu Catholicorum congregatio.*

Præterea definitio hæc locum habet, maxime cum agitur de Matrimonio, vt Synodus ipsa fidem facit certissimam in cap. I. de reformatione Matrimonii. *Factis*, inquit, *denuntiationibus, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.* Quid est autem in facie Ecclesiæ, nisi coram fidelibus, sive laici sint, sive Clerici. Id quoque testantur novæ Tridentini Concilii declarationes, quæ ex Cardinalis Bellarmini Bibliotheca Lugduni prodierunt anno MDCXXXIV. in cap. I. de reformatione Matrimonii: *In facie Ecclesiæ, Ecclesiæ nomen sumi pro collectione fidelium.* Bellarminus istud confirmat amplius in libro V. de Rom. Pont. cap. VII. vbi sic disputat: *Reges & Pontifices, Clerici & laici non faciunt duas respublicas, sed vnam, id est, vnam Ecclesiam: sumus enim omnes vnum cor-*

pus, Rom. XII. *&* I. *Corinth.* XII.

Huc etiam referri possunt Gelasii I. & Nicolai I. & duorum Galliæ Conciliorum, vnius apud Trosleium, alterius apud sanctam Macram habitorum testimonia, quæ mox cap. III. assert. III. retulimus. Addenda sunt, quæ Carolus Magnus & Lupus Ferrariensis Abbas in eundem sensum tradunt. Ille in libro V. Capitularium num. CLXVII. *Principaliter itaque totius sanctæ Dei Ecclesiæ corpus in duas eximias personas, in sacerdotalem videlicet & regalem, sicut a sanctis Patribus traditum accepimus, divisum esse novimus.* Hic in epistola LXXXI. ad Amulum Episcopum. *Idem*, inquit, *Rex & Sacerdos Sacerdotum, qui solus potuit Ecclesiam regere, quam redemit, postquam humanitatem suam in cælum evexit, semper cum suis futurus divinitate potestatem suam ad eandem gubernandam Ecclesiam in Sacerdotes divisit & Reges.*

His autem ita constitutis, non minus facile quam recte intelligitur, quo modo Ecclesia potuerit impedimenta Matrimonium dirimentia constituere, & reipsa constituerit; nempe per Reges alteram Ecclesiæ personam illa potuit constituere & constituit, vt in art. III. abunde ostensum est. Sic igitur ad personam regalem, flexo Ecclesiæ nomine, Tridentinis canonibus sua constat veritas, & contra imperitum novatorem impedimentorum Matrimonii disciplina retinetur & asseritur. Exemplum sit in consanguinitatis impedimento, quod novator ille vexandum præ ceteris suscepit. Theodosius Magnus impedimentum istud lege lata constituit. Hanc legem præstantissimi Ecclesiarum Magistri duo, Ambrosius & Augustinus, laudarunt, Antistitum nemo reprehendit, approbarunt omnes. Gregorius junior legem illam anathemate circundedit in Rom. Concilio, quod anno DCCXXI. habitum est: *Si quis consobrinam suam duxerit in conjugio, anathema sit.* Gregorius vt Theodosii legem de non conjungendis Matrimonio consobrinis, sic & Justiniani legem de non ducenda in vxorem commatre, anathematis pœna corroborandam esse censuit. Jam semel atque iterum Theodosii lex citata est. Justiniani vero lex ita se habet lib. V. Cod. tit. IV. de nuptiis leg. XXVI. *Ea videlicet persona omnimodo ad nuptias venire prohibenda,*

quam aliquis sive alumna sit, sive non, a sacrosancto suscepit baptismate, cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem, & justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem Deo mediante animæ eorum copulatæ sunt. Lateranense Concilium primum rem absolvit, dicens in can. V. *Conjunctiones consanguineorum fieri prohibemus, quoniam eas divinæ & sæculi prohibent leges.* Sacerdotalis persona consanguineorum Matrimonia prohibet, quia regalis persona jam prohibuerat. Unde Gelasius I. ad Anastasium Imperatorem scite scribit: *Duo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regia potestas.* Et quibusdam interpositis: *Si enim quantum ad ordinem pertinent publicæ disciplinæ cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ.* At res illæ mundanæ sunt leges, quas sæculi Principes tulerunt.

Nunc plana sunt omnia & integra, cum Tridentinum Concilium Ecclesiæ tribuit, quod ad alteram Ecclesiæ partem attinet. Caietanus id in alia materia exponit, cum in Apologia sua de comparata auctoritate Papæ & Concilii scribit cap. V. *Sciendum igitur est, quod dupliciter potest intelligi Ecclesia ad literam, cui peccatum fratris peccantis dicendum mandat Dominus habere potestatem jurisdictionis in foro exteriori, de quo est sermo juxta duos modos, quibus de Ecclesia, quæ quoddam totum significat, aliquid verificatur. Primo ratione partis; secundo ratione ipsius totalitatis, seu totius; sicut de homine, qui etiam quoddam totum est, & dicimus quod vidit, quod audit,* &c. *Et verificatur ratione partis, quia vidit per oculum; audit per aurem,* &c. *Et rursus dicimus de eodem: Quod perfectissimum est animalium, quod est animal politicum & hujusmodi, & verificatur ratione ipsius totius, vt patet.* Sic quod de Ecclesia dicitur in relatis Tridentini Concilii canonibus, id non ratione totius, sed ratione partis comprobatur, seu, vt Caietanus barbare & opice statuit, verificatur.

Reliqua prætermitto impedimenta, quorum originem ex legibus Principum ante repetivimus.

Porro non ante tollam manum de tabula, quam observa-

verim eos falli graviter, qui propter dictum anathema, Tridentinos canones non ad disciplinam tantum, sed etiam ad fidem pertinere docent: quasi vero canon in disciplinæ causa editus anathemate muniri non possit. Nescierunt Gregorium juniorem cum quasdam circa Matrimonium leges negligi perspiceret, ut illa diligentius custodirentur quam antea, in Romano Concilio decreta hæc condidisse: *Si quis commatrem spiritualem duxerit in conjugio, anathema sit; si quis consobrinam suam duxerit in conjugio, anathema sit.* Quis autem propter denuntiatum anathema duplex, dogma fidei duplex a Gregorio constitutum assereret? Spectandum est inprimis, utrum canonis materia fidei dogma ferat: non enim potest quidlibet in dogma Catholicum evadere. Utinam legissent Vincentium Lirinensem, & ab eo didicissent quid ad Catholicum fidei dogma constituendum requiratur. Hoc vir ille doctus in commonitorii I. capite III. sic tradit: *In ipsa item Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est etenim vere proprieque Catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia vere universaliter comprehendit; sed hoc ita demum fit, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem.* Utinam legissent Irenæum, Tertullianum & Hilarium, & cum ab iis didicissent qua ratione constituatur hæresis, didicissent continuo qua ratione constituatur dogma fidei.

Irenæus in libri I. contra hæreses præfatione scribit de hæreticis: *Interpretatores mali eorum, quæ bene dicta sunt, effecti.* Sic fons & origo hæreseos est interpretatio mala Scripturarum, quæ bene dictæ sunt.

Tertullianus in libri de præscriptione hæreticorum capite XXXIX. *Nec periclitor dicere, ipsas quoque Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, ut hæreticis materiam subministrarent, cum legam: Oportet hæreses esse, quæ sine Scripturis esse non possunt. Sequetur a quo intellectus interpretetur eorum quæ ad hæreses faciant; a diabolo scilicet, cujus partes sunt intervertendi veritatem.* Sic hæresis est, dum Scripturæ bonæ non bene intelliguntur.

Hilarius in libro II. de Trinitate: *De intelligentia hæresis,*

non de Scriptura est; & sensus, non sermo, fit crimen. Hilarius eo spectat, quo Irenæus & Tertullianus spectant, vt hæresis, vel hæreseos origo sit, cum Scripturæ bonæ non bene, sed perperam explicantur. Didicissent igitur qua ratione dogma fidei constituitur, si novissent, quod Dialectici non ignorant, contrariorum contrariam esse consequentiam: quæ tandem Scriptura de humanis legibus Matrimonium dirimentibus non bene intelligitur, aut contra vnanimem consensum Patrum exponitur?

Præterea derogandum fuisset veteri & perpetuo Romanæ Ecclesiæ instituto, cui summus Sacerdos testimonium præbet amplissimum, Nicolaus I. in epistola v. ad Michaelem Imperatorem. *Romana*, inquit, *Ecclesia semper sanctorum Patrum sincerissimas auctoritates in omnibus suis actibus sequitur.* Hoc probe noverant Cardinales Sedis Apostolicæ legati, qui Tridentino Concilio non interfuerunt solum, verumetiam magna cum eruditionis fama præfuerunt. Derogandum, inquam, veteri & perpetuo instituto huic fuisset, cum sanctorum Patrum nullus sanciendo dogmati præsto esse potuisset. Nam si promisissent vadimonium, deseruissent vtique inter Latinos Tertullianus, Cyprianus, Optatus, Pacianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Leo I. Gennadius, Chrysologus, Fulgentius, Gregorius Papa primus. Inter Græcos Iustinus, Irenæus, Origenes, Clemens Alexandrinus, Eusebius Cæsariensis, Athanasius, Basilius, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Cyrillus, Theodoretus: ceteri cum inter Latinos, tum inter Græcos Ecclesiastici tractatores. At quis tam sanctæ Romanæ Ecclesiæ consuetudini derogandum esse vel expresse vel tacite reciperet? Expresse dico vel tacite, cum *par sit virtus taciti & expressi*, *L. Cum quid si cert. pet.*

Ceterum ex iis quæ in articuli III. capite XIV. de manumissione disseruimus, formari potest similis Tridentino canoni canon hic: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse servos manumittere, vel in iis manumittendis errare, anathema sit;* & sic formatus canon homines loquaciter litigiosos comprimet, & in officio disputationis justæ continebit.

CAPUT

CAPUT V.

Tridentinæ Synodi de reformatione capita duo referuntur, & in sensum commodum nec superioribus assertionibus repugnantem explicantur.

E Tridentina Synodo supersunt capita duo, quæ nonnulli quidam cum Theologi, tum Jurisperiti aliter intelligunt, quam & natura rei quæ tractatur, & sacra Pontificum auctoritas intelligi postulant.

Primum est in sessionis XXIV. capite 1. de reformatione: *Tametsi dubitandum non est, clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse Matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi sint illi, vt eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falsò affirmant, Matrimonia a filiis-familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse; nihilominus sancta Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit: verum cum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent; præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur: idcirco sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo præcipit, vt imposterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solennia publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, vbi Parochus viro & muliere interrogatis, &*

eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti; vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur: quod illius prudentia & judicio sancta Synodus relinquit. Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnes inhabiles reddit; & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat. Insuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes qui sine Parocho vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit.

Nunc operæpretium esse duxi subjungere quæ Sforza Cardinalis Pallavicinus in libri XXII. de Tridentini Concilii historia capite I. in hanc rem tradit num. XVI. & XVII. *Inter articulos*, inquit, *de duobus magis ardue disputatum est. Alter fuit de irritis declarandis Matrimoniis clandestinis. agnoscebantur immensa detrimenta, quæ inde nascebantur.* Quibus expositis sic pergit: *Idcirco oratores Galli, quorum regna fortassis hoc incommodum frequentius nocentiusque patiebantur, vigesimo quarto Iulii a Concilio Regis nomine solenniter petierunt, ut hujusmodi Matrimonia imposterum irrita decernerentur, renovatis antiquis nuptiarum ritibus: quod si gravi de causa interdum aliter fieri opportunum censeretur, saltem Matrimonia pro non legitimis haberentur, quoties non adesset Sacerdos cum tribus aut pluribus testibus; simul etiam redderentur irrita Matrimonia contracta a filiis absque parentum consensu: quippe plerumque noxia ac familiis indecora, & odiorum potius quam amoris fomes inter conjuges. Verum quo simul remedium adhiberetur parentum socordia in filiorum statu curando,*

certus annorum numerus præscriberetur: quo absoluto, si nondum filius a parentibus in Matrimonio fuisset collocatus, fas illi esset per seipsum vxorem ducere.

Hoc postulatum Gallorum, quorum certe solenne fuit & in acta relatum, omnino mutilatur a Suavi, dum silentio præteriit, eos petiisse vt irrita declararentur conjugia clandestina: narrat eosdem quæsiisse, vt esset liberum parentibus irrita aut non irrita reddere filiorum Matrimonia, & omittit limitationem temporis ab illis appositum: hac in re non modica efferbuit disputatio tum de Ecclesiæ potestate, tum de opportunitate illius legis.

Deinde in libri ejusdem capite IV. num. I. *Plurimum supra reliqua disputatum & concertatum est, irrita necne declaranda essent Matrimonia clandestina; & quanquam Suavis aliter recenseat numerum sententiarum innixus literis Vice-Comitis ad Borromæum, tamen legati scripserunt, centum supra quadraginta quatuor voluisse, vt ea irrita redderentur, aut aliquid consimile, cujusmodi fuisset, ad hac ratione contrahendum, reliquos antiquæ consuetudini inhæsisse.* Et paullo post: *Verum nec patribus novam legem promoventibus satisfecerat exemplum canonis a selectis ejus formatoribus confectum: quare injunctum illis fuit, vt illud mutarent, ac postea publicæ trutinæ rursus expositum.*

Tum num. II. *Etenim sicut alibi animadvertimus, consuetum non erat, vt in Synodo vllum dogma statueretur, vbi complures dissentirent: at vero ad reparationem morum sanciendam nonnisi plura suffragia quærebantur. Quapropter legati jam vsque a suffragatione primo habita, quasi per præsagium, nuntiarunt Romæ, si decretum per modum novæ legis proponeretur, bene progressurum; si per modum dogmatis, in obices incursurum: atque hinc postea effectum, vt in conventu nova controversia coorta fuerit de ipsius controversiæ statu, an ejusmodi decretum complecteretur dogma, necne. De quo diutius disputatum est.*

Decretum sæpius ad limam revocatum, ac initio erat ejusmodi: vt tres testes fide dignos præsentes postularet absque Sacerdotis præsentis necessitate: quod postmodum, antequam finis inveniretur dicendis sententiis, Galli flagitarint. Decretum quod primo selecti patres formarunt, sic habebat: Sacrosancta Dei Ecclesia Spiritu sancto afflata, animadvertens magna incommoda & gravia peccata

quæ ex clandestinis conjugiis ortum habent : præsertim vero eorum qui in statu damnationis permanerent, dum sæpe priori vxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt, alias gravissimis pœnis ea prohibuit, eademque tamen irrita non fecit ; sed hæc sacrosancta Synodus cum animadvertat, remedium illud propter hominum inobedientiam hucusque parum profuisse, decernit, vt imposterum Matrimonia illa, quæ clam contrahuntur absque tribus testibus, irrita sint, quemadmodum præsenti decreto irrita facit. Præterea eadem Synodus irrita facit ea Matrimonia, quæ contrahuntur a filiis-familias ante annum decimum octavum completum, & a filiabus ante decimum-sextum completum, absque genitorum consensu, remanentibus tamen in suo robore aliis legibus circa Matrimonia clandestina promulgatis.

Postea die septima Augusti idem decretum aliam in formam ita redactum conventui propositum est. Præcepit sancta Synodus, vt cunctæ personæ, quæ imposterum audebunt contrahere Matrimonium aut sponsalia absque præsentia saltem trium testium, sint inhabiles ad ejusmodi Matrimonia aut sponsalia contrahenda, adeoque cuncta ab ipsis gesta ad Matrimonium aut sponsalia contrahenda, irrita sint, sicut præsenti decreto irrita redduntur.

De filiis-familias ita variatum est, vt marium conjugium absque consensu parentum esset irritum ante annum vigesimum ; feminarum vero ante decimum-octavum completum, nisi vbi parentes rogati consensum ad nuptias honeste expetitas filiis iniquo judicio dissentirent : filii vero obtenta a Præsule facultate Matrimonium contraherent.

Sequuntur apud Pallavicinum plures redactæ in compendium orationes Episcoporum quæ in hoc vno satis concordant, quod ex clandestinis Matrimoniis permulta & mala & incommoda nascantur ; in ceteris vero discordant. Alii dubitant de potestate Ecclesiæ in statuenda lege, qua clandestina Matrimonia irrita reddantur : alii non dubitant de potestate Ecclesiæ. ii forsitan qui philosophabantur quomodo nonnullos Theologos in articuli 1. capite x. philosophari vidimus; nempe Ecclesiam, vt loquuntur, posse impedimenta Matrimonium dirimentia constituere, quia summi Principes id

facere possunt; vel qui putabant sacerdotalem ordinem jus constituendi impedimenta Matrimonium dirimentia Principibus ademisse & sibi reservasse; vel qui neutrum factum esse probe noverant; vel qui credebant Romanum Pontificem totius orbis Christiani dominum esse: alii tum demum volebant antiquæ circa clandestina Matrimonia consuetudini adhærere: interim tamen corrigenda esse quoad fieri poterat, mala quæ ex illis Matrimoniis proficiscebantur. Huc spectant compendiosæ Antistitum orationes, quas Pallavicinus describit.

Adjungo quæ Petrus Justinianus & Alfonsus Salmeron in hanc rem scribunt: ille in libro XV. Historiæ Venetorum: *Declaratum in sancta œcumenica Synodo decretumque, quod clandestina Matrimonia & fraude contracta sine legitimo parentum ac propinquorum consensu pro nullis haberentur.* Hic in tomo XIV. operum disp. XIV. *Cum in Tridentino Concilio ageretur de clandestinis conjugiis, & nonnulli instanter postularent, vt Matrimonium quodcunque celebratum sine consensu parentum irritum esset & nullum, non sunt ausi Patres quidquam de ea re statuere, non ignorantes quanta libertate & potestate filii ipsi fungantur, & quanta janua tyrannidis aperiretur parentibus in filios, aut custodibus, vt cum servis suis aut consanguineis aut amicis nuberent: quod esset summe absurdum & minime tolerabile. Satisque fuit sanctæ Synodo definire, ne quod conjugium validum haberetur & firmum, cui Parochus Sacerdos simul cum tribus testibus non adfuisset.* Hæc ille qui Synodo interfuit, & in disputationibus vltro citroque habitis multum enituit.

Ad Justinianum quod attinet, is ex monumentis ad se Tridento missis Venetias Historiam conscripsit, nec ab his Petrus Suavis omnino dissentit in Historia Tridentini Concilii. Nam in libro VIII. ait, *visum esse Concilio, vt Matrimonia sine consensu parentum contracta nulla forent, sed Concilium suam hanc sententiam postea mutasse.*

Hæc autem cum ita se habeant, nemini mirum videri debet, illud decretum, quod est in Tridentino Concilio, & decreta duo quæ extant in Pallavicini Historia, non tam perfecte, vt apparet, convenire inter sese, & mutationes admittere, non admissura sine dubio, si de re idem vniversis Patribus visum est.

Utinam tunc illis in mentem venissent Milevitani Concilii Patres, & horum consilio atque conditione Princeps Augustinus, qui ab Imperatore contra divortium legem petierunt. Nam si Tridentini Patres petiissent a summis Principibus legem, qua clandestina Matrimonia redderentur cassa & irrita, occurrissent facile malis, quæ Matrimonia hujusmodi pariunt, & se a tanta sententiarum varietate, in qua versabantur, liberassent. Qua de re jam egimus in articuli I. capite XIV. & XV.

Porro autem qui ex hoc capite probare nituntur, sacerdotalem ordinem, quem vocant Ecclesiam, posse statuere impedimenta Matrimonium dirimentia, nihil efficient, nisi prius tam varias, & minus inter se cohærentes vnius & ejusdem decreti editiones concoquant aut devorent. Dissimulabunt, ni fallor, hæc omnia, & spe atque animo vincendi incubabunt insistentque Tridentino vni decreto quod retulimus. Homines id genus quod sibi fingunt maxime volunt, & adjuncta quæ inveniendæ & asserendæ veritati serviunt, aversis in sinistrum palmis abominantur. Sed quia veritatis indagationem refugiunt, eos tota errare via facile patimur.

Interim revocandum in memoriam est id, quod, vt cardinem rei sæpe inculcandum esse duxi, impedimenta omnia quæ Matrimonium dirimunt, ex se suoque genere & natura civiles leges esse, & sacerdotalem ordinem, qua sacerdotalis ordo est, ferendarum legum civilium potestare omnino carere: deinde impedimenta Matrimonium dirimentia tunc id efficere censeri, cum per illa personæ viri & mulieris ad contrahendum inhabiles redduntur: tum personas ad contrahendum inhabiles reddi, aliquid esse maxime politicum & mere naturalis ordinis, quod ad supernaturalem finem per se & proxime non tendit. His autem ita positis, vt ex rei veritate poni debent, certum est clandestinum Matrimonium non posse ab ordine sacerdotali, qua sacerdotalis ordo est, quem nominant Ecclesiam, cassum atque irritum reddi sine consensu Principum, qui sacerdotalis ordinis decretum in auctoritatem admittant, eique vim legis tribuant. Qui secus Concilii verba acceperit, se & Concilium ad defendendum ejusdem Concilii factum rationibus exuet, Novatoribus calumniandi ansam dabit, & ex-

citandæ Regnum inter & Sacerdorium discordiæ viam sternet.

Henricus III. Galliæ Rex maluit in Blesensibus Conciliis legem statuere, qua clandestina Matrimonia declararentur irrita, quam Tridentino decrero vim legis tribuere. Tunc temporis cum per vniversum regnum clandestina Matrimonia cœperunt dirimi, querelæ justæ nullus fuit locus: siquidem id mali genus, de quo conqueritur Synodus, sublatum est, & id boni genus, quod Synodus procurare voluit, commoda ratione procuratur.

Ceterum cum Synodus anathema decernit in eos qui penes parentes esse, vt filiorum Matrimonia sine illorum consensu facta rara vel irrita facere, asserebant, rectissime decernit: atque illud ipsum oratores Galli petierunt. Cujus rei ratio est evidens. Parentes condere non possunt legem, qua filiorum Matrimonia sine suo consensu facta solvantur, cum legis condendæ potestate careant. Sed condendæ legis materiam, paternum obsequium & reverentiam suppeditant Principibus, qui legem ea de re ferre sine dubio possunt. Princeps ipse, non qua parer, sed qua Princeps est, fert legem, qua contracta a filiis suis sine suo consensu Matrimonia rescindanrur. Quid ita? Princeps vt parer ptivatam gerit personam; Princeps, vt Princeps est, publicam. At ferre legem personæ est publicæ, non privatæ; alioquin quot in regno privati essent homines, tot essent legumlatores. Quo nihil est insulsius.

Alrerum Tridentini Concilii caput est in eadem sessione nonum, & sic se habet: *Ita plerumque temporalium dominorum ac Magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excæcant, vt viros & mulieres sub eorum jurisdictione degentes, maxime divites, vel spem magnæ hereditatis habentes, minis & pœnis adigant, cum iis Matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel Magistratus illis præscripserunt: quare cum maxime nefarium sit, Matrimonii libertatem violare, & ab eis injurias nasci, a quibus jura expectantur, præcipit sancta Synodus omnibus cujuscunque gradus, dignitatis & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos, vel quoscunque alios cogant,*

quominus libere Matrimonia contrahant. In hujus capitis materia peccari potest & contra naturalem legem, & contra Tridentinam, quæ hic speciatim sancitur. Nec de naturali lege, nec de iis qui hanc violarent, sed de Tridentina & de iis, qui in eam impingerent, hic agitur. Nunc dicimus adversus Tridentinam legem non peccari iis in locis, vbi lex ista in disciplinam & auctoritatem admissa non est. Sic de illius obligatione indigenæ Doctores sentiunt.

Henricus Henriquez in libri XI. Theologiæ Moralis cap. VI. num. VII. *Potest Rex subditos cogere ad Matrimonium cum tali femina contrahendum pro communi pace regni, cum Princeps sit custos boni communis, & executor præceptorum, quæ non tam singulis, quam communitati imponuntur.* Hic auctor non modo excepit Reges ab obligatione Tridentini decreti, sed docet eos insuper posse id facere, quod isto prohiberi decreto videtur.

Thomas Sanches in libri IV. de Matrimonio disputatione XXII. num IX. *Utrum parentes injuste impedientes Matrimonium filiorum incurrant eam excommunicationem,* (de qua fit mentio in hoc capite) *non constat inter Doctores. Quidam dicunt incurrere, quia Tridentinum eodem cap.* IX. *generaliter de omnibus personis loquitur. Ibi præcepit sancta Synodus,* &c. *Sed dicendum est non incurrere, quia decretum illud loquitur de dominis temporalibus, & aliis jurisdictionem in foro externo habentibus.* Et paullo post: *Est communis sententia.* Et post alia: *Nec Regem, nec Imperatorem,* (incurrere excommunicationem) *quia oporteret exprimi, vt expressit idem Tridentinum sess.* XXII. *cap.* XI. *de reformatione. & exprimit Bulla.*

Basilius-Pontius in libri IV. de Matrimonio capite XIX. *Licet Principi suorum subditorum Matrimonia impedire, vel eos etiam ad Matrimonium cogere: quando namque justa causa adest, recte possunt Principes subditum aliquem ad Matrimonium cogere: neque id pugnat cum Tridentino decreto sess.* XXII. *de reformatione, cap.* IX. *Id enim probant superiora omnia, & Tridentinum intelligendum esse de vi injusta, est communis sensus: alias nunquam posset quis juste adigi ad Matrimonium, quod absurdum est: atque de vi injusta sermonem esse tantum indicant illa verba decreti:*

Cum

Cum maxime nefarium ſit ab iis injuriam naſci, a quibus jura expectantur. Adde Tridentini decreto ab excommunicatione ibi lata, non ligari Reges & Imperatores, ſed tantum temporales quoſdam dominos, & publicam forenſem juriſdictionem habentes, vt judices & Epiſcopos.

Auguſtinus Barboſa in declarationibus Tridentini Concilii, capite IX. de reformatione Matrimonii aſſerit: *Hoc decreto non comprehendi Regem, Reginam, Imperatorem, parentem, nec illum, qui a Matrimonio hoc aut illo retrahit.*

Deinde in collectaneis Doctorum ſuper caput IX. ſeſſ. XXIV. num. V. *Neque Regem, Reginam, Imperatorem, Imperatricem hoc decreto comprehendi, quia iſtæ perſonæ videntur ſpeciali nota dignæ, tum quia Papa dum intendit has ligare, ſolet eas exprimere.*

Hæc ad decretum illud; etiamſi nihil aut parum ad inſtitutum noſtrum conducat, intactum tamen relinquendum non fuit, ne videremur difficultates ſubterfugiſſe. Præterea vnicuique ſatisfaciendum eſt ne ſperni ſe putet.

CAPUT VI.

Cur diſciplina civilium legum circa Matrimonia poſt annum Chriſti milleſimum paulatim in deſuetudinem abierit, cauſa cum rebus aliis, tum maxime decreto Gratiani & decretalium libris quinque tranſſcribitur.

HACTENUS de civilium legum diſciplina, quæ a primis Eccleſiæ ſæculis in deciſione cauſarum matrimonialium viguit, & quæ nec ab vniverſalibus Conciliis, nec a Romanis, Alexandrinis & Antiochenis, Conſtantinopolitanis, Hieroſolymitanis, & aliis illuſtrioribus Epiſcopis coarguta fuit vnquam. Et ſi quis diceret, quod ſine gravi ſacerdotalis ordinis totius injuria dici non poteſt, Concilia & Pontifices illos omnes diſſimulaſſe hanc per tot annos civilium legum diſciplinam; non animadverteret ſe ſacerdotalem or-

dinem vniverſum ludibrio & contemptui exponere, a quo is nunquam liberaretur. Tum jure merito reſponderetur, quod diſciplina illa Conciliorum & Pontificum diſſimulatione culpabili invaluiſſet & irroboraſſet, etiamſi daretur, connubiales leges, de quibus agitur, in materia Principibus non plane obnoxia latas fuiſſe. Id vero dandum non eſſe, niſi diſputandi gratia, innûmerabiles Magiſtri in articulo I. & II. demonſtrant.

Verumenimvero vt nihil eſt in rebus humanis firmum ac ſtabile, civilium circa Matrimonia legum diſciplina poſt annum Chriſti milleſimum paulatim in deſuetudinem abiit, & alia ei ſucceſſit prognata partim ex adulterinis veterum Romanorum Pontificum epiſtolis, partim ex certis quibuſdam decretis Pontificibus aliis ſubjectis, partim ex nonnullis Conciliorum canonibus perperam intellectis, partim ex variis recentium Pontificum ad varias conſultationes reſponſionibus, quas & quidam Theologi & Juris Anteceſſores ſacrorum canonum inſtar habuerunt. Rem apertius oſtendo & latius.


Prima, vt ita dicam, mali labes eſt Iſidorus Mercator in collectione epiſtolarum, quas neſcio quis fabulator Romanis antiquis ſubjecit Pontificibus, dum Carolus Magnus regnabat. Conati ſunt ab initio viri graves & docti has epiſtolas vt prioribus ſæculis inauditas & minime convenientes ac proinde ſuppoſititias rejicere: ſed conatus inanis fuit. nam ævi progreſſione ab incautis & credulis hominibus in auctoritatem admiſſæ ſunt, etiamſi auctoritatis nihil mererentur, quia, vt ait Facundus, *Eccleſia non eſt indiga falſitatis.* Interea dum hæc aguntur poſt annum Chriſti milleſimum, Burchardus, Ivo, Gratianus, ſuo quiſque tempore, Conciliorum canones & Pontificum decreta corpus in vnum compingunt. Primus ad annum MXX. in Germania; ſecundus ad annum MCX. in Gallia; tertius ad annum MCL. in Italia. Uniuſcujuſque opus de collectoris ſui nomine ſortitum eſt nomen, & Burchardi, Ivonis & Gratiani decretum appellatum, hodieque appellatur. Non me latet fuiſſe tempus, quo Burchardi opus vocabatur magnum volumen canonum, Ivonis, Panormia; & Gra-


tiani, discordantium canonum concordantia. Sed illud præteritum est. Igitur quibus in locis apud Burchardum, Ivonem & Gratianum sermo est de Matrimonio, & de rebus ad Matrimonium spectantibus, referuntur quidem civiles aliquot leges; sed principatum tenent subdititia Evaristi, Callisti, Fabiani, & quorundam aliorum Pontificum decreta, quæ partim ex Isidori Mercatoris collectione, partim ex aliis fontibus impuris derivantur. Sic quæ relatis ante Principum legibus debebatur fides, hanc decretis istiusmodi dederunt. Exinde quia Gratiani decretum refertius erat quam Burchardi & Ivonis decreta, commendationem ac celebritatem iis in vrbibus, vbi florebant literarum studia, majorem obtinuit, & continuo vsuvenit vt Gratiani decretum causis matrimonialibus dijudicandis sufficere creditum sit pene ab omnibus. Hæ sunt vices rerum, fata & infortunia. Ad præposteri & tenebricosi temporis istius decursum habuit respectum celebris Historicus Hispaniæ, cum in libri XI. Historiæ capite VIII. ita scribit: *Alfonsus Urracam vxorem a patre tertio propinquitatis gradu attingebat. Nondum moribus receptum erat, vt Pontificum Romanorum venia lege cognationis soluta conjugia inter cognatos coirent: itaque passim consideramus per hæc tempora, connubia Principum dirempta esse cognatione inter conjuges illegitima injustaque. Hanc vnam arbitror esse causam cur Alfonsus hic in nullo Castellæ Regum numero ponatur apud veteres scriptores.* Tum in libri XI. capite XI. *Urraca ipsa, quod cognatione devincta esset a viro repudiata; hac venia dissolvendis conjugiis inventa non erat, offensione inter conjuges nata. Nondum enim interpretando sibi quisque leges de Matrimoniis aptas faciebat: neque enim venia Pontificum solvebantur.* Profecto difficile prorsus esset ostendere Joannem Matianam errare in notanda epocha, quam hic veniæ Romanorum Pontificum defigit. Unde si retroactis sæculis consobrinæ jungendæ essent nuptiis, beneficio Principum jungebantur. Id quoque antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus Jacobus Sirmondus in suis ad Ennodii epistolas notis sic observat: *Imperatores Christiani etiam consobrinas jungi vetuerunt, vt Theodosius, tantum, vt Sexti Victoris verbis vtar, pudori tribuens & continentiæ, vt consobrinarum nuptias vetuerit.*

tanquam sororum. Quare sine Principis venia duci non licebat. quod declarat Cassiodori formula, qua consobrina legitima fiat vxor. Sirmondus veterem in danda infringendæ legis venia disciplinam, quæ Principum erat; Mariana, quæ Pontificum est, ostendit.

Joannes Saresberiensis, Carnutum Episcopus, Gratiani æqualis & superstes, ad Alexandrum III. scribit epistolam, in qua certam quandam Matrimonii causam recitat, vbi potior decretorum, quæ adulterina, quam legum civilium quæ genuinæ sunt, habetur ratio. Adscribo verba ex epistola LXXXIX. ad illum Pontificem: *Sponsam non esse conjugem tam leges Principum, quam decreta Pontificum ostendunt, cum desponsata puella possit monasterium præeligere, viro dissentiente: sicut Eusebius auctor est, & leges, teste Gregorio, nullam infligunt pœnam sponsæ, si ad collegium evolaverit puellare. Præterea conjugium non esse perfectum, quod non confirmat & perficit commixtio corporalis, licet a prima desponsationis fide initium sortiatur. Si ergo initiatis perfecta præjudicant, omnino iniquum est, vt sponsalitiorum pactio vero dicatur præjudicasse conjugio. Nam & Waristus Papa cum formam Matrimonii contrahendi & sacrum ritum, qui in Ecclesia est, permiserit nuptiarum, ita subjiciens: Ita peracta legitima scitote esse connubia; aliter vero præsumpta non conjugia, sed adulteria & stupra & contubernia, aut fornicationes potius quam legitima conjugia esse non dubitatur, nisi voluntas propria suffragata fuerit.* Et paullo post: *Replicabat & multa de privilegio personarum, & ignorantia juris, cum parentibus aut propter militiæ cingulum, aut sexus infirmitatem liceret ignorare, illud habere vim conjugii, quod conjugii præcedit initium; quod ex auctoritate legum & canonum non ad nexum Matrimonii convaluit, quod prisca consuetudo apud nos hactenus in consummatione Matrimonii non agnovit.* Et paullo post: *Sed in eos rigor legum & canonum exercetur, qui incestuose aut illicite coeunt, scienter, jure divino & humano pariter prohibente.* Saresberiensis canones vocat subdititia Evaristi, Callisti & Fabiani decreta, quæ libro suo intulit Gratianus, qui nondum obtinuerat, vt Imperatoriæ leges in causis matrimonialibus omitterentur: sed deinceps obtinuit, idque confirmant decretalium libri quinque, in quibus Imperatorum

leges non comparent amplius, nisi fortassis vt Evaristi, Callisti & Fabiani decretis, & aliis hujusmodi cedant, tametsi non deberent cedere, quia, vt ait Tertullianus, *veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum, & cursus temporis non mutat substantiam veritatis. l. Sicut falsi. c.* ad Cornel. de fal. Audio qui dicat ex veteri proverbio, *Malum bene conditum ne moveris:* movere non intendo, (est qui moveat quemadmodum moveri potest vtiliter) sed historicum in modum narrare dumtaxat, quæ ab anno Christi millesimo de initio & progressu receptæ in causis matrimonialibus disciplinæ Ecclesiasticum & sæculare forum occupavit, & postea sæculare forum occupare desiit; sed annis abhinc centum plus minus nostra Gallia antiquam civilium legum disciplinam pedetentim resumpsit, atque ita vt plerisque in locis, & maxime Lutetiæ Matrimonium nullum tum demum censeatur illegitimum, id est, contra leges initum, quod regia potestas vel regiæ potestatis administri tale non judicent. Præterea quo jure olim Principes supremi erga subditos omnes suos vtebantur, eodem & nunc Rex erga eos vtitur, qui in regno suo seorsum a Catholicis per religionem sentiunt. Hos enim vbi necesse est, cognationis legibus solvit, permittitque vt justæ consobrinos inter & consobrinas nuptiæ contrahantur.






SECUNDA PARS TRACTATUS,

SEU

Uſus regiæ in Matrimonium poteſtatis apud Gallos.

HANC ſecundam vel tertiam quæ ſequetur, tractatus partem non ante legas, quæſo, quam primam legeris; aut ſi legere placet, in rebus, quæ ſubobſcuræ vel paullo duriores occurrerent, judicium ne feras: ſecus, mallem ego quidquid in his duabus partibus tractaverim, relinqueres incompertum. Hujus autem rei certa eſt ratio, quod ſecunda & tertia tractatus pars a prima ſic pendeat, vt eorum fere omnium, quæ adferuntur in vtraque, juſtiſſimam expeditiſſimamque cauſam contineat, & nonnulla, quæ neutram in partem, civilem vel Eccleſiaſticam, moveri forte viderentur, in civilem nullo negotio flectat.



ARTICULUS I.

Impedimenta & matrimoniales ejuſdem generis cauſæ, quæ ad primam Regum ſtirpem pertinent, attinguntur.

CAPUT I.

Jus regium in conſtituendis impedimentis Matrimonium dirimentibus proponitur, conſuetudine & ſcriptis legibus inducitur.

QUOD auctor ſupremæ poteſtatis civilis Deus matrimoniales contractus diſponendi jus ad optimum finem Principibus conceſſit, imminutumque reipſa Principes retinuerunt hactenus, duplici via, conſuetudine & ſcriptis legibus Galliæ regnum ſenſim occupavit. Conſuetudine primum, quæ ad Principes regnique proceres maxime ſpectat; legibus deinde, quæ ad omnes omnino cives & ſubditos ſeſe extendunt. Quanquam hoc non ita neceſſarium fuit, cum natum ex diſtractione imperii Romani regnum Romanas leges ad ſe accerſeret. Illa vero conſuetudo non tam conſuetudo eſt, quam jus regium factis & exemplis declaratum: quare cum in proprio fundo verſetur, libera eſt omnibus difficultatum nodis, quibus quæ in alieno jus præſcribit, exponitur. Longe igitur alia eſt hujus, alia aliarum conſuetudinum ratio. Etenim vt ea conſuetudo, qua de agimus, vim legis habeat, vnum aut alterum exemplum, quo voluntas Regis idonee declararetur, poſſet ſufficere, quod multoties repetitum in aliis conſuetudinibus deſideratur, quibus vel abrogatur conſuetudo contraria, vel jus contra proprium dominum præſcribi conſuevit.

Ceterum hanc nostram consuetudinem in priscorum monimentis disquiremus, & exempla singula, quæ occurrunt in tribus Regum Galliæ stirpibus, expendemus. Verum hic ea tantum exequemur, quæ ad primam spectant: atque inprimis exempla duo; unum sanctæ Godebertæ virginis, alterum sanctæ Salabergæ.

Ex vita sanctæ Godebertæ. *Porro a parentibus accurate educata, cum ad nubiles pervenisset annos, permulti nobiles eam ex nobilibus nobiliter natam sibi sponsam expetebant: parentes autem ejus cum essent Regis beneficiarii, non audebant inconsulto Rege cuiquam eam in Matrimonium collocare. Cum autem hæc res apud Regem Clotarium ageretur, omnesque ad Regis voluntatem animis intenderent, in medium illorum non sine cultu Dei beatus Eligius se ingessit, & virginem illam aureo suo annulo tanquam arrhabone Christo sponsam coram Rege & parentibus ejus fidentissime despondit.* Hæc narratio plane consentit cum veteri manuscripto Noviomensis Ecclesiæ codice, quem Laurentius Martignius non ita pridem vernacula lingua donavit.

Nostram ergo consuetudinem in his verbis deprehendimus: *Parentes Godebertæ cum essent Regis beneficiarii, non audebant inconsulto Rege cuiquam eam in Matrimonium collocare.* Quæ verba receptum jam usum significant. Deinde quanti res esset ponderis, ostendunt quæ sequuntur: *Apud Regem Clotarium hæc res acta est, omnesque ad Regis voluntatem animis intenderunt.* Tunc sane Rex non potuit suam in subditorum connubia potestatem explicare apertius, quam futurum Godebertæ conjugium ad suum judicium revocare. Cum ergo parentes filiam nuptui dare non auderent, inconsulto Rege, quod Regis essent beneficiarii, inducta ob rationem beneficiariorum consuetudine impeditos fuisse dicimus. Cujusmodi autem impedimentum foret, cum ex ipsa consuetudine, quæ jam tunc vim habuit legis, tum ex rei gravitate, tum etiam ex regni commodis metiendum est. De rebus autem, non de verborum apicibus disputo, dum maxime veterum revolvuntur monimenta, in quibus recentioris Scholæ verba, verborumque distinctiones plerumque desiderantur.

Alterum exemplum præbet vita sanctæ Salabergæ tom. II

Hist.

Hist. Francorum: *Metuens Gonduinus, ne ob filiam* (Salabergam) *iram Regis* (Dagoberti) *sævitiamque incurreret, eam a calle, quo ire sponte decreverat, pedetentim retraxit. Iam ejus opinio ad aures regias pervenerat. Morabatur denique iisdem temporibus in aula prædicti Principis vir quidam strenuus, consiliis Regis gratus, inter suos fama celeber, nomine Blandinus, qui cognomen Baso acceperat, qui vtpote & ipse ex Sicambrorum prosapia spectabili ortus est. Mox prædictam Salabergam non ejus sponte, quia jamdudum divinis se præceptis implicare voverat, licet invitis parentibus, regio tamen jussu ob liberorum procreandorum causam, prædictus vir ad suum adscivit conjugium.* Eadem est Matrimonia impediendi, quæ ad ea cogendi ratio, cùm id expedire reipublicæ judicatur. Tunc actionem involuntariam non efficit justus timor, neque natura, neque jus vllum positivum iis reclamat conjugiis, quæ ex metu juste incusso fiant. Ex tali enim metu non dicitur agere, qui illum a se depellere, si vult, potest.

Quid autem Rex possit in suis subditis ad Matrimonium cogendis prima parte tract. art. I. cap. I. sub finem, & art. IV. cap. IV. Doctores definiunt.

CAPUT II.

Reges Matrimonia dissolvunt. Regiarum in caussis matrimonialibus constitutionum specimina.

EXEMPLA nunc referimus duo, quibus quanta fuerit Regum Galliæ in dissolvendis subditorum conjugiis auctoritas, constabit. Unum suggerit Gregorius Turonensis lib. V. hist. cap. II. *Meroveus*, inquit, *simulans ad matrem suam ire velle, Rotomagum petiit, & ibi Brunechildi Reginæ conjungitur. Eam quoque sibi in Matrimonio sociavit. Hæc audiens Chilpericus* (pater Merovei) *quod scilicet contra fas legemque canonicam vxorem patrui* (Sigeberti) *accepisset, valde amarus dicto citius ad supra memoratum oppidum dirigit. At illi cum hæc cognovis-*

sent, quod eosdem separare decerneret, ad basilicam sancti Martini, quæ super muros civitatis ligneis tabulis fabricata est, confugiunt. Rex vero adveniens cum in multis ingeniis eos exinde auferre niteretur, & illi dolose eum putantes facere non crederet, juravit eis dicens: Si, inquit, Dei voluntas fuerit, ipse vos separare non conarer, vel, vt habet alia editio, *ipse vos separare non conaretur.* Deinde cap. III. *Quæ postquam acta sunt, Rex propter conjugationem Brunechildis suspectum habere cœpit Meroveum filium suum, dicens, hoc prælium ejus nequitia surrexisse, spoliatumque armis, datis custodibus, libere custodiri præcepit, tractans quid de eo imposterum ordinaret.* Tum cap. XIV. *Post hæc Meroveus cum in custodia a patre retineretur, tonsoratus est, mutataque veste, qua Clericis vti mos est, Presbyter ordinatur, & ad monasterium Cenomannicum, quod vocatur Aninsula, dirigitur, vt ibi sacerdotali erudiretur regula.* Incestas nuptias, quibus sese Meroveus funestaverat, Chilpericus Rex Merovei pater dissolvit, eique Sacerdotium impingi voluit.

Alterum exemplum suppeditat vita sancti Wlmari apud Mosandrum. *Sanctus Wlmarus tempore juventutis suæ conjugem duxit, nomine Historaldem, quæ prius erat desponsata alteri viro, nomine Wlmaro, ac propterea apud Francorum Regem* (Clotarium) *graviter Dei famulus accusabatur, cujus imperio & jussu priori sponso Historalda reddita est. Sanctus vero Wlmarus postquam reliquit conjugium, petiit monasterium, quod in pago Hannoniensi ad Sambram fluvium situm est, diciturque Altimontis.* Sic male contractum ab Wlmaro conjugium Clotarius dissolvit. In neutro casu vsurpatam ab Regibus auctoritatem queruntur Gallicani Præsules, qui cum omni tempore, tum vel isto potissimum vindicandæ Sacramentorum disciplinæ invigilarunt.

Quod autem ad regias de Matrimoniis constitutiones spectat, Clotarius in generali constitutione hanc legem tulit: *Nullus per auctoritatem nostram Matrimonium viduæ vel puellæ sine ipsarum voluntate præsumat expetere, neque per suggestiones subreptitias rapiantur injuste. Item Sanctimoniales nullus sibi in conjugium audeat sociare.* Inde lex ortum habuit, vnde cœptum est a quibusdam legitima potestate seu facultate abuti:

quod pro reipublicæ commodis aliquando ficti viderant, ad Matrimonium nempe nonnullos compelli, istud in privata studia & commoda derivaverant. Hinc factum, vt tribus ante annis Parisiense Concilium hominem, qui Regis auctoritate sic abusus fuerat, anathemate perculerit. Ita & Reges & Sacerdotes communi quidem consilio, sed non vna eademque inter se ratione publicæ vtilitati providerant: Reges nunc sola prohibitione, nunc temporali pœna; Sacerdotes vero Ecclesiastico anathemate. *Et quia*, inquit Concilium Parisiense, *vtilium rerum cœpit causa tractari, hoc vniversitas præcavere quoque debet, tam Sacerdotes quam Principes, omnisque populus, vt nullus res alienas competere a Regis audeat potestate. Nullus viduam, neque filiam alterius extra voluntatem parentum, aut recipere præsumat, aut Regis beneficio æstimet postulandum: quod si fecerit, ab Ecclesiæ communione semotus anathematis damnatione plectatur.* Hic omnino faciunt Præsules, quod suo tempore faciendum consulit Petrus Sotus, qui pro Pontifice Tridentino Concilio interfuit. *Nec debent*, inquit, *Prælati Ecclesiæ gravate suscipere, si quid temporali paci viderint necessarium sæculares Principes statuant: nec est cur illis se opponant; sed permittant potius Matrimonium legibus humanis ordinandum, cum officium humanum sit; & addant postea ipsi, si videbitur, quod ad bonum religionis pertinet.* Legibus ergo sæculi, quibus Matrimonium viduæ vel filiæ extra voluntatem parentum vetatur, anathematis vinculum addunt, quo ab illis violandis potentius quilibet arceatur.

Post Clotarii constitutionem quid alii Reges in eandem rem egerint, testatur Concilium Turonense II. can. XX. *Non solum domini gloriosæ memoriæ Childebertus & Clotarius Reges constitutionem de hac re custodierint & servaverint, quam Charibertus Rex successor eorum præcepto suo roboravit, vt nullus vnquam puellam absque parentum voluntate rapere aut accipere præsumat. Quæcunque ergo timet violentiam, & non vult habere mansum, refugiat ad Ecclesiam, donec propinqui possint eam Principis imperio aut Sacerdotis vel Ecclesiæ beneficio liberare & defensare, ac condigno sociare marito.* Sic conditas ab Romanis Imperatoribus de celebrandis Matrimoniis leges Childeber-

tus, Clotarius & Charibertus suas faciunt, & suis in auctoritatem præceptis admittunt; ac deinde vt serventur Episcopi, diligenter incumbunt.

Hoc loco prætermittendum non est singulare exemplum, quo consanguinitatis impedimentum a Concilio Lugdunensi primo vindicatur. Sic ergo loquuntur Patres Concilii sub Sigismundo Rege celebrati contra quendam Stephanum, qui cognatæ suæ ausu temerario sese sociaverat. *Domini gloriosissimi Regis sententiam secuti, id temperamenti præstitimus, vt Stephano prædicto vel Palladiæ vsque ad orationem plebis, quæ post Evangelia legeretur, orandi in locis sanctis spatium præstaremus, par videbatur, vt qui in leges Principum peccaverat, de sententia Principum puniretur, aut ei indulgentia concederetur.* Tria hic colligere est. Unum, impedimenta consanguinitatis Principum leges appellari ab Episcopis, quemadmodum reipsa debent appellari. Alterum, ab Stephano contra leges Principum peccatum esse: contra leges autem, quæ non obligant, haud peccatur. Tertium, de Principis sententia Concilium Stephano pœnitentiam indixisse. An autem jura Principum in sanciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus Episcopi potuerint vindicare & asserere validius, nescio.



ARTICULUS II.

Impedimenta & causæ ejusdem generis matrimoniales, quæ ad secundam Regum Galliæ stirpem pertinent, attinguntur.

CAPUT I.

Sub Pipino Rege promulgatæ quædam in Conciliis Episcoporum circa Matrimonium leges.

AGENTE Pipino Rege celebrata sunt Concilia duo in Gallia, Vermeriense vnum anno DCCLII. Compendiense alterum anno DCCLVII. In vtroque multi sunt canones, qui promulgantur ex legibus. Prætermitto eos, in quibus Theodosii lex de non jungendis Matrimonio consobrinis, explicatur; hoc est omnibus notum ac perspicuum. Canones duos attingo, in quibus id peragitur. Justinianus in novellæ CXVII. capite VIII. *de justis divortiorum causis marito permissis*, statuit: *Si quolibet modo mulier vitæ viri sui fuerit insidiata, aut hoc facientibus consentiens viro non indicaverit.* In Vermeriensi Concilio sic habetur can. V. *Si qua mulier mortem viri sui cum aliis hominibus consiliavit, & ipse vir ipsius hominem se defendendo occiderit, & hoc probare potest; ille vir potest vxorem suam dimittere, & si voluerit, aliam accipere.*

Deinde in Digestorum libro XXII. tit. II. de divortiis & repudiis leg. I. *Dirimitur Matrimonium divortio, morte, captivitate, vel alia contingente servitute vtrius eorum* In Vermeriensi Concilio sic decernitur can. XI. *Si quis necessitate inevitabili cogente in alium ducatum seu provinciam fugerit, aut seniorem suum, cui fidem mentiri non poterat, secutus fuerit, & vxor ejus cum valet & potest, amore parentum, aut rerum suarum cum si qui noluerit, ipsa omni tempore, quandiu vir ejus quem secuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat. Nam ille vir ejus, qui ne-*

cessitate cogente in alium locum fugit, si se abstinere non potest, aliam uxorem cum pœnitentia potest accipere.

In Compendiensi sic decernitur can. VIII. *Si quis homo habet mulierem legitimam, & frater ejus adulteravit cum ea; ille frater, vel illa femina, qui adulterium perpetraverunt, interim quo vivunt, nunquam habeant conjugium. Ille cujus uxor fuit, si vult, potestatem habeat accipere aliam.*

CAPUT II.

Ex recepto repudii libello sub Carolo Magno regia in Matrimonium potestas asseritur.

REGNANTE Carolo Magno viguisse inter Christianos morem, quo libellus repudii daretur, illius dandi formula docet apud Marculfum in libro formularum secundo cap. XXX. Est autem hujusmodi : *Dum & inter illum, & conjugem suam illam non caritas secundum Deum, sed discordia regnat, & ob hoc pariter conversare minime possunt : placuit utriusque voluntate, ut se a consortio separare deberent. quod ita & fecerunt. Propterea has epistolas inter se uno tenore conscriptas fieri & adfirmare decreverunt, ut unusquisque ex ipsis, sive ad servitium Dei in monasterio, aut copulæ Matrimonii sociare se voluerit, licentiam habeat, & nullam requisitionem ex hoc de parte proximi sui habere non debeat. Si quis vero aut aliqua pars ex ipsis hoc emutare, aut contra parem suum repetere voluerit, inferat pari suo auri libram I. & ut decreverunt, a proprio consortio sequestrati, in ea quam elegerint, parte permaneant.*

Adjectæ sunt formularum Marculfi libris duobus formulæ veteres, quæ secundum legem Romanam dicuntur. In iis est decima nona, quæ libellum repudii sic definit cap. XIX. *Certis rebus & probatis causis inter maritum & uxorem repudiandi locus patet. Idcirco quia inter illum & conjugem suam illam non caritas secundum Deum, sed discordia regnat, & illorum nulla est voluntas pariter conversandi : placuit utriusque voluntatibus, ut se a consortio conjugali separare deberent. quod ita & fecerunt. Propterea has epistolas uno tenore conscriptas inter se fieri & ad-*

firmare decreverunt, ut quidquid unusquisque ex ipsis de semetipso facere voluerit, absque repetitione socii sui liberam habeat potestatem, & nullam requisitionem, neque ipsius in caput, neque ulla qualibet persona, exinde habere pertimescat. Quod qui contra parem suum, vel contra alium quemcumque hominem ullam repetitionem exinde facere conaverit, partibus illius contra cui litem intulerit, sol. tantos componat, & sua repetitio nullum obtineat effectum; sed unus quis ex ipsis per hunc libellum repudii eorum manibus roboratum, omnique tempore quieti valeant residere.

. Hic autem mos quo regnante Carolo Magno dabatur inter Christianos libellus repudii, ortum habet ex Constantini Magni lege, quæ ita se habet in libro III. cod. Theod. tit. XVI. de repudiis.

I. Imperator Constantinus A. ad Ablavium P. P. Placet mulieri non licere propter suas pravas cupiditates marito repudium mittere exquisita causa, velut ebrioso, aut aleatori, aut mulierculario; nec vero maritis per quascunque occasiones uxores suas dimittere; sed in repudio mittendo a femina, hæc sola crimina inquiri, si homicidam vel medicamentarium, vel sepulcrorum dissolutorem maritum suum esse probaverit, ut ita demum laudata omnem suam dotem recipiat. Nam si præter hæc tria crimina repudium marito miserit, oportet eam usque ad aciculam capitis in domo mariti deponere, & pro tam magna sui confidentia in insulam deportari. In masculis etiamsi repudium mittant, hæc tria crimina inquiri conveniet; si mœcham vel medicamentariam, vel conciliatricem repudiare voluerit. Nam si ab his criminibus liberam ejecerit, omnem dotem restituere debet, & aliam non ducere: quod si fecerit, priori conjugi facultas dabitur domum ejus invadere, & omnem dotem posterioris uxoris ad semetipsam transferre pro injuria sibi illata. Dat. III. Non. Maii (alias III. Cal. Julii) *Basso & Ablavio Conss.* id est, anno Christi CCCXXI. imperii anno XXVI.

Justinianus qui anno post Constantini mortem ducentesimo circiter decimo ad Romanum accessit Imperium, causarum repudii numerum auxit novella CXVII. *De justis divortiorum causis marito permissis cap.* VIII. *Quia vero plurimas in veteribus & nostris legibus invenimus causas, ex quibus facile nuptiarum solutiones fiunt, ea causa prospeximus ex his abscindere ali-*

quas, quæ nobis indignæ ad ſolvendas nuptias viſæ ſint, & eas ſolvendo nominatim præſenti inſerere legi, pro quibus rationabiliter poteſt ſive vir ſive mulier repudium mittere. Nunc autem cauſas ex quibus maritus repudium mittere ſine periculo poteſt, & dotem vxoris lucrari, ſervato in ea dominio ex eodem Matrimonio filiis aut filiabus, quibus non extantibus, frui etiam proprietate, has eſſe decernimus; ſi contra Imperium cogitantibus aliquibus conſcia eſt mulier, aut etiam viro ſuo non indicet: ſi autem vir hoc a muliere denuntiatum tacuerit, liceat mulieri per quamcunque perſonam hoc declarare Imperio, vt vir nullam ex hac cauſa repudii inveniat occaſionem. Si de adulterio maritus putaverit poſſe ſuam vxorem convinci, oportet prius virum inſcribere mulierem, aut etiam adulterum; & ſi hujuſmodi accuſatio verax eſſe oſtenditur, tunc repudio miſſo habere virum ſuper ante nuptias donationem, etiam dotem, & ad hoc, ſi filios non habet, tantum accipere ex alia vxoris ſubſtantia, quantum dotis tertia pars eſſe cognoſcitur, vt ejus proprietati & dos, & a nobis definita pœna applicetur. Si enim filios habuerit ex eodem Matrimonio, jubemus etiam dotem (ſecundum quod de hoc cenſent leges) aliamque mulieris ſubſtantiam filiis conſervari; & ita adulterum legitime convictum vna cum vxore puniri: & ſiquidem habeat vxorem adulter, accipere eam & dotem propriam, & propter nuptias donationem; & ſi filios habeat, ſolo vſu mulier fruatur, donationis proprietate ſecundum leges filiis ſervanda: aliam vero mariti ſubſtantiam ejus filiis ex noſtra largitate donamus. Filiis autem non exiſtentibus, antenuptialis quidem donationis proprietatem mulieri competere ſancimus; aliam vero mariti ſubſtantiam omnem fiſco ſecundum antiquas applicamus leges. Si quolibet modo mulier vitæ viri fuerit inſidiata, aut aliis hoc facientibus conſentiens viro non indicaverit.

Si cum viris extraneis nolente viro convivatur, aut cum eis lavatur, ſi nolente viro foris domum manſerit, niſi forſan apud proprios parentes. Si circenſibus aut theatris, aut amphiteatris interfuerit ad ſpectandum ignorante aut prohibente viro: ſi vero contigerit aliquam circa vnam prædictarum cauſarum vxorem ſuam a domo propria expellere, & illa non habens parentes, apud quos poſſit manere, ex neceſſitate foris habitet nocte. Iubemus nullam

eſſe

esse marito licentiam propter causam hanc repudium mittere vxori, eo quod ipse hujus rei auctor existat.

Deinde *de justis divortii causis mulieri premissis* cap. IX. *Causas autem pro quibus rationabiliter potest viro a muliere mitti repudium, ex quibus potest & dotem recipere, & propter nuptias donationem exigere, similiter filiis servanda donationis proprietate, aut filiis non extantibus, habere etiam hujusmodi dominium, has esse solas disponimus; si contra Imperium aut ipse cogitaverit aliquid, aut cogitantibus conscius non indicaverit Imperio, aut per se, aut per quamcunque personam; si quolibet modo vir insidiatus fuerit vitæ mulieris, aut aliis hoc volentibus sciens non manifestaverit vxori, & studuerit secundum leges vlcisci; si maritus vxoris castitati insidiatus, aliis etiam eam adulterandam tentaverit tradere; si vir de adulterio inscripserit vxorem, & adulterium non probaverit, licere mulieri volenti etiam pro hac causa repudium destinare viro, & recipere quidem propriam dotem: lucrari autem & antenuptialem donationem & pro hujusmodi calumnia; si filios non habuerit ex eodem Matrimonio, tantum secundum proprietatem accipere mulierem ex alia viri substantia, quantum antenuptialis donationis tertia pars esse cognoscitur. Si autem filios habuerit, jubemus omnem viri substantiam filiis conservari, firmis manentibus, quæ de antenuptiali donatione aliis legibus continentur: ita tamen vt etiam propter illatam adulterii accusationem & non probatam, illis quoque maritus subdatur suppliciis, quæ esset passura mulier, si hujusmodi fuisset accusatio comprobata.*

Si quis in sua domo, in qua cum sua conjuge commanet, contemnens eam, cum aliis inveniatur in ea domo manens, aut in eadem civitate degens, in alia domo cum alia muliere frequenter manere convincitur, & semel & secundo culpatus, aut per suos parentes, aut per mulierem, aut per alias aliquas fide dignas personas hujusmodi luxuria non abstinuerit, licere mulieri pro hac causa solvere Matrimonium, & recipere datam dotem & antenuptialem donationem, & pro tali injuria tertiam partem æstimationis, quam antenuptialis facit donatio, ex ejus substantia percipere: ita tamen, vt si filios habuerit, vsu solo mulier potiatur rerum, quas ex antenuptiali donatione, & pœna tertiæ portionis mariti substantiæ acceperit, dominio communibus filiis conservando.

Si autem filios non habuerit ex eodem Matrimonio, habere eam talium rerum etiam proprietatem præcipimus. Infra: *Datum* XV. *Calend. Ian. Dom. Iustin. August. anno* XV. *Basilio v. cl. Cons.* id est, anno Christi DXLI.

Nunc Constantini Magni lege & Justiniani novella relatis, observo quæ sequuntur. Et primum quidem illustrium & de religione vera bene meritorum Principum edicta continere originem & progressum repudii, quod multas ob causas fiebat olim, & vsum inter Christianos Occidentis & Orientis obtinuerat: Occidentis quidem, vt Marculfi & aliæ veteres formulæ restantur; Orientis vero, quia Justiniani novella Græce & Latine in lucem prodiit.

Deinde argumenta esse plura quæ impediunt, ne Constantini & Justiniani leges tam facile damnentur, vt a nonnullis seu Jurisconsultis, seu Theologis damnantur.

Unum est, quod œcumenica Synodus nulla apud Orientem vel Occidentem habita constitutiones illas revocavit ad examen, & ne servarentur, vetuit.

Alterum, quod Antistes nullus, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, Constantinopolitanus, Hierosolymitanus, Constantino & Justiniano æqualis, vel tempore proximus, de illis constitutionibus querelam instituit, ac si Evangelio manifeste repugnarent.

Tertium, quod Antistites illi omnes, & alii quotquot in orbe Christiano fuerint, videntur constitutiones suo silentio comprobasse, aut violati reos esse Evangelii, si Celestinus I. in epistolæ ad Galliarum Episcopos capite I. Leo I. in epistolæ XCIII. ad Turribium Asturicensem Episcopum capite XV. Hilarus in Romana Synodo cui præfuit, Felix III. in epistola ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum, Gregorius I. in libri VII. Indict. II. epistola VI. ad Eusebium Thessalonicensem Episcopum, & in libri IX. epistola LXIV. ad Brunichildam Reginam, Leo II. in epistola ad Episcopos Hispaniæ, Gregorius VII. in libri II. epistola V. ad plures Archiepiscopos & Episcopos, & in libri III. epistola I. ad Episcopos, Abbates & Duces Romani Imperii, Paschalis II. in epistola, quæ est LXXIV. inter epistolas libri II. episto-

larum sancti Anselmi, audiantur. Non refero tot Pontificum verba, quæ in articuli 1. capite XI. legi & ponderari possunt. Huc pertinent juris civilis axiomata: *Paria sunt facere vel facienti consentire.* L. *Utrum*, & L. sequent. ad legem Pomp. de parricid. *Paria sunt delinquere vel delinquenti non resistere.* L. III. §. *Tantumdem. de administ. tutor.*

Quartum, quod Romanum Pœnitentiale ab Antonio Augustino editum ad Justiniani novellam accessit, cum ita statuit: *Contigit tibi vt vxor tua te conscio & hortante cum alio viro, illa autem nolente, adulterium perpetraret: si fecisti, quadraginta dies in pane & aqua pœniteas, & septem annos, vnum ex his in pane & aqua, & nunquam sis sine pœnitentia. Si autem vxor tua hoc probare potuerit, quod tua culpa & tuo jussu, se renuente & luctante, adulterata sit; si se continere non potest, nubat cui voluerit, tantum in Domino: tu autem sine vxoria spe in perpetuo maneas. Illa, si consentiens fuerit, eadem jejunes quæ tibi proposita sunt, & sine spe conjugii maneat.*

Quintum, quod Constantinus & Justinianus in generalibus Conciliis vt Christianæ fidei conservatores acclamantur. In Synodi VI. actione VIII. *Sancta Synodus Constantino Magno Imperatori multos annos, conservatori orthodoxæ fidei multos annos, pacifico Imperatori multos annos, novo magno Constantino Imperatori multos annos, novo Theodosio Imperatori multos annos, novo Imperatori Marciano multos annos, novo Iustiniano Imperatori multos annos.* Et in actione XVIII. *Novo Iustiniano Constantino æterna memoria.*

Sextum, quod Gregorius Magnus *piæ memoriæ* Justinianum appellat in libri II. Indict. II. epistola X. ad Savinum Subdiaconum, & in libri XI. epistola LVI. conficitur Capitulare legum Imperialium pro immunitate Clericorum, vbi Justinianus Augustus familiam ducit.

Tum in libri IX. epistola LX. ad Adilbertum Regem Anglorum, Imperatorem Constantinum mirifice prædicat: *Constantinus quondam piissimus Imperator Romanam rempublicam a perversis idolorum cultibus revocans, omnipotenti Domino Deo nostro* JESU CHRISTO *secum subdidit, seque cum subjectis populis tota ad Deum mente convertit; vnde factum est, vt antiquorum*

nomen Principum suis ille vir laudibus vinceret, & tanto in opinione predecessores suos, quanto & in bono opere superaret.

Septimum, quod *Ecclesia Catholica non solum non potest incidere in hæresim, verumetiam nec potest errare sive per ignorantiam, sive quocunque alio modo in aliquo dogmate, in quo tanquam in veritate a Deo revelata & ab omnibus fidelibus credenda universa Ecclesia conspirat, docet & proponit.* Id Franciscus Suares sibi sumit & probat in libro 1. defensionis fidei Catholicæ, cap. IV. Et sane negari jure merito non potest, quin lex Constantini & novella Justiniani, & veteres de libello repudii formulæ, diu multumque per Occidentem & Orientem invaluerint & irroboraverint, & regiam in Matrimonium potestatem ostenderint, haud dissentientibus per sacros canones Conciliis universalibus, nec repugnantibus Romanis per decreta Sedis Apostolicæ ex iisdem canonibus promulgata Pontificibus.

Res tamen tanti est, vt circa hæc omnia cohibeam assensum, & alius me doctioris judicium exspectem.

Interim Origenem propono melioris ætatis scriptorem, qui ad conciliandas Constantini & Justiniani leges cum Evangelio, & ad liberandum a culpa Sacerdotum quotquot in orbe fuerunt silentium, receptissimum consensus indicium, posset inservire. Hæc autem celebris Doctor ille scribit tractatu VII. in Matthæum: *Post hoc autem Dominus non permittit propter aliam aliquam culpam vxorem dimittere, nisi propter solam causam fornicationis, dicens: Quicunque dimiserit vxorem, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari. Quærendum autem est, si propter solam causam fornicationis dimittere jubet vxorem: quod si mulier non fuerit fornicata, sed aliud quid gravius fecerit, vt puta venefica inveniatur, aut interfectrix communis infantis nati, aut in quocunque homicidio, aut exportans domum, & male dispergens substantiam viri, aut furta viro faciens: si mulier hujusmodi dimittatur, cum Dominus, excepta causa fornicationis, dimittere vetet? Ex vtraque enim parte aliquid inhonestum videtur; nescio autem si vere inhonestum. Talia enim mulieris sustinere peccata, quæ pejora sunt adulteriis & fornicationibus, irrationabile esse videbitur. Item facere contra volun-*

tatem doctrinæ Salvatoris, omnis confitebitur impium esse. Disputo ergo, quia non præceptive mandavit, vt nemo dimittat vxorem, excepta causa fornicationis; sed quasi exponens rem dixit: Qui dimiserit vxorem, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari; & vere quidem quantum ad se facit illam mœchari, dimittens eam non mœchantem: si enim illa vivente viro adultera vocatur, si facta fuerit alteri viro, sine dubio qui dimittit, dat ei occasionem secundarum nuptiarum, & propter hoc facit eam mœchari. Sed vir, qui quantum ad se vxorem dimittens fecit mœchari, vt puta veneficam vel homicidam, aut aliquid aliud constitutam, si justam excusationem habet apud Deum, tractabis. Potest autem & citra dimissionem propter alias causas facere vir, vt vxor ejus mœchetur, vt puta, qui supra mensuram permittit vxorem suam agere quod vult, & in amicitiam descendere virorum, quorum vult: frequenter enim ex simplicitate virorum hujusmodi vitia nutriuntur in mulieribus. Sed si est excusationis locus viris talibus in hujusmodi casibus, diligenter requirens pronuntia. Item & qui abstinet se a muliere sua, frequenter facit eam mœchari, non adimplens aviditatem ipsius, forsitan spe irrationabili sanctitatis & castitatis ductus: & forsitan iste amplius reprehensionis dignus quam ille, qui quantum ad se facis eam mœchari, dimittens non quidem fornicantem, in veneficio autem, vel in homicidio, vel in quibuscunque aliis gravioribus peccatis inventam. Qua enim ratione adultera est mulier, quamvis legitime nubere videatur viro vivente: eadem ratione & vir, quamvis legitime accipere videatur dimissam ab aliquo viro, non accipit legitime secundum sententiam Christi; sed magis mœchatur quasi alienam accipiens. Post hæc intelligentes Apostoli quanti sint casus inter conjuges, quos debet vir sustinere, & propterea tenere quidem interitum esse: dimittere autem peccatum esse in Domino: responderunt ei quasi ad rem facilem refugientes ad castitatem & magis vtilem, & dixerunt: Ergo non oportet nubere, si ita est causa viri cum muliere. Ad hæc autem Christus respondit dicens, gratiam esse donatam a Deo continentibus se omnino. Hæc ille qui annis quinquaginta duobus antequam Constantinus Romanum capesseret Imperium, e vivis excessit.

Et primum quidem Origenes in disputatione sua ponit,

quod necessario ponendum est, Christum Dominum nihil aut dixisse, aut fecisse, quod rectæ rationi non conveniat. Deinde sibi sumit, marito licere vxorem dimittere, vt propter adulterium, sic & propter veneficium & homicidium : veneficium quod marito ab vxore pararetur, homicidium quo communis marito & vxori filius perimeretur. Quid ita? Veneficium & homicidium ejusmodi, nisi pejora sint adulterio crimina, ei certe coæquantur. Tum rectæ rationi haud putat auctor congruere, si marito liceat vxorem propter adulterium dimittere, non liceat propter veneficium & homicidium.

Denique vt vitetur iniqua juris dispositio, proponit Christum Pharisæis subdole & per insidias interrogantibus rem exponendo, non præcipiendo respondisse, atque ex tribus illis, vel aliis gravioribus vel æque gravibus flagitiis nominasse adulterium, quippe quod contra finem Matrimonii directe pugnet. Atqui hæc sunt quæ sibi vult Origenes. Viderint alii ; nam quæ tam illustris Doctor disputans desiderandæ conciliationi posuit, prodesse sine dubio possunt, obesse non possunt. Omittere nequeo, recentiores esse scriptores duos, qui ad illustrandam & reddendam plausibiliorem Origenis sententiam, plurimum conducunt, Desiderium Erasmum, & Hugonem Grotium. Illum in annotationibus super prioris ad Corinthios epistolæ caput VII. Hunc in annotationibus super caput V. Matthæi. Ad Erasmum quod attinet, sciendum est Antonium Possevinum in apparatu sacro indicare quæ in illius annotationibus corrigenda sunt, nec ea quæ ad Origenis sententiam pertinent, attingere. Grotius in caput V. Matthæi multus est; sed quæ sequuntur, scopum maxime feriunt. *Notat Origenes verba hæc (excepta causa fornicationis) poni magis enuntiando quam jubendo. Neque rarum est vt in tali sermone, id quod ex occasione dicitur, exempli magis quam astringendi vim habet: non enim in humanis tantum, sed & in Dei legibus solitum est sæpe facti aliquam speciem frequentiorem exprimi, ex qua deinde cetera colligi debeant, vt Exod.* XXI. *v.* XVIII. XIX. XX. XXVI. *Deut. ron.* XIX. *v.* V. Et paullo post: *Similes locutiones speciem facti declarant magis quam strictam exceptio-*

nem; sed etsi ponamus esse exceptionem, potest eadem manere sententia. In omnibus enim legibus, etiam maxime odiosis, quales sunt, quæ pœnam irrogant, receptum est, vt vbi eadem est ratio, jus idem valeat: in benignioribus autem legibus, etiam a paribus ad paria procedit interpretatio. Hæc autem omnia disputationem Origenis adjuvant, quæ si admittantur, locus erit conciliandi tria, quæ in initio concilianda proposui; si rejiciantur, nullus apparet locus conciliandi tria illa, quæ in initio concilianda proposui: interim *ἐπέχω περὶ τούτου*, vt jam præmonui.

Ceterum de bona gratia nonnihil dicendum est, hæc differt a libello repudii: nam bona gratia divortii causas habet nullas, habet libellus repudii: bonæ gratiæ historia duobus constat, lege qua primum stabilitur, & lege qua deinde tollitur. Prius est hujusmodi in digestorum libro XXIV. leg. XII. *Hermogenianus libro* II. *juris epitomatum; & ideo bona gratia Matrimonium dissolvitur.*

Deinde in digestorum libro XXIV. tit. II. de *divortiis & repudiis* L. VI. an dirimatur Matrimonium captivitate: *Tunc si quinquennium a tempore captivitatis excesserit, licentiam habeat mulier ad alias migrare nuptias: ita tamen vt bona gratia dissolutum videatur pristinum Matrimonium.* Posterius in laudata Justiniani novella CXVII. *Ut non liceat consensu Matrimonium dissolvere, nisi ex causa probabili*, cap. X.

Quia vero ex consensu aliqui vsque ad præsens alterna Matrimonia solvebant, hoc de cetero fieri nullo sinimus modo, nisi forte quidam castitatis concupiscentia hoc fecerint: si autem hujusmodi personæ filios habuerint, tam dotem quam antenuptialem donationem eorum filiis conservari disponimus. Si quis autem horum aut maritus forsan, aut vxor, postquam propter castitatem ex consensu solverit Matrimonium, inveniatur alias contrahens nuptias aut luxuriose vivens: jubemus, si quidem (sicut dictum est) filii fuerint ex memorato conjugio, super dotem & propter nuptias donationem eis tradi, & proprietatem pene substantiæ illius, quæ convincitur deliquisse, personæ: si vero filii minoris sint ætatis, gubernari eos & pasci ab illo parente præcipimus, qui nihil præsenti legi contrarium egerit. Si autem ambo parentes in hujusmodi vitium incidant,

tunc vtriusque parentis substantiam filiis applicari. Dispensatorem autem iis, qui in minori sint ætate constituti, ordinari providentia competentis judicis, & aliorum, quibus hæc ex nostris legibus sunt commissa: si autem filii non sint, vtriusque personæ substantiam fisci rationibus applicari, & eos qui talia deliquerunt, legitimis subdi suppliciis. Aliter enim separationem Matrimoniorum fieri ex consensu nulla ratione permittimus.

Ex hac autem lege colliguntur tria. Unum est, fuisse nonnullos, qui Matrimonium bona gratia, nimirum ex mutuo consensu, dissolverent. Christianine fuerint, an ethnici, vel vtrique, Justinianus haud significat. Ac proinde ea super re difficile prorsus est certum aliquid pronuntiare. Quidquid id est, non memini legere me verum extitisse Concilium, vllumve Pontificem, qui ante Justiniani tempus solutum bona gratia Matrimonium canone vel decreto confixerit. Alterum, Justinianum primum omnium, quod sciam, lege lata vetuisse, ne deinceps bona gratia, seu consensu mutuo solveretur. Tertium, regiam in Matrimonium potestatem tunc eminuisse semper, nec vsurpatæ in sacram Antistitum auctoritatem jurisdictionis accusatum esse Justinianum, quod legem illam tulerit. Porro autem cur hic de bona gratia tractaverim, non effecit Carolus Magnus, quia bona gratia ad eum non proprie pertinet, sed aliqua doctrinæ consanguinitas, quæ inter bonam gratiam & libellum repudii intercedit.

CAPUT III.

Carolus idem Magnus multa in libro v. Capitularium circa Matrimonium edixit.

AD institutum nostrum pertinet ea referre, quæ Rex & Imperator circa Matrimonium decrevit in libro v. Capitularium.

Num v. *Si quis filiastrum aut filiastram suam ante Episcopum ad*

ad confirmationem tenuerit, separetur ab uxore sua, & alter non accipiat; similiter & mulier alterum non accipiat. Gregorius sensit, Romanæ, ni fallor, provinciæ Episcopus.

Num. VI. *Qui propter faidam* (inimicitiam, apertam simultatem) *fugiunt in alias patrias, & admittunt uxores suas, nec ille vir, nec illa femina accipiat alterum conjugium. Gregorius sensit.*

Num. VII. *Si homo incestum commiserit cum Deo sacrata, aut matre sua, aut cum matrina sua de fonte aut confirmatione, aut cum matre & filia, aut cum duabus sororibus, aut cum matris filia, aut cum sororis filia, aut cum nepte, aut cum consobrina, aut cum amitta vel matertera, aut cum his quibus canones prohibent copulare: de istis criminibus pecuniam suam perdat, si habuerit; & si hæc emendare noluerit, nullus eum recipiat, nec cibum donet; & si fecerit,* LX. *solidos componat Domino Regi usque dum ipse homo se correxerit; & si pecuniam non habuerit, si liber eſt, mittatur in carcerem usque ad satisfactionem: si autem servus & libertus est, vapuletur plagis multis; & si dominus suus eum permiserit amplius in talem lapsum cadere, ipse* LX. *solidos Domino Regi componat. De reliquis vero propinquis juxta constituta sanctorum Patrum & juxta decreta canonum judicetur.*

In hoc capite alia sunt quæ divinis, alia quæ humanis legibus prohibentur, & in eos qui leges illas violant, pœnæ decernuntur. Humanæ leges hic nominatæ partim ex Theodosiani cod. lib. III. tit. III. *de incestis nuptiis, L. Manente;* partim ex Justiniani cod. libro V. tit. V. *de incestis nuptiis, L.* VI. *Si quis*, repetuntur, & supra in articulo III. Partis I. describuntur. Canones, quorum mentio fit, leges illas subsequuntur, non antecedunt: spirituales pœnas continent, quibus in legum violatores animadvertitur. Hæc notanda sunt, ne quis seipsum in transversum agat.

Num. XVI. *Mulier si sine comiato* (licentia) *viri sui velum in caput suum miserit, si viro suo placet, recipiat eam iterum in conjugium.*

Num. XVII. *Si quis homo filiastram suam contra voluntatem ipsius & matris & parentum dederit viro ingenuo aut Ecclesiastico vel servo, & illa noluerit habere ipsum, & reliquerit eum: potestatem habeant parentes illius dare illi alium maritum; & si*

jam maritum habet, non separetur.

Num. XVIII. *Si ingenua femina accipit servum, sciens quod servus esset, habeat eum: una enim lex erit & viro & feminæ.* Imperator hic explicat, quæ in articuli III. capite III. ex digestis, ex Justinianæo cod. atque ex novella XXII. arcessimus.

Num. XIX. *Si quis homo habens mulierem legitimam, si frater ejus adulteraverit cum ea, ille frater vel illa femina, qui adulterium perpetraverunt, interim quod vivunt, nunquam habeant amplius conjugium: ille vero, cujus uxor fuit, si vult, potestatem habet uxorem accipere aliam.*

Num. C. *Nullus igitur proprium filium vel filiam de fonte baptismatis suscipiat, nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem, nec illam, cujus filium vel filiam ad confirmationem tenuerit: ubi autem factum fuerit, separentur.* Ex Justiniani novella CXVII. cap. XI.

Num. CI. *Si quis viduam uxorem duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit, seu cum patre & filio tales copulationes anathematizari, nec unquam amplius conjugio sub magna districtione copulari.*

Num. CXIX. *Contradicimus quoque ut in quarta vel quinta generatione nullus amplius conjugio copuletur: ubi prius interdictum factum inventum fuerit, separetur.* In digestorum libro XXIII. tit. II. de ritu nuptiarum LIII. *Nuptiæ consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum liberorumve sunt, sive proximi, sive ulterioris gradus, sive usque ad infinitum.*

Num. CXLIX. *Quicunque propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depositis publicam habeat pœnitentiam; & si contumax fuerit, comprehendatur a comite, & ferro vinciatur, & in custodiam mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur.*

Num. CLVIII. *Nuptias prohibemus incestas, id est, usque adfinitatis lineam, vel quandiu inter se hereditare potuerint, non conjungantur, quia hæc potius incestiva, quam conjugia sunt judicanda.* In digestorum libro & lege mox laudatis.

Ex libro VI. num. CXXIII. *Christiani ex propinquitate sui*

sanguinis vsque ad septimum gradum connubia non ducant, neque sine benedictione Sacerdotis, qui ante innupti erant, nubere audeant. Theodosii legem amplificat ex digestorum libro & lege mox citatis.

Num. CCVI. *In quarta propinquitate carnis, quinta sextaque, non licet nubere, sicut scriptum est: Omnis homo ad propinquum sanguinis sui non accedat, vt revelet turpitudinem ejus, id est, vsque ad septimum gradum. Legitimum conjugium non licet separari sine consensu amborum: ita tamen vt ambo serviant innupti; potest autem alter alteri licentiam dare, accedere ad servitutem Dei, si ipse tamen innuptus vel innupta permanserit.*

Num. CCCVII. ex libro Theodosii III. cap. XII. de incestis: *Quod incesti non sint legitimi heredes, sed infamia sint notatæ vtræque personæ.*

Num. CCCVIII. *Ut deinceps, sicut canones Ecclesiastici prohibent, nullus Deo devotam virginem, nullus sub religionis habitu consistentem, sive viduitatis continentiam professam, vel sui proximam generis, aut etiam de cujus ammixtione incestivæ notam possit subire infamiæ, illicito connubio aut vi, aut consensu accipiat conjugem: quia nec verum poterit esse conjugium, quod a majori proposito deducatur ad deterius, & sub falsi nominis copula, incestiva pollutione & fornicationis immunditia perpetratur: hoc vero nefas, si agere amodo cujuslibet gentis homines sexus vtriusque tentaverint.* Ecclesiastici canones excipiunt Imperatorum leges quæ connubia hujusmodi prohibuerunt. Deinde illi canones convenientibus Sacerdotum ordini pœnis castigant eos, qui memoratum hic flagitium perpetrant: sed non reddunt personas ad contrahendum inhabiles, quia id pœnæ genus Imperatorum est, non Pontificum, vt multoties vidimus.

Num. CCCXIV. *Præcipimus vt juxta decreta canonum adulteria & incesta Matrimonia, quæ non sunt legitima, prohibeantur, & Episcoporum judicio emendentur.* Imperator qui ex vi & natura potestatis suæ judex est Matrimoniorum quæ sunt illegitima, id est, contra leges inita, horum judices constituit Episcopos, vt juxta decreta canonum prohibeantur & emendentur.

Num. CCCXVI. *Sciendum est omnibus, quod conjunctio ſpiritalis commatris maximum peccatum ſit, & divortio ſeparandum, atque capitali ſententia mulctandum, vel peregrinatione perpetua delendum.* Juſtinianææ legi pœnam addit mortis vel exilii.

Ex libro VII. num. CLXXXV. *Ut inceſtum nullum ſibi unquam ſociet conjugium: quod ſi contigerit, ab Epiſcopo loci illius ſeparentur, & publicam ſeptem annorum juxta canonicos gradus agant pœnitentiam.*

Ex eodem libro num. CCCXI. *Placuit ut hi qui rapiunt feminas vel furantur aut ſeducunt, ut eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis poſtmodum conveniat, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum conſenſu parentum ſuorum acceperint. Si quis autem uxorem habere voluerit, canonice & legaliter eam accipiat & non rapiat: qui vero eam rapuerit vel furatus fuerit aut ſeduxerit, nunquam eam uxorem habeat, ſed propinquis ſuis eam legibus reddat, & in triplo plenum bannum dominicum componat, & inſuper canonicam pœnitentiam gerat.*

Ex eodem libro num. CCCXXV. *Nullus fidelium uſque affinitatis lineam, id eſt, uſque in ſeptimam progeniem conſanguineam ſuam ducat uxorem, vel eam quoque modo inceſti macula polluat. Si quis vero hoc ſcienter temerare præſumpſerit, ſi liber eſt, banum noſtrum, id eſt,* LX. *ſolidos, fiſco noſtro perſolvat, & inſuper canonice ut inceſtus luat, ac publice juxta canonicos gradus pœniteat: ſi autem ſervus vel Eccleſiaſticus fuerit, publice flagelletur ac decalvetur, & juxta proprii Epiſcopi juſſionem pœnitentiam publice & canonice gerat. Quod ſi aliquis, tam liber quam ſervus aut Eccleſiaſticus, vel fiſcalium proprio Epiſcopo, vel ſuo Sacerdoti aut Archidiacono inobediens vel contumax, ſive de hoc, ſive de alio quolibet ſcelere extiterit: omnes res ejus a comite & a miſſo Epiſcopi ei contendantur, uſque dum Epiſcopo ſuo obediat, aut canonice pœniteat. Quod ſi nec ſe ita correxerit, & ad Epiſcopum & canonicam pœnitentiam venire diſtulerit, a comite comprehendatur, & in carcerem ſub magna ærumna retruſus teneatur, nec rerum ſuarum poteſtatem habeat, quouſque Epiſcopus juſſerit. Quod ſi comes vel ejus miniſtri hæc adimplere diſtulerint, canonice ab Epiſcopo vel a ſuo miniſtro excommunicetur, & uſque dum hæc pleniter adimpleat, ſemper communione Catholicorum ca-*

reat, vsque dum ipsi Episcopo humanius erga eum aliquid agere placuerit. Si vero, quod non optamus, ipse comes, aut de prædictis causis, aut de ipsa excommunicatione inobediens aut negligens apparuerit, honore comitatus pariter & communione careat, vsque dum ambo in nostram præsentiam veniant, vt nos illum Episcopali auctoritate Imperiali metu ita corrigamus, vt ceteri timorem habeant, ne deinceps talia committere vllatenus audeant. Hic in eos qui Matrimonium in vetitis affinitatis gradibus Imperator quantum sibi sumit potestatis, sive in iis quæ ad suam, sive in iis quæ ad Episcopalem auctoritatem pertinent edicti hujus lectio declarat.

Nunc si quis vt elevet auctoritatem rerum, quas a Carolo Magno decretas objicimus, Imperatorem hunc in nonnullis modum excessisse dicat: illi non ego, sed Gallicanæ Synodi quatuor respondebunt, Arelatensis, Moguntiaca, Turonensis & Cabilonensis, quæ omnes anno DCCCXIII. celebratæ sunt.

Arelatensis ad calcem canone XXVI. *Hæc igitur*, inquit, *sub brevitate, quæ emendatione digna perspeximus, quam brevissime adnotavimus, & Domino Imperatori præsentanda decrevimus, poscentes ejus clementiam, vt si quid hic minus est, ejus prudentia suppleatur; si quid secus quam se ratio habet, ejus judicio emendetur; si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio divina opitulante clementia perficiatur.*

Inter canones vndecimus est ejusmodi: *De incestis conjunctionibus, sicut a sanctis Patribus institutum est, nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint: incestos vero nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est, hos esse censemus. Si quis relictam fratris, quæ pene ejus soror extiterat, carnali conjunctione violaverit; si quis fratris germanam vxorem acceperit; si quis novercam duxerit; si quis consobrinæ suæ se societ; si quis relictæ, vel filiæ avunculi misceatur, aut patris filiæ, vel privignæ suæ concubitu polluatur, vel si quid est hujusmodi, quod & huc adnotare longum est, & in exitii barathrum negligentem quemlibet immergit.* Hæc ex memoratis supra Imperatorum legibus deprompta sunt.

Moguntiaca in præfatione ad Carolum Imperatorem: *De-*

his omnibus valde indigemus vestro adjutorio atque sana doctrina, quæ & nos jugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea, quæ paucis subter perstrinximus capitulis, a vestra auctoritate firmentur. Si tamen vestra pietas ita dignum esse judicaverit, & quidquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica & imperialis dignitas jubeat emendare, ut ita emendata nobis omnibus & cunctæ Christianæ plebi ac posteris nostris proficiant ad vitam, salutem, & ad gloriam sempiternam, vobisque inde merces, honor & laus & benedictio ac beatitudo permaneat in omnes æternitates sæculi.

Turonensis in præfatione: *Diffinitum itaque de locis & tempore, quando & ubi coadunari fuerit opus, & quod a tanto Principe nobis injunctum est, ad statuta loca convenimus: siquidem in urbe Turonis congregati Episcopi, Abbates & venerabilis Clerus pro parvitate nostra, quæ ad tantum opus pertinent, animadvertimus, & quæ secundum canonicam regulam emendatione indigent, districte per capitula adnotamus serenissimo Imperatori nostro ostendenda.* Deinde post canonem LI. subjicit: *Hæc nos in conventu nostro ita ventilavimus: sed quomodo deinceps piissimo Principi nostro de his agendum placebit, nos fideles ejus famuli libenti animo ad nutum & voluntatem ejus parati sumus.*

Cabilonensis in præfatione ad eundem Imperatorem: *Quædam capitula, quæ subter inserta sunt, eidem Domino Imperatori præsentanda, & ad ejus sacratissimum judicium referenda adnotavimus, quatenus ejus prudenti examine ea quæ rationabiliter decrevimus, confirmentur: sic ubi minus aliquid egimus, illius sapientia suppleatur.* Deinde post LXVI. canonem subnectit. *Hæc itaque pauca de pluribus, quæ necessaria perspeximus cum magna brevitate, Domini Imperatoris prudenti judicio præsentanda adnotavimus.*

Hæc autem quæ ex Gallicanis Synodis quatuor retulimus, non modicam habent levationem ægritudinum, quas difficiles quidam ac morosi homines possent ex Caroli Capitulis accipere; & sane non auro contra charum emerim insperatum, nec opinatum id genus levationis, quod ab hominibus minime suspectis offertur, ab omnibus nempe Conciliorum Arelatensis, Moguntiaci, Turonensis & Cabilonensis Anti-

ſtitibus : id quoque ab iis liberalitate ſumma, æquitate pari, & conſtantia non minore oblatum exhibuimus.

CAPUT IV.

Contracti inter Balduinum Comitem & Judith viduam Caroli Calvi filiam Matrimonii hiſtoria refertur, & inde regia in Matrimonium poteſtas aſſeritur.

HIC facienda nobis incumbunt duo. Unum contracti inter Balduinum & Judith conjugii hiſtoriam ex ſuis auctoribus referre. Alterum ex hac hiſtoria regiam in Matrimonium poteſtatem declarare. Conjugii hiſtoriam dabunt Carolus Calvus, Flodoardus, Nicolaus Papa & Hincmarus. Carolus quidem in Capitulis Capitul. XXX. cap. V. Flodoardus lib. III. hiſt. Remenſis cap. XII. Nicolaus in tribus epiſtolis, quarum vna ad Synodi Silvanectenſis Epiſcopos, duæ aliæ ad Carolum mittuntur. Hincmarus in epiſtola ad Nicolaum loco apud Flodoardum citato. Carolum igitur & Flodoardum audiamus; deinde tres Nicolai epiſtolas, tum Hincmari epiſtolam expendemus, ex quibus omnibus illius conjugii hiſtoria conſtabit.

Filiam noſtram, inquit Carolus, *Judith viduam ſecundum leges divinas & mundanas ſub tuitione Eccleſiaſtica, & regio mundeburdo conſtitutam, Balduinus ſibi furatus eſt in vxorem, quem poſt legale judicium Epiſcopi regni noſtri excommunicaverunt, ſecundum ſacros canones & definitionem ſancti Gregorii Papæ, qui dicit : Si quis viduam furatus fuerit in vxorem, & conſentientes ei, anathema ſit. Quæ verbis & literis nos & Epiſcopi regni noſtri nepoti noſtro Lotario innotuimus. Nos etiam, ſicut ſcitis, conſilio & conſenſu fidelium noſtrorum communiter confirmavimus, vt nemo noſtrum hujuſmodi hominem in regno ſuo recipiat, neque immorari permittat; ſed ad rectam rationem reddendam, & ad pœnitentiam agendam, ſicut ſtatutum eſt, illum redire cogat.* Hæc Carolus.

De conjunctione, inquit Flodoardus, *Balduini Comitis & Iudith indebita, quæ scilicet Iudith Caroli Regis filia Edinulpho Regi Anglorum, qui & Edeboldus, dudum fuerat in Matrimonium copulata, & Reginæ decore ac benedictione insignita, post cujus obitum venditis, quas in Anglorum obtinuerat regno, possessionibus, ad patrem revertitur quæ sub regali tutela decernitur; sed illa Balduinum Comitem, ipso lenocinante, & fratre suo Ludovico consentiente, secuta est. Unde Rex Carolus Episcopos ac ceteros regni Primates consulens post mundanæ legis judicium canonicam in jam dictum Balduinum & Iudith secundum edicta beati Gregorii depromi sententiam fecit.* Apud Carolum & Flodoardum duobus Balduini contra duo genera legum peccatis, duæ quoque judicum sententiæ respondent. Balduinus imprimis peccaverat adversus leges civiles, quibus, ne vidua rapiatur, aut citra parentum voluntatem nubat, interdicitur. Deinde peccaverat contra sacros canones, quibus civiles leges anathemate communiuntur, vt interim omittamus regiam & Ecclesiasticam tuitionem, cui viduæ peculiariter concreduntur: quod vtrumque Balduini scelus graviter auxerat. Quia vero civiles illæ leges sacros anteverterant canones, prima sententia lata est ab sæculi judicibus, eaque Ecclesiasticam antecessit. *Balduinum*, inquit Carolus, *post legale judicium Episcopi regni nostri excommunicaverunt.* Legale seu civile judicium Matrimonii contractum & impedimentum dirimens respicit; Ecclesiasticum vero canonum violationem vlciscitur, quibus, ne sæculi leges infringerentur, cautum erat sub anathematis pœna.

Quorsum vero Galliæ Præsules propter Sacramenti rationem, judicium de civili Matrimonii contractu non revocarunt ad se? Quorsum Ecclesiasticæ libertatis assertores vsurpatam a laicis hominibus jurisdictionem non conquesti sunt? Intelligebant sane viri prudentes, & nobis sacrorum rituum multo peritiores, Sacramenti rationem, quæ civili Matrimonii contractui succrevit, ad illum contractum seu constituendum, seu rescindendum nihil quidquam conducere, sed ad vtrumque civiles leges satis esse. Quod Gregorius II. cum videret, viduarum raptores, id est, qui civilibus hac in parte legibus

legibus vim intulerant, fidelium cœtu & communione summovendos decrevit. Tunc Magistratus civilis & Ecclesiasticus suos quisque agnovit potestatis fines, agnitosque retulit ad publicam regni salutem.

Sed reliquam ex Nicolao Papa persequamur historiam. Sic igitur ille scribit in epistola IX. ad Carolum Calvum: *Idcirco ad beatissima sanctorum Apostolorum Principum confugere limina, nostrumque pontificium Balduinus vasallus vester ardenti animo accedere studuit, qui vestram se habere indignationem, eo quod Judith filiam vestram illum præ ceteris diligentem sine vestræ voluntatis consensu in conjugium elegerit, eamque volentem acceperit, ore proprio retulit.* Deinde in epistola XXI. ad Synodi Silvanectensis Episcopos: *Ceterum de quo jam tam multa scripsistis, sciat beatitudo vestra, non nos regulas & sancta decreta velle corrumpere. Sed quia ad limina Apostolorum veniens a nobis se petiit adjuvari, quanquam nessimus, quod filius noster Carolus gloriosus Rex legaliter posset ei, si vellet, & filiam suam in uxorem dimittere, & misericordiæ suæ gratiam impertiri: tamen non jussa misimus, sed preces obtulimus.* Tum in epistola XXIII. ad Carolum: *Interea noverit dilectio vestra, Balduinum, unde nobis intimastis, qui natam vestram sibi furto contra fas sociavit, quem ideo venerandi Præsules Ecclesiam in regno vestro gubernantes vinculis anathematis obligarunt, ad limina Apostolorum accessisse, ut a vinculis solveretur, atque per nos gratiam inveniret, Sedem adiisse Apostolicam. Nos autem non solum eum a vinculis minime absolvimus, aut in communione nostra recepimus; sed potius tam præsumptuosam temeritatem detestati sumus. Verum quoniam ad divina se præsidia contulit, amatorumque Petri & Pauli Apostolorum Principum sibimet expetiit assore sulsidia, non potuimus o ittere, quominus vestram gratiam perciperet apud piam excellentiam vestram interveniremus. Verum vestram in omnibus præ oculis habentes dilectionem, quamquam sciamus, & filiam vestram, si libet, posse vos ei legaliter in uxorem dimittere, & pietatis vestræ gratiam impertiri: tamen non jussa misimus, sed preces obtulimus.*

Quinque observatu digna Nicolaus suggerit in epistolis. Unum, quod Balduinus sine Caroli Regis consensu Judith

in conjugium elegerit, eamque ſibi furto contra fas ſociaverit. Alterum, quod Balduinus Judith volentem in vxorem acceperit. Tertium, quod legaliter poſſit Rex Balduino Judith in vxorem dimittere, eique miſericordiæ ſuæ gratiam impertiri. Quartum, quod excommunicatum ab Epiſcopis Galliæ Balduinum in ſuam admittere noluerit communionem. Quintum, quod Nicolaus Carolo non juſſa, ſed preces obtulerit pro Balduino.

Ex prima obſervatione conſtat, Balduinum in leges civiles, quæ raptum prohibent, peccaſſe: idem enim eſt hoc loco Judith Regis filiam ſine conſenſu Regis elegiſſe in conjugium, ac eandem ſibi furto contra fas junxiſſe. At ſibi contra fas & furto junxiſſe feminam, quid aliud eſt, quam ruptis civilium legum repagulis vxorem duxiſſe?

Ex ſecunda manifeſtum eſt, nomen & crimen raptus non in eo tantum quod aliqua mulier nolens rapiatur & invita, ſed & in defectu conſenſus eorum, quorum intereſt ex jure, conſiſtere. Cur enim alias Balduinus, qui Judith volentem in vxorem acceperat, raptus & furti accuſaretur? Quo fit, vt Judith raptus in defectu regii conſenſus omnino fundetur.

Ex tertia ſupponi a Pontifice liquet, ex voluntate Regis pendere, vt Balduinus Judith retineret in vxorem, vel non retineret. Rex enim ſi poſſit Judith Balduino in vxorem dimittere, eique hanc impertiri gratiam, poterit etiam non dimittere, eique hanc gratiam denegare. quo in caſu non eſſet amplius Matrimonium, ſed duorum male ſociatorum contubernium. Recte vero Pontifex dicit, Carolum poſſe legaliter Balduino Judith in vxorem dimittere, cum poſſit legum auctoritatem remittere, & quæ defuit, celebrandi Matrimonii licentiam indulgere.

Ex quarta colligitur laudabile Pontificis in retinenda Eccleſiæ diſciplina ſtudium. Siquidem Balduinum, quem juſte abſtentum noverat, in ſuam communionem recipere noluit. Sed cur Balduinus ab Epiſcopis Galliæ excommunicatus fuit, niſi quod civiles leges Gregorii II. anathemate communitas violaverat?

Ex quinta infertur, Carolum justissima de causa infensum fuisse Balduino, quod pro eo Nicolaus Papa non jussa, sed preces tantum Regi obtulerit.

Verum hæc ferme omnia, quæ ex epistolis Nicolai Papæ observavimus, confirmat Hincmarus in epistola ad Nicolaum, loco apud Flodoardum citato : *Ad cujus instar Apostolorum Vicarius, ad quorum limina confugerunt, & Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ summus Pontifex, quod in hominem Regem, & in leges sæculi peccatum est, perdonari petiistis, vt quod in Regem cæli & terræ, & in leges cælestis regni offensum erat, haberent inducias per pœnitentiam abolendi.* Peccavit ergo Balduinus & in Regem & in sæculi leges, quibus prohibetur raptus. Peccavit quoque in canones, quibus qui contra civiles leges faciunt, Ecclesiastica communione privantur. Sed Hincmarus speciatim dicit a Balduino peccatum esse in hominem Regem : quoniam multo gravior est offensa in hominem, qua Rex, quam qua pater est; quippe major est Regis in subditos, quam patris in filios potestas. Filii paterno jure liberari possunt aliquando; subditi regio nunquam possunt, si subditi remaneant : homo, qua pater, nullam legem Matrimonium dirimentem statuere potest; homo, qua Rex, legem Matrimonium dirimentem statuere potest.

Verumenimvero Rex postea Nicolai precibus victus, vt Judith nuberet Balduino, concessit, quemadmodum testatur in eadem epist. Hincmarus : *Balduinus & Iudith jura legum sæcularium, quæ elegerunt, exequi studuerunt. Dominus enim noster Rex filius vester huic desponsationi & conjunctioni interesse non voluit; sed missis publicæ rei ministris, sicut promisit, secundum leges eos vxoria conjunctione ad invicem copulari permisit, & honores Balduino pro vestra solummodo petitione donavit.* Ecce tandem instauratum denuo conjugium juxta leges sæculi, & receptam de obtinendo eorum, quorum interest, assensu consuetudinem. Quorsum vero his in omnibus Pontifex aut Episcopi non sibi vindicant de valore contractus Matrimonii judicium? Quorsum id legibus sæculi, & earum assertoribus permisit? Noverat sine dubio Pontifex, noverant Episcopi Galliæ, Christum Principibus reliquisse auctoritatem ordinandi Ma-

trimonium, quod cum legitimum, hoc eſt, ad optimatum legum amuſſim foret, tum demum ad Sacramenti conditionem veheretur.

Hæc de Balduini & Judith conjugii hiſtoria, quam neque ex Halliano, neque ex Gillio, neque ex Belleforeſto, vel aliis recentioribus hiſtoricis, ſed ex quatuor hominibus ocularis teſtibus confecimus.

CAPUT V.

Alia exempla pro regio in Matrimonium jure ex Nicolai Papæ epiſtolis eruuntur.

DE epiſtolis Nicolai Papæ, quas ſuperiori capite laudavimus, alia duo conjugiorum id genus exempla deduximus. Et primum quidem ex epiſtola ad Carolum nona: *Sanctorum*, inquit, *Apoſtolorum Petri & Pauli auxilium ipſe Balduinus magis, quam Regum fide quæſivit, noſtraque dilectione, quam vos luculenter habere agnoſcimus, jam dicto Balduino, quia & tale jam olim aliis eveniſſe Regibus ſcitur, indulgentiam pariter & plenariam gratiam largiamini, ut veſtræ amplitudinis benignitate fretus conſiſtat, maneatque inter ceteros vobis fideles ſecurus.* A Rege Nicolaus poſtulat, ut quam aliis in pari cauſa ſuperiores Reges impertierant, eam ipſe Balduino gratiam imperțiret: uno verbo, ut ſicut alii Reges in civilibus legibus, quæ de Matrimonio latæ ſunt, diſpenſaverant, ſeu potius veniam fecerant, ſic & ipſe Carolus cum Balduino ſeſe gereret. Qui ergo infractæ legis veniam concedit, aut legis auctor eſt, vel auctori legis in pleno parive jure ſuccedit.

Alterum exemplum idem Nicolaus ſuppeditat in epiſtola XXIII. ad Carolum: *Non plane immemor*, inquit, *quod ante aliquot annos quidam, qui in hujuſmodi noxam incurrerat, memoriam & ſedem adiiſſet cæleſtis clavigeri, ejuſque Vicarii interventu apud piæ memoriæ Imperatorem non perdita conjuge pleniſſimam indulgentiam ſimul & gratiam percepiſſet.* Quibus ſup-

ponit Pontifex, hominem illum, de quo ſumit exemplum, perditurum eſſe conjugem, niſi ſolutis legum vinculis indulgentiam apud Imperatorem nactus eſſet. Quod ergo conjugem non amiſerit, qui poterat amittere, ex beneficio Principis, non ex juſtitia proceſſit.

Deinde cum Pontificem aptiſſima ſuum ad negotium exempla producere credendum ſit : inde ſequitur, illum optime noviſſe regiam in Matrimonium poteſtatem, & dudum legitime receptam de obtinendo Regis conſenſu in contrahendis procerum conjugiis conſuetudinem. Alioquin is non fuit Nicolaus, qui in vindicandis Eccleſiæ Sacramentis & cauſis ſolas preces adhiberet. Teſtatur hoc in Gallia Rothadi Epiſcopi ſuam in ſedem reſtitutio; teſtantur minaces ad Carolum noſtrum ea de re literæ; teſtatur attentatum a Lothario divortium. Conſtantiſſimum ergo debuit eſſe Caroli Regis jus in ſubditorum Matrimonium, in quo tam ſtudioſe tractando Pontifex ſolas preces adhibuit. Verum quid in Matrimonium poſſint Principes, Nicolaus ipſe docet prima parte tractatus noſtri art. I. cap. XII.

CAPUT VI.

Caroli Calvi pro regio in Matrimonium jure edictum refertur.

EST inter capitula Caroli Calvi capitulum XXX. quod inſcribitur, *Quando HLotarius ad oſculum receptus eſt.* In eo varia tractantur negotia, quæ ad publicam regni adminiſtrationem pertinent: pertinere vero Matrimonium nemo dubitat, de quo ſic ſtatuitur num. XXXI. *Si autem de iſtis partibus* (Galliæ) *in illis partibus* (Nortmannorum) *femina maritum, aut maritus feminam accepit, illud conjugium, quia non eſt legale neque legitimum, ſicut Leo in ſuis decretis, & ſanctus Gregorius in ſuis epiſtolis monſtrant, diſſolvatur; & cujus fuerit vir vel femina, mancipium ſuum quæque poteſtas recipiat, & ſuæ po-*

testatis homini conjungere faciat; & si infantes inde nati sunt, secundum legem & antiquam consuetudinem nostram infantes matrem sequantur. In illis autem regionibus, quæ legem Romanam sequuntur, secundum eandem legem fieri exinde decrevimus. Ut conjugium dicitur legale ac legitimum, quod secundum leges a Principibus latas contrahitur; sic & conjugium dicitur non legale nec legitimum, quod adversus easdem leges contrahitur. & hoc ipsum est quod Carolus Calvus in se recipit: *Ludovicus Balbus obiit, duos filios relinquens, id est, Ludovicum & Carlomannum ex puella nomine Ausgard, interdicta a Carolo patre suo, quia sine consilio suo vxoravit eam; pater sibi vxorem Adelheis conjunxit, quæ post mortem viri genuit filium, avi nomine, id est, Carolum.* Sic Reges violatas de non contrahendo, insciis parentibus, Matrimonio civiles leges perpetuo sunt vsi, & contracta liberorum Matrimonia dissolverunt. Et quamvis tunc Matrimonium non minus quam hodie Sacramentum esset: id tamen non movit sacerdotalem ordinem, vt de vsurpata a Principibus jurisdictione conquereretur.

Porro civiles illæ leges, quarum violationem vlciscebantur nostri Principes, novæ non erant, sed antiquæ, & antiqua traditione confirmatæ.

In Digestorum libro XXIII. tit. II. de ritu nuptiarum, L. X. *Si ita pater absit vt ignoretur vbi sit, & an sit, quid faciendum est, merito dubitatur; & si triennium effluxerit postquam apertissime fuerit pater ignotus, vbi degit, & an superstes sit, non prohibentur liberi ejus vtriusque sexus Matrimonium vel nuptias legitimas contrahere.*

Iterum L. XI. *Si filius ejus, qui apud hostes est, vel absit, ante triennium captivitatis vel absentiæ patris vxorem duxerit, vel si filia nupserit, puto recte Matrimonium vel nuptias contrahi, dummodo eam filius ducat vxorem, vel filia tali nubat, cujus conditionem certum sit patrem non repudiaturum* Utraque lege quam necessarius sit ad liberorum Matrimonium consensus parentum luculenter apparet. Ubi sunt exceptiones, ibi regulæ firmantur in contrarium.

Iterum in Justinianæi cod. libro V. tit. IV. de nuptiis, L. XXI. *Nec filium quidem familias invitum ad vxorem ducendam*

cogi, legum disciplina permittit: igitur, sicut desideras, observatis juris praeceptis, sociare conjugio tuo quam volueris, non impedieris: ita tamen, vt contrahendis nuptiis patris tui consensus accedat.

Postremo in Institutionum libri I. tit. X. de nuptiis: *Iustas autem nuptias inter se cives Romani contrahunt, qui secundum praecepta legum coeunt: masculi quidem puberes; feminae vero viripotentes, sive patresfamilias sint, sive filiifamilias: dum tamen, si filiifamilias sint, consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere, & civilis & naturalis ratio suadet: in tantum vt jussum parentis praecedere debeat.* His autem legibus quatuor filiifamilias redduntur ad contrahendum Matrimonium vsque inhabiles, dum parentum consensus accedat, nisi quibus in eventis ponuntur exceptiones.

Tertullianus ad vetustiores leges respectum habet duobus in locis. Unus est in libri ad vxorem secundi capite IX. *Unde sufficiam ad enunciandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio, renuntiant angeli, pater ratum habet. Nam nec in terris filii sine consensu patrum rite & jure nubunt. Iure* quidem ait, quia id civiles leges statuunt. Alter est in libri de velandis virginibus capite XI. *De ceteris vero, id est, quae desponsatae non sunt, viderit parentum procrastinatio ex angustiis & scrupulositate descendens.*

Basilius Magnus Tertullianum sequitur in can. XLII. *Quae sine his, qui potestatem habent, fiunt Matrimonia, sunt fornicationes: neque ergo vivente patre nec domino ii qui conveniunt, sunt ab accusatione liberi, donec conjugio domini annuerint; tunc enim accipit firmitatem conjugium.*

Ambrosius Basilium sequitur in epistola LXXII. ad Cynegium: *Quam ingenuo te commendasti pudore, quia de eo consuleres, quod non probares; sed morem gereres parenti, vt pietatem non laederes, securus quod non aliud a me posset referri, nisi quod sanctas deceret necessitudines. Ego vero libenter tua in me onera suscepi, & avo neptem, vt opinor, refudi, quam nescio plane qua opinione nurum sibi fieri desiderabat, vt avum socero mutaret. Plura non opus est, ne hoc quoque accedat ad verecundiam.*

Carthaginense Concilium IV. in can. XIII. *Sponsus &*

sponsa cum benedicendi sunt, a parentibus suis vel paranymphis offerantur.

Aurelianense Concilium IV. antiquas leges illas sic exequitur in can. XXII. & severitate excommunicationis corroborat: *Ut nullus per imperium potestatis filiam competere audeat alienam, ne conjugium, quod contra parentum voluntatem impie copulatur, velut captivitas judicetur; sed, sicut est prohibitum, non admittatur: si qui perpetraverint, excommunicationis severitas pro modo piaculi imponatur.*

Parisiense Concilium III. can. VI. *Et quia utilium rerum cœpit causa tractari, hoc universitas præcavere quoque debet, tam Sacerdotes quam Principes, omnisque populus, ut nullus res alienas competere a Regis audeat potestate. Nullus viduam, neque filiam alterius extra voluntatem parentum aut rapere præsumat, aut Regis beneficio æstimet postulandam. Quod si fecerit, similiter ab Ecclesiæ communione semotus, anathematis damnatione plectatur.*

Toletanum Concilium III. can. X. *Pro consultu castitatis, quod maxime hortamento Concilii proficere debet, annuente domino nostro gloriosissimo Recaredo Rege, hoc sanctum affirmat Concilium, ut viduæ, quibus placuerit tenere castitatem, nulla vi ad nuptias iterandas venire cogantur: quod si priusquam profiteantur continentiam, nubere elegerint, illis nubant, quos propria voluntate elegerint habere maritos. Similis conditio & de virginibus habeatur, ne citra voluntatem parentum, vel suam coguntur maritos accipere. Si quis vero propositum castitatis viduæ vel virginis impedierit, a sancta communione, & a liminibus Ecclesiæ habeatur extraneus.*



CAPUT

CAPUT VII.

Exemplum pro regio in Matrimonium jure ex Ludovico Balbo quæsitum refertur.

QUOD exemplum ex Ludovico Balbo quæsitum refe- rimus, traditur a Reginone lib. II. Chronici ann. DCCCLXXXVIII. vbi rem propriis vsurpatam oculis descri- bit. *Habuit autem Ludovicus Balbus*, (Caroli Calvi filius) *cum adhuc juvenilis ætatis flore polleret, quandam puellam nobilem, nomine Ansgard, sibi conjugii fœdere copulatam, ex qua duos sus- cepit filios elegantioris formæ ac ingentis animi virtute præstan- tes; horum vnus Ludovicus, alter Carolomannus vocabatur. Sed quia hanc sine genitoris conscientia & voluntatis consensu suis amplexibus sociaverat, ab ipso patre ei postmodum interdicta, & interposito jurisjurandi sacramento ab ejus consortio in perpetuum separata: tradita est autem ei ab eodem patre Adelheidis in Ma- trimonium, quam gravidam ex se reliquit.* Idem propemodum refert Marianus Scotus lib. III. Chronici anno DCCC- LXXVIII.

Cur autem a quibusdam historicis Sigeberto & aliis Ans- garde concubina, Adelheidis vxor vocetur, alia ratio nulla est, nisi quod Matrimonium Ludovici cum Ansgarde de fa- cto, non de jure contractum esset. Quo fit etiam, vt quia Ansgarde apparebat legitima, nonnunquam vxor appellata fuerit, vt auctor est Hincmarus in edito apud Flodoardum de duabus Ludovici filii Caroli vxoribus opusculo.

Ceterum Adelheidis *enixa puerum, cui nomen avi imposuit, eumque Carolum vocitari fecit*, vt scribit Regino ad eundem annum. Hic autem Carolus Simplex postea dictus, solus le- gitimus fuit: Ludovicus vero & Carolomannus spurii, cum initum Ludovici Balbi cum Ansgarde connubium nullum fuisset. Quod & ipse Ludovicus Balbus agnovit, vbi relicta Ansgarde, Adelheidem in vxorem accepit. Quocirca æquales

historici, prætermissis Ludovico & Carolomanno, Carolum Simplicem faciunt vnicum Ludovici Balbi heredem. Ado Viennensis, *Ludovicus quoque filius*, inquit, *Caroli*, *Carolum*, *qui dictus est Simplex, heredem regni puerum dimisit.* Ademarus, *Defuncto*, inquit, *Rege Ludovico, regnavit pro eo filius ejus, Carolus cognomento Insipiens vel minor.* Fragmentum Historiæ Francicæ apud Petrum Pithœum : *Ludovicus post administratum biennio regnum anno ab incarnatione Domini* DCCC-LXXXVIII. *diem obiit vltimum, relinquens filium in cunis nomine Carolum, qui postea Simplex cognominatus est.* Hinc Ludovicus & Carolomannus cum hereditario jure regnare se non posse cernerent, ad regnandum eligi se curarunt. Qua de re sic apud Flodoardum lib. III. hist. Remensis cap. XIX. *Hincmarus ad filios quoque ipsius defuncti Regis* (Ludovici Balbi) *Ludovicum & Carlomannum pro electione canonica Tornacensis & Noviomensis obtinenda post obitum Ragenelmi Episcopi. Item pro electione jam facta, quam indigne tulerant ab ipso Archiepiscopo fuisse dispositam. Item pro eadem re, ostendens qualiter in electione ipsorum consenserit, quando electi sunt ad regni principatum, & quæ ab eis pro hac electione mandata perceperit.* Huic electioni fidem quoque facit manuscriptum sancti Dionysii chronicum apud Belleforestum, vbi memoriæ proditur, Ludovicum & Carolomannum fratris sui Caroli defensionem ac tutelam suscepisse, vt obsisterent Bosoni, qui eosdem Ludovicum & Carolomannum asserens esse spurios, conabatur regnum invadere, atque vt satisfacerent Galliæ optimatibus, qui inter hujus temporis turbas cœperant oculos in verum regni heredem conjicere, quem nolebant hereditate fraudare. Quare Ludovicus & Carolomannus non tam Reges quam Regentes, vt loquuntur, seu Caroli tutores fuere. Et licet vncti fuerint, nihil omnino prodest, cum & Odo vnctus fuerit, qui ejusdem Caroli tutor fuit. Utrumque testatur Aimoini continuator. *Carolus qui Simplex postea dictus est, in cunis ævum agens, patre orbatus remansit, cujus ætatem Franciæ primores incongruam, vt erat, exercendæ dominationi arbitrati, maxime cum jam recidivi Nortmannorum nuntiarentur motus, & Hugone Abbate jam defuncto non esset qui eorum furori obsi-*

fieret, consilium de summis ineunt rebus. Supererant duo filii, Roberti Andegavensis Comitis. (qui fuit Saxonici generis vir) Senior ex his Odo dicebatur. Robertus alter patrem nomine referens; sed ex his majorem natu Odonem Franci, Burgundiones, Aquitanensesque proceres congregati in vnum, licet reluctantem, tutorem Caroli pueri regnique, elegere gubernatorem, quem vnxit Gauterius Episcopus Senonum, qui mente benignus, & reipublicæ hostes arcendo strenue præfuit, parvulum fovit, eique semper extitit fidelis: quo obeunte recepit regnum Carolus puer, qui vocabatur Simplex, filius Ludovici. Francos etiam Carolo Crasso regni tuitionem commisisse, minorenni adhuc Carolo Simplice, testatur Flodoardus lib. IV. hist. cap. V. *Totius itaque regni curam agens idem Domnus Archiepiscopus Fulco literas dirigit Carolo Regis Ludovici Transrhenensis filio pro tutela & defensione Francorum regni, quod in his partibus a Normannis multipliciter opprimebatur.*

Quin autem mortuo Ludovico Balbo, magna in Galliis acciderit rerum perturbatio, negari non potest. Id enim Sigebertus in chronico testatur; sed negari quoque non potest, quin contractum a Ludovico Balbo cum Ansgarde Matrimonium Franci judicarint vt invalidum, prognatosque ex eo Ludovicum & Carolomannum tanquam spurios habuerint, sive cum eis tuitionem regni commiserunt, sive cum eos ad regnandum elegerunt, non vera & legitima successione, sed electione sola regnare posse arbitrati, quod genus electionis locum habere pridem desiit.

CAPUT VIII.

Quædam in causis impedimentisque Matrimonii constitutionum Caroli Calvi Capitula recensentur.

CAROLUM Magnum excipit Carolus Calvus in capitulis, & primum quidem in edicto Pistensi num. XXXI. *Si de istis partibus in illis partibus femina maritum, aut maritus fe-*

minam accepit, illud conjugium, quia non est legale, neque legitimum, sicut Leo in suis decretis, & sanctus Gregorius in suis epistolis monstrant, dissolvatur, & cujus fuerit vir vel femina, mancipium suum quæque potestas recipiat, & suæ potestatis homini conjungere faciat; & si infantes inde nati sunt, secundum legem & antiquam consuetudinem nostram infantes matrem sequantur: in illis autem regionibus quæ legem Romanam sequuntur, secundum eandem legem fieri exinde decrevimus. Hic Carolus lata lege sub pœna rescissionis præcipit, ne Franci cum Nortmannis conjugio jungerentur. Quod impedimenti dirimentis genus ad cultus disparitatem referri potest, cum tunc temporis Nortmanni Christianam nondum suscepissent fidem.

Idem Carolus in capitulo apud Carisiacum anno DCCCLXXVII. cap. VI. edixit: *Ne si ipse moreretur, filia inconsulta matre nuberet de filiabus nostris, cum quo honore secundum Dei voluntatem, & quali salvamento aut adjutorio consistere debeant. Quod etiam parvulæ nostræ filiæ datum habemus, aut deinceps dederimus, cum quali securitate tenere possit. Et si Deus eam ad perfectam ætatem pervenire donaverit, in matris suæ sit potestate, & a nullo contra ipsius voluntatem, vel marito tribuatur, vel sacrum ei velamen imponatur.* Capitulum istud Carolus Calvus edidit, non qua pater, sed qua Rex, vel Imperator, ne quis nobiscum tricetur. Sola enim patris potestas, vt in reliquis hominibus, sic in Rege ferendis legibus par esse non potest, quamvis debita parentibus reverentia & debitus honos idoneum sit sanciendæ legis argumentum. Sed legislatore opus est, cujusmodi non est homo, qua parens, sed qua Princeps. Qui perspectos patriæ potestatis fines non haberet, istud ab Innocentio III. doceretur in cap. *Per venerabilem. Insuper cum Rex superiorem in temporalibus minime recognoscat, sine juris alterius læsione in eo se jurisdictioni nostræ subjicere potuit, in quo videretur aliquibus, quod per seipsum non tanquam pater cum filiis, sed tanquam Princeps cum subditis potuit dispensare.* Quemadmodum ergo Rex, vt patet illegitimos filios non potest natalibus restituere, sed vt Princeps; sic & filiæ, ne sub pœna dirimendi Matrimonii contrahat inconsulta matre, non tanquam pater, sed tanquam Princeps, Carolus interdixit.

CAPUT IX.

Jus regium in impedimentis Matrimonium dirimentibus & divortiis, a Conciliis Episcoporum Galliæ agnoscitur.

HOc capite nobis efficiendum est, vt quam Reges in Matrimonia potestatem exercuerint, hanc eandem Gallicani Præsules in suis Synodis agnoscant.


In Concilio Moguntiaco quod anno DCCCXIII. habitum est, can. LVI. *Si quis viduam uxorem duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit, aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre & filio, tales copulationes anathematizari, nec vnquam amplius conjugio sub magna districtione copulari.* Hæc ex capitulatibus, quæ suis canonibus Concilium inserit; sed hæc quæ reipsa sunt juris civilis, & id genus alia effecerunt, vt Concilium Imperatorem sic alloqueretur in præfatione: *De his tamen omnibus valde indigemus vestro adjutorio atque sana doctrina, quæ & nos jugiter admoneat atque clementer erudiat, quatenus ea, quæ paucis subter perstrinximus capitulis, a vestra auctoritate firmentur: si tamen vestra pietas ita dignum esse judicaverit, & quidquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica Imperialis dignitas jubeat emendare, vt ita emendata nobis omnibus & cunctæ Christianæ plebi ac posteris nostris proficiant ad vitam & salutem.* Ingenua Præsulum confessio in iis, quæ ad Imperatoriam dignitatem spectare crediderunt.

In Concilio Arelatensi VI. can. XI. *De incestis conjunctionibus, sicut a sanctis Patribus institutum est, nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione separaverint; incestos vero nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est, hos esse censemus; si quis relictam fratris, quæ potius soror prius extiterat, carnali conjunctione violaverit; si quis fratris germanam uxorem acceperit; si quis novercam duxerit; si quis*

consobrinæ suæ se societ; si quis relictæ, vel filiæ avunculi misceatur, aut patris filiæ, aut privignæ suæ concubitu polluatur. Arelatenses Patres canonis Summam ex lib. VII. Capitul. num. CCCXXXVII. deprompserunt, & diversis incestarum conjunctionum generibus amplificaverunt. Quare lex ista ex civili jure deprompta, canonibus Arelatensibus inserta est; & quamvis lex ab Imperatore vim non habuisset antea, vt haberet ab eodem necesse esse consentiunt, sic ad Imperatorem scribentes capite vltimo: *Hæc igitur sub brevitate, quæ emendatione digna perspeximus, quam brevissime adnotavimus, & Domino Imperatori præsentanda decrevimus, poscentes ejus clementiam, vt si quid hic minus est, ejus prudentia suppleatur; si quid secus, quam se ratio habet, ejus judicio emendetur; si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio divina opitulante gratia perficiatur.* Arelatensis Concilii Patres non ita ad Imperatorem, opinor, scriberent, nisi suis canonibus inesse nonnulla, quæ ad politicam rationem pertinerent, aliis verbis meram suorum canonum executionem postularent. Ad politicam autem rationem quid hic pertineret magis, quam institutio legum, quæ contractum cum tali vel tali persona Matrimonium dirimant? Nunc vero insignem Episcoporum de regio in divortia, vel in affine divortiis negotium jure contestationem exhibeamus. Illam offert Hincmarus in opusculo, quod de Lotarii & Tetbergæ Reginæ divortio composuit. *Femina quædam*, inquit, *non ignobilis genere, nomine Northildis, de quibusdam inhonestis inter se & virum suum vocabulo Agembertum ad Imperatorem publice proclamavit, quam Imperator ad Synodum destinavit, vt inde episcopalis auctoritas quid agendum esset, decerneret. Sed Episcoporum generalitas ad laicorum ac conjugatorum eam remisit judicium, vt ipsi inter illam & suam conjugem judicarent, qui de talibus negotiis erant cogniti, & legibus sæculi sufficientissime præditi, eorumque in legalibus judiciis eadem femina se subjiceret, & quod de quæstione sua decrevissent, sine repetitione teneret. Si vero crimen aliquod esset, vnde pœnitentiæ modum post illorum judicium ab episcopali auctoritate deposceret, secundum quod sacri canones præfixerunt, & imponere non negarent: nobilibus autem laicis sacerdotalis discretio placuit, quia de suis con-*

jugibus eis non tollebatur judicium, nec a sacerdotali ordine inferebatur legibus civilibus præjudicium; & legem proclamationi feminæ protulerunt, ac legali judicio terminum contulerunt. Causæ istius ordo notetur, & qui civilium atque Ecclesiasticorum judiciorum fines demonstrentur, diligentius observetur. Femina virum suum in judicium coram Imperatore vocat, Imperator feminam ad Synodum Episcoporum mittit, Synodus ad sæculares judices feminam remittit, tum vt laici de suis conjugibus judicent, tum vt laicis de vsurpata ab Antistitibus jurisdictione conquerendi tolleretur occasio. Deinde si post laicorum sententiam dignum pœnitentia crimen occurreret, tam femina quam vir ad Episcopos redeant, a quibus tum demum pœnitentiæ modus indicatur. Post tantos finium regundorum arbitros, qui Theologi sæcularium Principum jura nunc imminuunt, nobiscum dicant, placere requiri terminos, quos Hincmarus cum aliis Episcopis pegerit, iisque parere. Ceterum quæ hic scribit Hincmarus, pluries repeto, digna scilicet quæ centies repetantur.





ARTICULUS III.

Impedimenta & causæ ejusdem generis matrimoniales quæ ad tertiam Regum Galliæ stirpem pertinent, attinguntur.

CAPUT I.

Robertus Rex Galliæ contra Theodosii legem ducens vxorem in causa fuit, cur Romanum Concilium regiam in Matrimonium potestatem confirmarit.

INSCRIPTIO capitis hujus paradoxum quid importat; sed paradoxum illud esse desinet, cum res sincere ex duobus Romani Concilii, quod anno DCCCCXCVIII. habitum est, canonibus proponetur: sic igitur se habent canones illi duo: nempe primus.

Ut Rex Robertus consanguineam suam Bertam, quam contra leges in vxorem duxerat, derelinquat, & septem annorum pœnitentiam agat, vt secundum præfixos Ecclesiasticos gradus judicatum est: quod si non fecerit, anathema sit. idemque de eadem Berta fieri præceptum est.

Secundus. *Erchambaldum Turonensem Archiepiscopum talis conjugii consecratorem cum omnibus Episcopis, qui consentientes interfuerunt his incestis nuptiis Regis & Berthæ consanguineæ suæ, a sacrosancta communione suspendimus, donec ad hanc Sedem Apostolicam veniant satisfacturi.*

1. In canone primo Robertus Bertam Odonis Comitis filiam consanguineam suam ducit in vxorem contra Theodosii legem, qua ne quis tale Matrimonium contrahat, prohibetur. Romanum Concilium, cui Gregorius V. præfuit, decernit,

cernit, vt Rex Bertam dimittat, & ei, ficut & Bertæ, propter admiffum crimen annorum feptem pœnitentiam imponit. quo pacto Concilium Theodofii legem in tantum exequitur, in quantum exequi potuit: atque ita Robertum & Bertam tractando regiam in Matrimonium poteftatem confirmat; & id fane dubitationem nullam habet.

II. In canone I. vt omnis tollatur tergiverfandi occafio, Robertus contra leges, non contra canones in vxorem duxiffe Bertam dicitur. Concilii Patres id omne quod in articuli III. capite I. de confanguinitatis impedimento tradimus, pro eruditione fua noverant. Quare mirum non eft, fi pro æquitate fua fecundum Theodofii legem judicarunt.

III. Robertus Concilio paruit, & parendo quantum apud Sedem Apoftolicam latæ ab Imperatoribus de Matrimonio leges valerent, luculenter oftendit, & privato obfequio fuo, quod femper prædicandum eft, & nufquam filendum, obfequendi legibus ejufmodi exemplum præbet ampliffimum, & æternam illis auctoritatem conciliat. In fumma Rex & Sedes Apoftolica in eo conveniunt, vt impedimenta Matrimonium dirimentia quæ ftatuerunt Principes, diligenter obferventur.

IV. In canone I. confideranda funt duo, Matrimonii diffolutio, & annorum feptem pœnitentiæ impofitio: prius, quia fæculi leges refpicit, regiæ poteftati afferitur; pofterius, quia peccati vindictam attinet, facræ Pontificum auctoritati vindicatur: fic vtrique foro, quod fuum eft, Romana Synodus cum attribuat, quis deinceps vtriufque fori jura vellet confundere ac permifcere?

V. In vtroque canone Berta Roberti non commater, fed confanguinea tantum appellatur. Hinc erret neceffe eft Helgaudus Floriacenfis Monachus, cum in vita Roberti Regis ait: *Commatrem & fibi propinquitatis vinculo nexam duxit vxorem, reprehenfus ab Abbone Floriacenfium a Deo praelecto Abbate, quam fibi male copulaverat, dereliquit. Berta illi nomen fuit.* Hic error confirmatur a Leone IX. cum in epiftola ad Henricum Regem apud Ivonem in decreti parte IX. de incefta copulatione cap. VIII. ait: *Pater tuus Robertus laude & confultu Epifcopo-*

rum regni sui Bertam matrem Odonis Comitis sibi duxit uxorem, ob quam rem quoniam sibi erat carnis affinitate conjuncta, ab antecessore nostro cum Episcopis, qui placito interfuerunt, reprehensi sunt: postea ad Sedem Apostolicam venientes cum satisfactione, sumpta pœnitentia, redierunt ad propria. Pontifex Bertam non Roberti commatrem, sed carnis duntaxat affinitate conjunctam fuisse tradit. Robertus autem illa dimissa duxit Constantiam Willelmi Comitis Arelatensis filiam, ex Blanca sorore Fulconis Comitis Andegavorum.

VI. Ex secundo canone manifeste quoque apparet, quanta fuerit Romæ in conservanda Imperatoriarum legum, quæ ad reipublicæ bonum referuntur, auctoritate firmitas & constantia. Turonensis Archiepiscopus incesti Matrimonii consecrator, & consentientes alii Episcopi a communione suspenduntur Ecclesiastica, donec ad Sedem Apostolicam proficiscantur, satisfacturi & rationem facti sui reddituri. Cum vero profecti sunt, quam satisfactionem & rationem reddiderint, memoriæ, quod sciam, traditum non est: hoc ignorare totum cogimur.

VII. Ex utroque canone manifeste apparet Aquitanicæ historiæ auctorem nescisse quid scriberet, cum hac de re ita scripsit: *Idem vero Rex* (Robertus) *in uxorem sibi assumpsit matrem Odonis Comitis, Bertam nomine, qui eodem tempore puerulus erat. Illa autem commater ejusdem fuerat Regis, idemque Rex filium ipsius de sacro susceperat lavacro: quod agnoscens Papa Gregorius totam Franciam anathemate percussit.* Iterum alio in loco, quem Baronius ad annum DCCCCXCVIII. refert. *Dum enim de eodem Rege eadem mulier concepisset, credens se parituram filium, peperit monstrum. quæ res Regem perterruit, & libellum repudii eidem mulieri dare compulit. quo facto absolvi cum toto suo meruit regno.* Quæ de tota Francia anathemate percussa, & de totius regni absolutione dicit, non modo falsa sunt, sed & Gregorio Papæ V. injuriosissima: quasi vero id genus pœnæ mereretur Rex Galliæ, si cum sua commatre duxisset Matrimonium, id est, Justiniani legem sprevisset? Hoc exponere, & fabulam & injuriam confutare est.

Ceterum Bertam non commatrem Roberti, sed consan-

guineam duntaxat fuisse, Romanum Concilium in vtroque canone, & Leo IX. in epistola ad Henticum Regem, nos docent.

VIII. Quæ Petrus Damianus hac de re in epistola ad Desiderium Cassinensem Abbatem scribit apud Baronium, expenduntur. Verba sunt: *Sæpe Deus omnipotens terribile exhibet, etiam in hac vita, judicium, nec tamen miseri homines desinunt iterare plectendum. Nam Robertus Gallorum Rex avus istius Philippi, qui in paterni juris sceptra successit, propinquam sibi copulavit vxorem, ex qua suscepit filium, anserinum per omnia collum & caput habentem: quos etiam virum & vxorem omnes fere Galliarum Episcopi communi simul excommunicavere sententia. Cujus sacerdotalis edicti tantus omnem vbique populum terror invasit, vt ab ejus societate vniversi recederent, nec præter duos servulos ad necessarii victus obsequium illi remanerent: qui tamen & ipsi vasa omnia, in quibus Rex edebat & bibebat, percepto cibo, abominabilia judicantes, pabula ignis exhibebant. His autem Rex coarctatus angustiis ad sanum consilium rediens, divortium fecit, initque legale connubium.* Hunc textum duas in partes divido. Posterior est quæ sic incipit, *quos etiam virum & vxorem*, & cetera vsque ad finem. Narratione ista nihil est fabulosius, sive spectes latam ab vniversis Galliarum Antistitibus excommunicationem, sive spectes quæ excommunicationem hujusmodi consequuntur; nihil ab auctorum æqualium vel suppariurn testimonio magis vacuum; nihil indignius, quod a sapiente viro literis prodatur. Secundus canon ad fabulam latæ ab vniversis Galliarum Episcopis excommunicationis configendam sufficeret. Concilium statuit, vt nisi & Betram dimitteret, & indictam pœnitentiam ageret, anathemate percuteretur: non est anathemate percussus, quia Bertam dimisit, & pœnitentiam egit, vel de ea modo tunc vsitato composuit; quæ vero his non concordant, pura pura sunt cerebrosorum hominum figmenta. Prior pars mirabilem, vt putat auctor, eventum continet. At si verum est quod ibi narratur, *Bertam peperisse filium anserinum per omnia collum & caput habentem*, illud necesse est alterutro e duobus modis contigisse, deficientis a lege & dispositione sua naturæ errore, vel spe-

ciali Dei scelerum vltoris voluntate: si posterioti contigit, profecto id habent Imperatores Theodosius & alii, quo de consanguinitatis impedimento Matrimonium dirimente sibi summe gratulentur, Deo edicta sua miraculis comprobante. Si prius contigit, id quoque habent Damianus, & ex eo sapiens Baronius, quo meditata in eventum mirabilem sua recoquant, & monsttum priori modo contigisse pugnaciter contendant.

Et sane quo argumenti genete Cardinales duo cupide vtuntur, vt Romani Pontificis supra Reges & regna potestatem asserant, eodem & illam penitus labefactare se viri prudentes non intelligunt. Nam si Romanus Pontifex violationem legis vnius, qua ne quis commattem ducat in vxorem, Justinianus primum vetuit, & quam sacerdotalis ordo in vsum admisit, vlciscatur, non modo Regem communione privat Ecclesiastica, sed regnum etiam vniversum interdicto subjicit. Quo, quæso, pœnæ genere animadvertisset Regem, si Rex divina mandata perfregisset omnia, si certo quodam insigni facinore totum corrupisset decalogum? Qui sic agit Pontifex, nonne cum Stoicis & Joviniano putat peccata omnia esse paria, cum omnia pari pœna puniat, vel peccantem adversus humanas leges hominem perinde castiget, ac si contra divinas peccatet? Cardinalis Damianus hoc loco id revocet in memoriam, quod in epistola XII. scribit Alexandro II. *Preterea duo quædam apud Apostolicam Sedem frequens vsus obtinuit, quæ si prudentia vestra judicat, vt nobis videtur, omnino digna sunt corrigi. Unum, quia cunctis fere decretalibus paginis anathema subjungitur: alterum, quia cujuslibet Ecclesiæ filius, sive clericus sit, sive laicus, exponere proprii excessus Antistitis prohibetur. Quorum primum quam sit salutis immane periculum, & infinite patens vorago labentium, ac pernicies animarum, clementiæ vestræ pietas non ignorat. Dicitur enim quisquis hæc vel illa non fecerit, sive certe quisquis hoc quod superius statutum est, irritum duxerit, vel in aliquo violaverit, anathema sit, vbi notandum, quam lubrica, quam præceps subito ruendi illic procuretur occasio, vt ante quis in æternæ mortis barathrum corruat, quam se vel leviter impegisse recognoscat, & substrata quodammodo tendi-*

culæ jam pes ejus innectitur, dum se liberis adhuc incedere gressibus arbitratur. Delinquit itaque quisquis ille est in illud Apostolicæ constitutionis edictum, & aliquando levi quadam ac perexigua offensione transgreditur, & continuo velut hæreticus & tanquam cunctis criminibus teneatur obnoxius, anathematis sententia condemnatur, & cum dictante justitia, alia sit ultione plectendus, qui plus delinquit; alia, qui minus excedit: sic graviter leviterque peccantibus, æqua cunctis & indifferens pœna, solius scilicet anathematis, irrogatur. Non tribunalium more, vel forensis examinis, aut libertas ceditur, aut possessio confiscatur, nec pecuniariæ multæ reus addicitur, sed Deo potius omnium scilicet bonorum auctore privatur. Hanc itaque homo de homine pœnam sumit, quam de sui transgressione mandati ipse quoque Deus omnipotens non præsumit. Qui amat, inquit, aut patrem aut matrem plusquam me, non continuo addidit, sit anathematizatus, vel maledictus; sed tantum ait, non est me dignus. Et in lege oculus pro oculo, dens pro dente, percussura pro percussura, adustio pro adustione duntaxat exigitur, nec continuo qui reus est, de synagoga projicitur, vel maledictione damnatur. Non enim secundum Stoicos omnia peccata sunt paria, atque idcirco indifferenti sunt ultione plectenda. sed juxta modum culpæ temperanda semper est mensura vindictæ. Porro nec beatus Papa Gregorius, vel ceteri Patres, qui diversis temporibus in Apostolicæ Sedis regimine floruerunt, hunc morem in suis reperiuntur observasse decretis; & vix eorum aliquando statutis anathema subnectitur, nisi cum Catholicæ fidei clausula terminatur. Quamobrem si sanctæ prudentiæ vestræ placet, hunc morem de cetero a decretalibus paginis amoveri præcipiat, & vel damni pecuniæ, vel alterius cujuslibet ultionis calculum in earum transgressione præfigat, ne quod aliis est ad tuitionis munimenta provisum, aliis ad perniciem perveniat animarum.



CAPUT II.

Usus civilium legum in dirimendis Matrimoniis proponitur, ex quo regia in Matrimonium potestas elucet.

UT vero civilium legum vſus in dirimendis Matrimoniis proponatur, vnus Ivo Carnotenſis ſufficiet, qui cum ſuo tempore communis Eccleſiarum Galliæ Magiſter fuerit, ceterorum teſtimonia ſupplebit.

Hæc igitur habet, & primum quidem in decreti parte IX. *Inter quas perſonas inceſta copulatio, inter quas legitimæ nuptiæ fiant. Liber* I. *Inſtitutionum titulo* X.

Cap. I. *Inter eas perſonas, quæ parentum liberorumve locum obtinent, inter ſe nuptiæ contrahi non poſſunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, vel matrem & filium, vel aviam & nepotem, & vſque ad infinitum: & ſi tales perſonæ inter ſe coierint, nefarias atque inceſtas nuptias contraxiſſe dicuntur. Et hæc adeo vera ſunt, vt quamvis per adoptionem parentum liberorumve loco ſibi eſſe cœperunt, non poſſint inter ſe Matrimonio jungi, in tantum, vt etiam diſſoluta adoptione idem jus maneat: itaque eam, quæ per adoptionem filia aut neptis eſſe cœperit, non poteris vxorem ducere, quamvis eam emancipaveris.*

Inter eas quoque perſonas quæ ex tranſverſo gradu cognationis junguntur, eſt quædam ſimilis obſervatio, ſed non tanta. Sane enim inter fratrem ſororemque nuptiæ prohibitæ ſunt, ſive ab eodem patre eademque matre nati fuerint, ſive ex alterutro eorundem. Et ſi qua per adoptionem ſoror tibi eſſe cœperit, quandiu quidem conſtat adoptio; ſane inter te & eam nuptiæ conſiſtere non poſſunt, filiam vxorem ducere non licet; ſed nec neptem fratris vel ſororis ducere quis poteſt, quamvis quarto gradu ſit. Cujus enim filiam vxorem ducere non licet, ejus neque neptem permittitur; ejus vero mulieris, quam pater tuus adoptavit, filiam, non videris impediri vxorem ducere, quia neque naturali, neque civili lege tibi conjungitur. Duorum autem fratrum ſororumve liberi, vel

fratris & sororis, jungi non possunt.

Item. Amitam, licet adoptivam, uxorem ducere non licet. Item nec materteram, quia parentum loco habentur. Qua ratione verum est, magnam quoque amitam & materteram magnam prohiberi uxorem ducere. Affinitatis quoque veneratione a quarundam nuptiis abstinere necesse est, ut ecce privignam aut nurum uxorem ducere non licet, quia utraque filiæ loco sunt.

Item. Mariti autem filius ex alia uxore, & uxoris filia ex alio marito, vel contra, Matrimonium recte contrahunt, licet habeant fratrem vel sororem ex Matrimonio postea contracto natos, si uxor tua post divortium ex alio filiam procreaverit: hæc quidem privigna non est tua.

Item. Si adversus ea quæ diximus, aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec Matrimonium intelligitur, nec dos. Itaque qui ex eo coitu nascuntur, in potestate patris non sunt, sed tales sunt, quantum ad paternam potestatem pertinet, quales sunt hi, quos mater vulgo concepit. Nam nec si patrem habere intelliguntur, cum his etiam incertus est coitus; unde solent spurii appellari, vel a Græca voce σποράδην *concepti, quasi sine patre filii. Sequitur ergo, ut & dissoluto tali coitu dotis exactioni locus sit.*

Ut notabilis sit, qui cum his nuptias constituerit, cum quibus fieri non possunt, Pandectarum lib. III. tit. II.

Cap. II. *Si cum ea quis nuptias vel sponsalia constituerit, quam uxorem ducere non potest, vel fas non est, erit notatus. De pœna ejus qui incestum contraxerit, novellarum constitutionum* XXXII. *cap.* I.

Cap. III. *Si quis nefarium & incestum atque damnandum Matrimonium contraxit, liberos autem ex priore legitimo Matrimonio non habuerit, statim suis facultatibus careat, dos quæ ei data est, fisci juribus vindicetur: post publicationem autem, & cinguli patiatur amissionem, & exilio puniatur. Quod si vilior sit, corporali quæstioni subsistat, & uxor ejus contra leges easdem nupta, pœnas patiatur sæculi, si nulla justa excusetur ignorantia.*

Ut liberi ex alia conjuge nati bona incestuosi patris accipiant.

Cap. IV. *Si autem liberi sint, & incestas nuptias contraxerint, illi sive liberi legitimi, (quod forte ex alio Matrimonio procreati sint) in pœnam patris, sui juris fiant, & paternas accipiant fa-*

cultates: sic tamen vt patri suo alimonias præbeant, & quæ necessaria sunt, administrent.

Deinde in variis epistolis, in epistola CXXIX. ad Gaufridum Vindocinensem Comitem, qui in vxorem ducere volebat Vicecomitissam Blesensem, cujus ille consanguineus erat. *Tibi mando*, inquit, *& per legem Christianam interdico ferales incestas nuptias, quas nec lege poteris defendere, nec legitimos de iis heredes suscipere.* Quid est nuptias lege defendere, nisi aut easdem esse civilium legum institutioni consentaneas probare? Matrimonium quippe legitimum illud est, quod legali institutione vel provinciæ moribus contrahitur.

In epistola CXXXIV. ad Danubertum Senonensem Archiepiscopum, de alio casu Ivo sic decernit: *Quidquid pater nascente virgine juraverit, cum ad annos ratiocinales perducta est, nisi ipsa virgo consentiat, etiam vivente patre secundum leges irritum erit. Unde in legibus Romanis Iustiniani Imperatoris ita habetur: Sponsalia sicut nuptiæ consensu fiunt contrahentium, & ideo sicut in nuptiis, ita & in sponsalibus filiusfamilias consentire oportet.* Ubi Matrimonium, quo de loquitur, secundum leges irritum esse scribit, civiles, non Ecclesiasticas intelligit, vt locus epistolæ fidem facit amplissimam.

In epistola CLXVII. ad Hildebertum Cenomanensem Episcopum, de homine qui aliam duxerat vxorem contra conjugale pactum, quod cum alia muliere contraxerat prius: *Cum præterita ætate Siguinus Apostolicæ Sedis legatus apud nos esset, & similis causa ad nostras aures delata esset, prolatis legibus justum esse judicamus & legitimum.* De legibus civilibus ex more loquitur, non de Ecclesiasticis seu canonibus: quod ergo Matrimonii contractus justus sit ac legitimus, ex legibus Ivo pendere credidit.

In epistola CCXXI. ad Joannem Aurelianensem Episcopum, de libero viro, qui nesciens ancillam duxerat vxorem, sed postea cognita veritate illam dimiserat: *Si decreta Patrum & leges sæculi super hoc consulere volumus, reperiemus quia inter ingenuos & æquales tantum legitima constat esse conjugia; & vbi aliter per ignorantiam evenerit, licita fore divortia.* Ex decretis Patrum cognoscimus justas esse leges,

quæ

quæ ejusmodi Matrimonia prohibent.

In epistola CCXLII. ad Audoenum Ebroicensem Episcopum, in eam rem ipsam, quæ cuidam negotium facesseret, hanc laudat novellam Justiniani: *Si quis per errorem ancillam mulierem duxerit uxorem, liberam esse eam putans; vel e contrario, si libera mulier servo per errorem juncta sit, posteaquam veritas reperta fuerit, dicendum est omnino nuptias non constitisse. Inter liberum enim & ancillam, servum & liberam mulierem nuptiæ contrahi non possunt. In tali ergo contractu quod lex damnat, non homo, sed justitia separat, quia quod contra leges præsumitur, per leges dissolvi meretur.* De legibus, vt apparet, non de canonibus verba facit.

Ex hoc autem proposito in dirimendis Matrimoniis civilium legum vsu colliguntur duo. Unum Gallicanos Præsules legitimam in sæcularibus Principibus ferendi leges, quæ Matrimonium dirimant, potestatem agnovisse, nec agnoscere verius potuisse, quam eas leges in dirimendis Matrimoniis adhibere. Alterum, quod adhibeant, regio seu civili in Matrimonium juri nihil obesse, quia cum civiles leges in judicandis Matrimoniis adhibent, non sua, sed Principum auctoritate Matrimonia dissolvere se profitentur. Quare Principes soli, vt sint civilium legum auctores, non sunt tamen earundem soli vindices. Hoc ipsum testantur Reges, & inprimis Lotarius in rescripto, quod inter Longobardorum leges lib. XI. tit. LVII. refertur. *Volumus*, inquit, *vt cunctus populus Romanus interrogetur, qua lege vult vivere, & tali lege, quali vivere professi sunt, vivant: illique denuntietur, vt hoc vnusquisque tam judices quam Duces, vel reliquus populus sciat, quod si offensionem contra eandem legem fecerint, eidem legi, qua profitentur vivere, per dispensationem Pontificis & nostram subjacebunt.* Ceterum ex hoc Lotarii rescripto cum multa fiunt a Pontificibus circa impedimenta Matrimonium dirimentia, qua ratione fiant, apparet, & validissime ex iis confirmantur, quæ art. II. cap. VI. de dispensationibus dicuntur.



CAPUT III.

Regia in Matrimonia procerum potestas ex beato Bernardo deducitur.

REGIAM in Matrimonia procerum potestatem deducimus ex epistola CCXXII. Bernardi, in qua vir sanctus Galliæ Regem & Comitem Theobaldum inter se conciliare conatur. Sancti Bernardi verba sunt hæc: *Sed Rex aliud addit adhuc, quod Matrimoniis sibi moliatur conjungere contra ejus fidelitatem, Comitem Flandrensem & Suessionensem, & de fidelitate quidem suspicio est, non certitudo. Porro inanes suspiciones certis pactionibus præjudicare, quale sit, vos videritis: quanquam id omnino credendum non fuerit de tali viro. Nunquid enim hostes sunt Regis, quibus alligatur Comes, & non magis ejus, & ejus amici? Nonne consanguineus Regis, & sicut fatetur, baculus regni Comes Flandrensis est? quid ergo contra Regis fidelitatem facit ejus homo & fidelis ipsius, si aliis ejus amicis suorum Matrimoniis copulatur?* Summa totius loci est, Bernardum in impediendis procerum regni conjugiis jus regium agnoscere, dum impediendi legitima causa subsistit. Hæc est regni consuerudo, quam semper in vsu fuisse diximus.

Ceterum huc spectat, quod a Belleforesto commemoratur in vita Philippi Pulcri, nempe se in veteri manuscripto legisse, *antiquam esse in Gallia legem, qua cautum erat, ne quis quantacunque auctoritate polleret, sine consensu Regis extra regni fines Matrimonium iniret.* Hac lege seu consuetudine, quæ vim legis habet, vbique coercentur regni proceres, cum vbique locorum retenro hereditario vel in regnum, vel in amplissimas regni possessiones jure Matrimonium contrahant.

Dicet vero quis nullam esse apud beatum Bernardum vel Belleforestum de rescissione Matrimonii mentionem; sed de exilio vel exheredatione, qua qui sine consensu Regis contrahunt, puniuntur. Sed hæc objectio, quæ ad Belleforestum

magis quam ad beatum Bernardum ſpectat, facile diluitur. Exilium quippe vel exheredatio pœna illius eſt, qui contra legem vel conſuetudinem Matrimonia dirimentem contrahere auſus eſt: vel e duabus pœnis non negata vna, quæ gravior hominum ſenſu percipitur, hanc alteram Belleforeſtus ad majorem metum expreſſit.

CAPUT IV.

Sub Ludovico Craſſo regia in Matrimonium poteſtas retenta.

QUÆ pro retinenda regia in Matrimonium poteſtate Ludovicus Craſſus geſſit, Joannes Tilius hæc dicenda ſuggerit in collectorio Regum & rerum Francicarum his verbis: *Alter filius Theobaldi magni Bleſenſium & Campanorum Comes extitit, Henricus cognomento Largus, Campaniæ Briæque Comes, cui Iolandis ſoror Balduini Comitis Flandriæ & Hannoniæ deſponſata fuit; ſed hujus, ſicut & vnius e filiabus magni illius Theobaldi Comitis, cum Sueſſionenſium Comite ſponſalia reſcidit. Poſtea Henricus Largus filiam Ludovici junioris vxorem accepit.* At cur id fecit Rex, quia ſine ſuo conſenſu contraxerant? quo jure ſponſaliorum fœdera diſſolvit? Regio ſane. Sed quem ob finem? publicum, & publicæ ſalutis quietem. A quo Pontifice reprehenſus eſt Rex? a nullo: quippe nondum erant, qui Regibus auctoritatem in cauſas & impedimenta Matrimonii abrogarent. Cur beati Bernardi conſiliis hac in parte Ludovicus non ceſſit, quia regno expedire Rex ipſe judex peridoneus non cenſuit. Jurane ſacerdotalis ordinis ſic læſit? minime vero: quis enim crederet Regi a beato Bernardo indultum fuiſſe, a quo Herodes alter appellatus eſt in iis literis, quas ad Honorium II. pro Henrico Senonenſi & ceteris provinciæ Epiſcopis miſit.

CAPUT V.

Sub Philippo Augusto regia in Matrimonium potestas retenta.

QUÆ pro retinenda regia in Matrimonium potestate Philippus Augustus gessit, ex variis monimentis repetimus. Et primo quidem ex actis Autisiodorensium Pontificum in vita Hugonis de Noetiis Episcopi, vbi Philippus consentit in Matrimonium Hervei Nivernensium Comitis, cui Matildis Petri Cortinæi Autisiodorensis Comitis filia nupsit. *Giemum*, inquiunt acta, *castrum nobilissimum Hervei de Donziaco Comitis Nivernensis in proprietatem regiam devenit juxta pactorum formam, quoniam Dominus Rex Philippus consenserat & fecerat, vt ipse* (Herveus) *filiam Comitis Autisiodorensis, cui filiæ competebat jure hereditario Comitatus, haberet vxorem.* Et post alia: *Quam* (Matildem) *favore regio favente duxerat in vxorem.* Quid juris, quidve esset consuetudinis Regum Galliæ in Matrimonia procerum, hæc acta testantur.

Deinde ex archivis regiis in arca Tornodorensium & Autisiodorensium, vbi Petri Cortinæi pactum asservatur: *Ego Petrus Comes Tornodorensis & Altisiodorensis notum facio omnibus, ad quos literas præsentes pervenerint, quod ego habeo in conventione, carissimo Domino meo Philippo illustri Francorum Regi, quod ipsum bona fide juvabo toto posse meo quandiu vixero contra omnes homines, qui possunt vivere & mori; & quod ei non deficiam, quandiu rectum mihi voluerit facere in curia sua, & quoquo modo accideret, quod Herveus Comes Nivernensis Matildem filiam meam non haberet in nulla arte, in nullo ingenio, & nullo modo sufferrem, nec essem in auxilium & consilium, quod Comes Namurci Philippus, nec alius eam haberet in vxorem, nisi esset per consensum & voluntatem, & per os Domini mei Regis Philippi, sed super hoc omni posse meo essem in nocumentum & disturbationem. Hæc autem faciam jurari Domino Regi ab omnibus illis mi-*

litibus & hominibus Comitatuum Altisiodori & Tornodori, qui hæc nondum juraverunt, quos in manu mea teneo. Ita quod si exirem de aliqua istarum conventionum, ad Dominum Regem irent cum omnibus feodis suis absque fide mentiri. Castrum etiam Cortenaii cum omnibus pertinentiis ejus Domino Regi & heredibus ejus mitto in deperditum, si has conventiones ei non tenerem & facerem jurari ab omnibus militibus & hominibus Cortenaii & Castellaniæ, qui nondum juraverunt. Ita quod si hoc non tenerem, milites & homines irent ad Dominum Regem, in dominium ejus & heredum ejus in perpetuum. Quod vt firmum sit & stabile, præsentem paginam sigilli mei munimine feci roborari. Actum apud Monsemargum anno ab Incarnatione Domini MCXCIX. *mense Decembri.*

Idem Philippus a Matilde Nivernensium Comitissa paris conventionis accepit literas, quæ sic se habent : *Ego Matildis Nivernensis Comitissa notum facio vniversis præsentes literas inspecturis. Quod ego juravi super sacrosancta*, &c. *Carissimo Domino meo Philippo Dei gratia illustri Francorum Regi : quod ego faciam eidem bonum & fidele servitium contra omnes homines & feminas, qui possunt vivere & mori, & quod me non maritabo nisi per gratiam & voluntatem ipsius. De his autem conventionibus firmiter tenendis dedi plegios eidem Domino Regi meos homines, quos mecum habebam per sacramentum eorum tali modo, quod si ego, quod absit, deficerem de dictis conventionibus tenendis Domino Regi, ipsi tenerentur venire ad Dominum Regem cum omnibus terris & feodis suis, quæ de me tenent, & ipsum contra me juvarent, donec esset ei emendatum ad gratum suum, & quotiescunque Dominus Rex me requisierit, ego faciam ei habere talia sacramenta hominum meorum, qui non fuerunt mecum coram Domino Rege de omnibus illis; sed quos habere potero bona fide, & sine malo ingenio, & similiter fidelitates villarum mearum. Quod vt firmum ac stabile perseveret, præsentes literas scribi feci, & sigilli mei appositione muniri. Actum Meleduni anno Domini* MCCXXI. *mense Februario.*

Alia charta iisdem in archivis extat, data anno Domini MCC. mense Maio, & sic se habet : *In nomine Patris*, &c. *Philippus Dei gratia*, &c. *notum*, &c. *quod de feodo illo integre*,

quod cariſſimus nepos & fidelis noſter T. quondam Comes Trecenſis, de nobis tenebat B. uxorem ejus Comitem Trecenſem in feminam Ligiam, recepimus, ſicut de Bail, & de dotalitio, ſuo ad vitam ſuam ſalvis conventionibus, quæ in charta data Senonis ejuſdem Comitiſſæ continetur, quam ſuper juravimus. Siquidem quod conventiones illas, quæ ſcriptæ ſunt in charta iſta ei bona fide tenebimus & ſervabimus, ſicut feminæ noſtræ Ligiæ videlicet, quod filiam ſuam quam nobis tradidit, cuſtodiemus & nutriemus bona fide & ſine malo ingenio, nec eam poterimus maritare, donec ad ætatem duodecim annorum pervenerit; elapſis vero duodecim annis prædicta filia maritabitur conſilio & aſſenſu & voluntate noſtra & cariſſimæ matris noſtræ & matris ſuæ & Baronum, quorum nomina ſcripta ſunt in hac charta, vel illorum, qui terras eorundem tenebunt, ſi ipſi deceſſerint. Hi ſunt Barones Willelmus Remenſis Archiepiſcopus, Odo Dux Burgundiæ, Comes Lugd. Guido de Dampetra, Gaucher de Caſtell. Gaufrid. de Iovifvill. Gaufrid. de Montemirabil. Gaufridus Mareſchalus Campaniæ, Clarembaldus de Capis, Willelmus Comes Iovigni. Et ſi prædicti Barones nequiverint concordare de illa maritanda, ubi major pars prædictorum concordabit, maritabitur. Ita tamen, quod prædicti Barones ſecuros nos faciant, quod nullum damnum ſive nocumentum de maritagio illo nobis vel regno Franciæ poterit evenire; immo ſervitium noſtrum habebimus, ſicut de aliis feodis noſtris habere debemus, has conventiones proſequemur & tenebimus de alio infante, quem dicta Comitiſſa nobis tradet, ſi de marito ſuo gravida fuerit, ſi infans filia fuerit; ſi vero filius, cum ad ætatem tenendi terram pervenerit, reddemus ei vel juſto heredi caſtella, quæ pro iſtis conventionibus tenemus, & conventiones nobis propter hoc factas quittabimus, ſalvo rachato noſtro, &c. Actum Senonis ann. MCCII.

Alia charta, quæ apud Curiam Rationalium Pariſ. habetur in *libro Principum*, & ſic loquitur: *Philippus Dei gratia Francorum Rex, omnibus Ballivis, Præpoſitis, & ſervientibus Comitis Campaniæ, ad quos literæ præſentes pervenerint, ſalutem.* Et poſt alia: *Ad hæc nullo modo volumus, quod Erardus de Rameruco filiam Comitis Henrici habeat in uxorem; ſed id fieri modis omnibus prohibemus, quia ſi fieret, contra nos fieret. Et præterea*

dictum est nobis, quod in eo gradu consanguinitatis sese attingunt quod non possunt, nec debent legitime copulari. Actum apud Compendium anno Domini MCCXIV. *mense Martio.*

Porro autem cum ingenuum sit profiteri per quos profecimus, has & similes chartas identidem communicarunt mecum viri duo clarissimi & de literis bene meriti Petrus Puteanus, & Antonius Vionius Herouvallius, qui Regum commentarios, monumenta rerum inter proceres gestarum, & Gallicæ vetustatis exempla investigarunt & perscrutati sunt. Puteanum quoad vixit, parentis instar habui & veneratus sum; Vionium vt hominem literatorum omnium opportunitatibus & studiis cupidissime inservientem colui hodieque viventem colo.

Idem Philippus a Matilde Flandriæ Comitissa Philippi Alsatiæ Comitis vidua publicæ securitatis literas accepit, quibus ea ferebatur conditio, vt si quando ab Odone III. Burgundiæ Duce separaretur, nusquam citra Regis ipsius voluntatem nuberet: hanc anno MCXCV. factam esse conventionem Tilius in collectorio testatur.

Idem Philippus ab Anna Burgundiæ Ducissa pactum accepit, quo se nulli nupturam esse sine illius consensu promisit, & plurimorum optimatum nomina syngraphasque in securitatem dedit ad annum MCCXVIII. vt habetur in Archivis regiis, in arca Burgundiæ. Hæc pauca de multis, quibus sibi regnique tranquillitati consulit Philippus. Ut non vna est, sed multiplex procurandæ publicæ salutis via; ita non vna est, sed multiplex ordinandi inter optimates conjugii ratio.

Dicet vero quis, si in consuetudine regni positum erat, institutoque majorum, vt proceres sine Regum assensu non contraherent Matrimonium, tot pactis & conventionibus quid opus erat? ad majorem scilicet regni securitatem vinculum vinculo superponendum fuit. Quotidie sacramentum fidelitatis exigitur a civibus aliquo magistratu vel præfectura donatis, qui alias Regibus naturali jure obstringuntur.



Caput VI.

Ludovicus VII. legem de consobrinis Matrimonio non jungendis ab Imperatoribus latam, & ab ordine sacerdotali confirmatam agnoscens, divortium cum vxore fecit.

Anonymus monasterii sancti Dionysii Monachus, quomodo id gestum fuerit, narrat in Ludovici VII. Historia capite XXIX. *Interea aliqui venerunt ad Regem de cognatione sua progeniti, qui ortum & derivationem parentelæ suæ noverant, & dixerunt ei: Sicut verum erat, quod inter se & Alienordem vxorem suam erat consanguinitatis affinitas talis, quod inter eos, quibus de jure lex matrimonialis non poterat convenire, & inde per juramentum probationem legitimam offerebant. Quibus Rex sic respondit, quod contra Deum & contra legem Ecclesiæ eam nolebat habere, volens per omnia statuta Ecclesiæ & legem Matrimonii inviolabiliter observare: & vt istius veritas posset veracius indagari, die Martis ante festum Paschatis floridi in castro Baugenciaci, Hugonem Archiepiscopum Rotomagensem, & Lanfredum Burdigalensem cum pluribus suis Coepiscopis & Baronibus Franciæ, fecit solenniter convenire. Ante quorum præsentiam steterunt illi, qui genus inter Regem & Reginam se probaturos obtulerant, qui etiam ejusdem generis erant parentes & cognati: & per juramentum suum dixerunt, quod Rex & Regina sese cognatione contingebant, & quod secundum Deum & legem conjugalem debebat inter eos divortium celebrari. Quo sufficienter probato, in præsentia Prælatorum fuit inter eos per consensum partium Matrimonium dissolutum. Deinde sic accidit, quod Alienordis Regina cum rediret ad terram propriam post discessum a regno Franciæ, a Duce Normanniæ Henrico, qui postea fuit Rex Angliæ, fuit solenniter desponsata. Et Rex Ludovicus duas filias, quas sibi Alienordis Regina pepererat, duobus viris illustribus Matrimonio copulavit: majorem natu, Mariam nomine Henrico Comiti Campaniæ, & minorem fratri suo Theobaldo Comiti Blesensi, quæ Alaidis voca-*

vocabatur. Rex qui secundum legis praeceptum volebat vivere, praecipientis vt homo secundum legem Ecclesiæ feminam sibi conjungeret, & essent duo in carne vna, de consilio Prælatorum & Principum in spe heredem legitimum procreandi, qui post decessum suum nobile regnum Franciæ gubernaret, in quandam puellam nobilissimam, Constantiam nomine, filiam Regis Hispaniæ, animum convertit.

Matthæus Parisiensis in Historia Regum Angliæ observat divortium hoc anno MCL. contigisse, & gradum consanguinitatis fuisse quartum, qui Ludovicum inter & Alienordem intercederet. Hoc impedimenti genus, quod a Theodosio Imperatore ortum habet, si Rex perspectum habuisset atque animadversum, cum Alienorde nunquam contraxisset Matrimonium, vt ex historica narratione satis superque liquet. Cum enim antiqua lege consobrinorum nuptias vetante, seipsum ad eas celebrandas inhabilem fuisse redditum agnovit, confestim de faciendo cogitavit divortio, etiamsi jam duas ex Alienorde filias suscepisset. Id in aliud, quam in religionem, qua ducebatur, transferri merito nequit. Quod autem Imperatoriam seu civilem legem historicus appellat legem vel statutum Ecclesiæ, sic appellare potuit, sive quia Ecclesia, quæ est fidelium aut Catholicorum congregatio, legem vel statutum per Imperatores tulerat, sive quia illam sacerdotalis ordo, cui forte nomen Ecclesiæ tribuit, in vsum admisit, & Gregorius II. anathemate olim asseruit.

Ceterum quæ vis impedimento Matrimonii per ignorantiam illata fuerat certa quadam juris via, quæ potestatem non excedebat regiam, vt retineretur Matrimonium, auferri vel temperari potuit. Rex optimus auferri vel temperari noluit; nempe vt quod prius irritum fuerat, ratum deinceps haberetur. Offerebat se illa in integrum restitutio, hanc recusavit, vt antiquæ legi suum constaret robur, sua constaret auctoritas.

CAPUT VII.

Sub Ludovico VIII. regia in Matrimonium potestas retenta.

LUDOVICVS VIII. etsi triennio tantum regnavit, suam tamen in Matrimonia subditorum auctoritatem exercuit apud Tilium. Ille siquidem plenissime vetuit, ne Erardus de Brena & Regis Cypriorum filia simul Matrimonium inirent, quod illud regno perniciosum foret. Res sic se habet in epistola, quam Ludovicus VIII. nondum Rex ad Joannem Regem Jerosolymitanum scripsit: *Excellentissimo & carissimo consanguineo suo Ioanni Dei gratia illustri Regi Ierusalem, Ludovicus Domini Regis Franciæ primogenitus, salutem & sinceri amoris constantiam. Scire vos volumus, quod consuetudo antiqua & per jus approbata talis est in regno Franciæ, quod nullus ante unum & viginti annos potest vel debet trahi in causam de re, quam pater ejus teneret sine placito, cum decessit. Hujus ratione consuetudinis carissimus Dominus & genitor noster & nos statuimus & concessimus carissimæ amicæ nostræ Trecensi Comitissæ & Theobaldo præsentibus & audientibus nobis ipsis, quod si filiæ Comitis Henrici, vel aliqui pro ipsis, vellent prædictum Theobaldum vel matrem ejus trahere in causam de terra, quam pater ejus tenuit, nos non audiremus inde verbum, donec idem Theobaldus haberet viginti & unum annos, nec ipsum, nec matrem ejus antea in causam trahi permitteremus; præcipue cum de testimonio multorum nobilium virorum, quibus fidem bene adhibere debemus, bene constet, quod carissimus quondam consanguineus noster Comes Henricus, cum vellet Hierosolymam proficisci, totam terram suam dimisit, & dedit fratri suo Theobaldo quondam Comiti Trecensi, si ipsum Comitem Henricum de transmarinis partibus contingeret non redire. Ad hæc nullo modo volumus, quod Herardus de Rameruco filiam Comitis Henrici habeat in uxorem; sed id fieri modis omnibus prohibemus, quia si fieret, contra nos fieret. Et præterea dictum*

est nobis, quod in eo gradu consanguinitatis sese attingunt, quod non possunt nec debent copulari. Actum apud Compendium anno Domini MCCXIV. *mense Martio.* Hæc ex Chartulario Campaniæ, quod in Bibliotheca Thuana asservatur. Ludovicus subditos, vt optimus parens filios, officii sui monet, ne locus vindictæ detur. Porro autem quod modis omnibus prohibetur, etiam sub pœna nullitatis prohibetur: nullitas enim seu contracti Matrimonii diremptio modus est certissimus, quo Matrimonia a Principibus prohiberi posse demonstratum est.

CAPUT VIII.

Sub sancto Ludovico regia in Matrimonium potestas retenta.

LUDOVICUS IX. qui in propagandis Ecclesiæ finibus sanctissime obiit, quanta foret cum in disponendis, tum etiam in prohibendis conjugiis auctoritate, factis & legibus commonstravit.

Inprimis anno MCCXXVII. ab vtriusque ordinis Armoricæ proceribus accepit literas, quibus pollicentur se Iolandem Petri Maucleri Ducis Armoricæ filiam, Joanni Regis Galliæ fratri, cui jam desponsata fuerat, custodituros, donec Joannes ille annum ætatis XIV. attigisset, aut saltem Dux Petrus Iolandem Anglorum, vel alicui alii Francorum hosti non elocaret. Belleforestus hoc tradit in annalibus, & Tilius in collectorio Regum & rerum Francicarum.

Deinde a Joanna Flandriæ Hannoniæque Comitissa certum accepit diploma, quo illa promisit se nunquam daturam Simoni Montfortio fidem conjugii, & quantumvis daret, eam tamen non servaturam. Ita Tilius in collectorio.

Tum anno MCCXXXIII. sic cum eodem Rege paciscitur: *Ego A. Ducissa Burgundiæ notum facio vniversis præsentes literas inspecturis, me supra sacrosancta jurasse carissimo Domino meo Lu-*

dovico Dei gratia Regi Franciæ illustri, quod non maritabo me, neque maritum accipiam, nisi de voluntate & licentia ipsius Domini Regis. Dominus autem Rex mihi benigne concessit, quod nullam vim mihi faciet de me maritanda, neque per preces importunas, neque alio modo. In cujus rei memoriam præsentes literas sigillo nostro feci sigillari. Actum Remis, anno Domini MCCXXXIII. *mense Augusto.* Hæc ex archivis regiis in arca Burgundiæ.

Deinde ad annum MCCXXXIV. idem Dux Armoricæ Petrus eidem sancto Ludovico promisit se suam filiam non traditurum hostibus regni Galliæ in vxorem. Ex archivis regiis in arca Armoricæ.

Postremo Matildis Boloniæ Comitissa eodem anno eidem Regi promisit se sine consensu illius, & Reginæ matris non contracturam Matrimonium. Ex iisdem archivis in arca Boloniæ. Sic ad antiquam regni consuetudinem, quæ Matrimonia procerum sine Regis consensu celebrata dirimebat, varia accedunt pacta & pignora, quibus tranquillitati publicæ consulitur.

Quas autem de Matrimonio leges edidit, eas nobis Guillelmus Nangiacus præbet in gestis hujus sanctissimi Regis. *Ex debito*, inquit Rex, *regiæ potestatis pacem & quietem subditorum, in quorum quiete quiescimus, præcordialiter affectantes, & adversus injuriosos & improbos, qui tranquillitati eorum invident & quieti, zelum habentes indignationis ad hujusmodi propulsandas injurias, & statum regni reformandum in melius, hæc quæ continentur inferius, duximus ordinanda. Inter alia prohibentes insuper Ballivis nostris, ne quandiu Ballivi fuerint, sibi vel suis liberis, fratribus vel sororibus, nepotibus vel consanguineis, vel vnicuique de familia sua Matrimonia copulent cum personis suæ Balliviæ sine nostro speciali consensu.* Et post alia: *Prohibitionem istam, quam facimus de Matrimoniis non copulandis, non extendimus ad majores & alios officiales minores, qui Majorias & Præpositurας & alia officia tenebant in locis mansionum suarum, dum tamen hæc faciant sine nostra vel alterius læsione.* Nemo dubitare jure potest quin hujus prohibitionis ea sit materia, quæ legem Matrimonia dirimentem ferat. Unde hujus prohibi-

tionis caufas ad regiæ poteftatis officium fpectare affirmat Ludovicus. Nova non eft beati Regis fanctio. Repetitur ex digeftorum libro XXIV. L. XXXVIII. *Si quis officium in aliqua provincia adminiftrat, inde oriundam vel ibi domicilium habentem vxorem ducere non poteft.*

CAPUT IX.

Sub fancto Ludovico Clemens IV. regiam in Matrimonium poteftatem agnofcit.

QUID Rex Galliæ juris habeat in Matrimonia procerum, colligitur ex quadam Clementis IV. epiftola, quam ad Henricum Regis Navarræ germanum fcripfit anno Pontificatus primo. Illa autem fic fe habet: *Dilecto filio nobili viro Henrico cariffimo in Chrifto filii noftri illuftris Regis Navarræ germano. Etfi conjunctio copulæ conjugalis in quarto confanguinitatis & affinitatis gradu facris fit interdicta canonibus, Apoftolicæ tamen Sedis providentia, rigorem confuetudine temperans fuper his difpenfat interdum, & quod negat juris feveritas, de gratia benignitatis indulget, præfertim cum neceffitas exigit, & caufa rationabilis id expofcit. Nos igitur attendentes, quia cariffimus in Chrifto filius nofter illuftris Rex Navarræ tuus frater diu fine liberis fuit, & te ac ipfum duntaxat fuperftites habeat tanta domus, quam fiquidem numerofæ prolis acceffu cuperemus ex omni latere ftabiliri, tuis fupplicationibus inclinati, vt liberius & honeftius ad majorem tui fplendorem generis tibi valeas conjugem fociare, vt * cum qualibet muliere nobilis viri Simonis Comitis Leiceftriæ, & omnium adhærentium ei dumtaxat exceptis, etiamfi quarto confanguinitatis vel affinitatis gradu conjuncta fuerit, & aliud canonicum non obfiftat hac vice impedimentum Matrimonii contrahendi, dum tamen de cariffimi in Chrifto filii illuftris Regis Franciæ ac præfati Regis Navarræ fratris confilio & affenfu id facias, liberam tibi auctoritate præfentium concedimus facultatem. Nulli ergo, &c. Datum Perufii octavo Calendas Maii anno primo.*

Hic Pontifex ea tantum lege dispensat, vt Henrici Matrimonio consentiant & Rex Galliæ & Rex Navarræ. Quod autem Rex Navarræ consensum vti necessarium præbere deberet, obscura ratio non est: Henrici frater erat. Regis vero Galliæ consensus æque necessarius fuit, tum quia Simon Comes Leicestriæ subdebatur Regi, Gallus quippe origine, & Comitis Montfortii germanus; tum quia Rex Navarræ Henrici frater propter Comitatum Campaniæ Regis erat vectigalis, & ab supremo illius dominio pendebat.

Ceterum cur Pontifex in dispensatione conditionem de obtinendo consensu Regum Galliæ & Navarræ adhibuit, nisi quod nosset Matrimonium ejusmodi fore irritum, si repugnarent, aut pro more non consentirent.

His accedit charta quædam, quæ apud Curiam Rationalium Paris. extat in libro Principum: hæc autem sic se habet. *Gie Iehans Sires de Ioinville Senechaus de Champaigne feiz assavoir à tous cels qui ces lettres verront, que je jure mon tres-chier Signor Th. par la grace de Dieu Rois de Navarre, Conte Palatins & de Brie, comme à mon Signor lige sur la foi que je li doi, que ne m'allieray au Conte de Bar, ne par mariage, ne par autre chose, ne à lui, ne à autrui encontre lui, & nommément je ne prendrai à femme la fille le Conte de Bar, se par l'otroi Monsignor devant dict*, &c. *L'an de Nostre Seignor* JESVS CHRIST MCCXXXIX. *le* 1. *jour de Mai.* Quod Latine dicitur: *Ego Ioannes Ionvillæ Dominus notum facio omnibus, has præsentes literas inspecturis, quod juratus polliceor carissimo Domino meo Theobaldo Dei gratia Regi Navarræ, Comiti Palatino Campaniæ & Briæ, tanquam Domino meo ligio in fidem, quam illi debeo, me neque matrimonio, neque alia re vlla cum Barrensi Comite initurum amicitiam: maxime vero me filiam Barrensis Comitis non ducturum in vxorem, nisi memoratus Dominus meus concedat*, &c. *Actum anno Domini nostri* JESV CHRISTI MCCXXXIX. *prima die mensis Maii.*



Caput X.

Sub Philippo Pulcro regia in Matrimonium potestas retenta & vindicata.

Quoniam vero non minus in confirmandis quam in permittendis procerum regni conjugiis regia potestas elucet, commemorabimus quædam procerum conjugia, quæ Philippus IV. cognomento Pulcher confirmavit.

Anno igitur MCCXCVIII. confirmavit Matrimonium illud, quod Margareta Valesia fratris sui Caroli, Valesiorum Comitis filia cum Guidone Castillonæo Blesensium Comite contraxit.

Anno MCCCVIII. confirmavit Matrimonium illud, quod Joannes II. Drocensium Comes cum Peronella Salliensi Gaufridi Lusignani vidua contraxit.

Anno MCCCXI. ratum habuit Matrimonium illud, quod Robertus Boloniensis Comitis filius cum Catharina Joannis Viennensis Delphini filia contraxit.

Anno MCCCXII. ratum habuit Matrimonium illud, quod Philippus Tarentinus Princeps cum Catharina Valesia Constantinopolis Imperatrice contraxit.

Anno eodem confirmavit Matrimonium illud, quod Ca rolus Valesius, Alenconiorum Comes, filius alter Caroli fratris sui, cum Joanna filia Jovigniensis Comitis contraxit.

Hæc de procerum Matrimoniis, quæ Philippus IV. confirmavit: nunc referendum est Matrimonium, quod filia Guidonis Flandriæ Comitis cum Eduardo Anglorum Rege contraxit. In eo quanta Rex auctoritate valuit, non obscure demonstravit. Ex optimis auctoribus historia conjugii istius repetenda est. De illo inprimis sic scribit Wandeburchius in vita Guidonis: *Gallum Regem, quod inter alia dominationis arcana unitas innitasque Anglorum atque Flandrorum inter se vires potentiamque vehementer extimesceret, graviter hujus contra-*

ctus matrimonialis offendit nuntius. Rex Guidonem Comitem, vbi Lutetiæ Parisiorum ille venit, comprehendi atque in custodiam abduci jubet, tanquam læsæ majestatis reum, quod cum Eduardo Angliæ Rege Franci nominis hoste capitali affinitate contraxisset: animo tamen haud destitutus firmatoque vultu adversus metum, nihil se cur tam indignis haberetur modis, criminisque cujus accusaretur, reus esset, commisisse affirmabat: præsertim quando odii, quod inter Gallum Anglumque subortum erat Reges, ne minimus quidem rumor ad eum fuisset perlatus, nec verisimile esset, si vel minimi sibi delicti conscius fuisset, in Galliam, nisi fide accepta, vim abfuturam, venturum fuisse in judicium. Itaque cum ex parium Franciæ consilio admissus fuisset, ita factum excusavit, impositumque crimen diluit, vt ne suspicionem quidem vllam delicti in judicum animis relinqueret. Omnium itaque sententiis tanquam innocens absolutus in Flandriam cum comitatu suo omni rediit, sola filia Philippa relicta, quæ impediendæ affinitati illi apud Reginam specie honoris manere coacta fuit; sed haud multo post nimio animi mærore, quod cui a patre pacta fuisset, nubere non posset, decessit. In hac narratione notamus duo. Unum, Guidonem perduellionis reum fuisse habitum: at quam ob causam, nisi quia legi vel consuetudini regni contraivisset, aut saltem contraivisse judicatus fuisset? Qua de re sic alter auctor æqualis Joannes Victorinus in Memoriali historiarum ad annum MCCXCIV. *Comes Flandriæ cum filia sua per Regem Franciæ detentus est, quoniam volebat eam sine Philippi Regis assensu filio Regis Angliæ primogenito desponsare.*

Alterum, Guidonem a Parium Franciæ Senatu ideo fuisse absolutum, quod de subito Gallum inter & Anglum odio nihil penitus inaudiverat. De hoc tamen Parium Senatusque judicio ab auctoribus synchronis, qui tunc manebant Parisiis, nihil traditur; vnde illud a Wandeburchio imminuendi criminis causa dictum crediderim. Rem vero ita præter Joannem Victorinum refert Nangiacus in chronico nondum edito ad annum MCCXCIV. *Guido Comes Flandriæ occulte Regi Angliæ contra Dominum suum Regem Franciæ confœderatus, veniens cum quadam filia sua Parisius, quam volebat in Angliam Regi Angliæ desponsandam mittere; jussu Regis Franciæ cum illa*

in

in custodiam detinetur; sed ipsa postmodum remanente cum pueris regalibus educanda, Comes satis cito postea liberatur. Recentiores quidam Historici scribunt, Bonifacium VIII. sub pœna diri fulminis præcepisse Regi, ut Guidonis filiam restitueret; sed id falso scribunt, & quod ex incerto rumore a Jacobo Meiro, auctore non synchrono, proditum est, id illis tanquam ratum fixumque tradere placuit. Immo vero Joannes Victorinus rei gestæ testis ocularus ad annum MCCXCVII. memorat Guidonem propter suam in Philippum IV. rebellionem, a Bonifacio piorum cœtu submotum fuisse. *Rex*, inquit, *Philippus non valens per se vel per alium prædicti Guidonis Flandrensis Comitis pertinaciam flectere, ut ei, sicut consueverat & debebat, obediret, & a rebellione cessaret, hoc Papæ per nuntios & literas intimavit, qui eum Romæ excommunicavit, nisi resipisceret, vel abstineret, vel desisteret ab inceptis.* Et post alia: *Guido Comes Flandriæ contumax, inobediens & rebellis erga dominum suum Regem Francorum repertus, immo & ipsius Papæ indignationem incurrit.*

Deinde anno MCCXCIX. *Guido Comes Flandriæ iterum excommunicatus est a Papa solenniter minante, quod condemnaretur, nisi erga Regem Franciæ quodcunque prius commiserat, emendaret.* Hæc autem cum ita gesta fuisse credendum sit, nulla veritate nititur, quod a recentioribus quibusdam, & cum primis a Meiro scriptum significavimus. Deinde cur jus Regis in vasallum impedire voluisset Bonifacius, qui jus idem in Philippum Regem usurpare tentavit? Novis scriptoribus quidvis scribendi causam præbuerunt gravissima odia, quæ aliquot post annos inter Philippum & Bonifacium exarserunt: sicque perturbato rerum & temporum ordine posteriores Historici, quod non fecit Pontifex, ei tribuerunt, cum esse rati Bonifacium, cui ceteroqui pessima quæque tribui possent.

Ex his autem, quæ sive ex Lamberto Wandeburchio, Victorino & Nangiaco, sive ex thesauro chartarum Regis jam retulimus, apparet verum illud esse, quod Belleforestus in vita Philippi Pulcri memoriæ prodidit, se nimirum e veteri manuscripto didicisse, *antiquam esse in Gallia legem, qua cautum erat, ne quis quantacunque valeret auctoritate, sine consensu Regis*

extra fines regni Matrimonium iniret. Hic non moror eos, qui hæc omnia vt eludant, tricantur super potestate ferendarum legum, quæ Matrimonia dirimant, cum his & aliis id genus effugiis & vanis distinctionibus satisfactum sit prima parte tractatus.

Ad sancitas de Matrimonio constitutiones quod attinet, Philippus & ejus filii solenne de non contrahendo sine consensu Regis Matrimonio sacramentum ediderunt, quod a publicis regni ministris voluerunt præstari. Illud extat in diplomate Ludovici Francorum & Navarræ Regis super pluribus edictis pro reformatione regni ad annum MCCCII. Parisiis die Lunæ post mediam Quadragesimam, ad annum MCCCXV. quo iterum probata ac confirmata fuerunt Parisiis mense Novembri.

Sequitur forma juramenti, per quam debent jurare Seneschalli, Ballivi, Iudices, Vicarii, Vicecomites, Præpositi, & alii Officiales nostri jurisdictionem habentes. Item jurabunt, quod durante administratione sua non contrahent, nec in personis suis, quantum in eis erit, permittent filiis aut filiabus suis, fratribus, sororibus, nepotibus, aut neptibus, aut consanguineis Matrimonium cum aliquo vel aliqua sub administratione sua, prædicta administratione sua durante, nec ponent in monasteriis religiosarum vel religiosorum aliquas de prædictis personis, nec acquirent eis beneficia Ecclesiastica seu possessiones, nisi de nostra processerit gratia & licentia speciali, personis duntaxat exceptis, quæ habent officia seu administrationes in locis, vnde traxerunt originem, vel in quibus mansionem habent, seu larem fovent, quibus liceat Matrimonium contrahere, parentes seu amicos in religionem ponere, & possessiones emere, dum tamen id sine fraude & cupiditate qualibet faciant, jure regio in omnibus & per omnia observato & penitus illæso. Hæc de Officiariorum sacramento, qui tunc temporis præcipuæ regni totius partes censebantur, vt tradit Antonius Fontanon lib. 11. tom. 11. Edictorum & Constitutionum Regum Galliæ.

Porro autem quadam factum est cautela, si verbis Ivonis vti liceat, vt procerum & officiariorum ordines quanto firmius in conspectu Dei & hominum ligarentur & solennius,

tanto robustius & devotius ab ipsis obedientia Regibus exhiberetur, & vt si qui vellent imposterum ab hoc proposito recedere, testimoniis pluribus convincerentur. Unde hæc sacramenta & alia id genus pactionum genera nihil sunt aliud præter quædam religionis & fidelitatis vincula, quibus humanæ levitati providetur, & illius casibus occurritur. Ac proinde regium in contrahendo consensum exquirendi obligationem cum ex consuetudine vel lege regni, tum ex fidelitate & ipsa naturali subjectione quæsitam, pactis & solennibus sacramentis firmare & augere honestum est, & pro instabilitate personarum vinculum vinculo superponere quam optimum.

CAPUT XI.

Sub Philippo Pulcro Bonifacius VIII. regiam in Matrimonium potestatem agnoscit.

BONIFACIVS VIII. insigni facinore testatus est supremam Regum ac Principum in impedimenta Matrimonii procerum auctoritatem. Etenim cum sibi Reges omnes in temporalibus subesse crederet, tanquam totius orbis domino, flagitavit primum a Philippo Pulcro, vt filias non cuiquam nuptum daret, quam admoneretur ipse, & communicaretur secum: sed non multo post suspicatus, se nihil consecuturum ab Rege, precibus adjunxit interdictum, quo vetuit, ne sine sua speciali permissione Sancium IV. Castellæ Regem, vel hujus filios conjugali liberorum, fratrum & sororum affinitate sibi devinciret. Sed neglecto Bonifacii interdicto, Margareta primogenita Philippi filia nupsit Ferdinando IV. Castellæ Regis Sancii filio. Hæc Tilius in collectorio. Sic igitur Bonifacius præter suam opinionem jus regium in impediendis procerum regni Matrimoniis confirmavit. Quod autem Philippum Galliæ Regem in temporalibus subesse sibi crederet Bonifacius, erravit: quod errore hoc

ſuppoſito, Philippum non potuiſſe filias cuiquam elocare crederet, quin aſſentiretur, non erravit; cum qui ſupremo alicui domino in temporalibus ſubeſt, ſine illius aſſenſu connubia celebrare nulla poſſit.

Ceterum „ quod Bonifacius crederet, Regem Galliæ & alios ſibi ſubeſſe in temporalibus, erraviſſe docuit poſtea Clemens V. qui cap. *Meruit. de privilegiis*. Bonifacii correxit errorem. Docuerunt & alii Pontifices, qui libros Alexandri Carrerii hac de re contra Bellarminum editos non ita pridem damnarunt. Acceſſi & ego pluribus ad amicos epiſtolis in parte ſeptima Epiſtolarum noſtrarum.

CAPUT XII.

Sub Philippo Longo cum Regente, tum Rege, regia in Matrimonium poteſtas retenta.

PHILIPPUS V. qui & Longus dictus eſt, regii in Matrimonia procerum juris egregium ſe præſtitit defenſorem. Etenim poſt obitum Ludovici Hutini, cum Regentis provinciam ſuſtineret, ad annum MCCCXVI. XVII. Julii cum Odone Burgundiæ Duce icit fœdus, quo convenit inter ſe, Joannam Hutini ex priori vxore filiam non iri elocatum, niſi de conſenſu illius, qui regnum Franciæ regeret. Fœderis hæc eſt ſumma ex Gallico Latine verſa: *Item volumus, & voluimus, conſenſimuſque, Ioannam Ducis Burgundiæ neptem cum omnibus terris eidem Duci propter educationem tradi: ſed optima ſecuritate data, quod non elocabitur, niſi de conſenſu noſtro, vel illius, qui in Gallia Regentis munere fungeretur, patrui noſtri Valeſii, aut noſtri cariſſimi conſobrini Philippi filii ejus, ſi dictus noſter patruus Valeſius deficeret; noſtri cariſſimi patrui Ludovici Eburonicum Comitis, aut illius filii natu majoris, ſi dictus noſter patruus Ebroicenſis Comes deficeret; noſtri cariſſimi fratris a Marchiá, aut illius filii natu majoris, ſi dictus noſter cariſſimus frater a Marchia deficeret; & ſi deficerent omnes, aliorum totidem qui*

ad Francicum genus propius attinerent. Hæc ex thesauro chartarum Regis, area Burgundiæ, quæ pro regio in Matrimonia procerum jure gessit, procuratione regni Franciæ Navarræque suscepta, donec vxor Hutini Clementia pareret. Sed postquam mortuo, qui ex ea natus est, Joanne, Philippus regium nomen sumpsit, hæc alia pro eodem jure præstitit: ad annum quippe MCCCXX. & MCCCXXI. duabus diversis literis consensit in Matrimonium, quod Margareta Claromontensis cum Joanne Henrici domini de Sulleyo filio contraxit.

CAPUT XIII.

Sub Carolo Pulcro regia in Matrimonium potestas retenta.

CAROLVS Pulcher duo præbet exempla, quibus regiam in Matrimonia procerum auctoritatem exercuit. Siquidem anno MCCCXXII. confirmavit Matrimonium, quod Petrus I. Borbonii Dux cum Isabella Valesia Caroli Comitis Valesii filia inivit.

Deinde anno MCCCXXV. ratum habuit conjugium, quo Alisia Arturi I. Armoricæ Ducis filia nupsit Buchardo Vindocinensi Comiti. Designatum jam ab anno MCCCXX. conjugium absolvi nec debuit, nec potuit, donec ab Rege confirmaretur. O felicem ætatem, in qua Reges nulla procerum vel optimatum diremerunt Matrimonia, quia nulla sine Regum consensu celebrata traduntur! Confirmantis ex jure Matrimonia procerum regni eadem est, quæ dirimentis seu impedientis potestas. In confirmandis procerum, quam in dirimendis Matrimoniis gloriosius elucet regia potestas. In vno procerum obsequium laudandum est; in altero rebellio castiganda.

CAPUT XIV.

Sub Philippo Valesio regia in Matrimonium potestas retenta.

PHILIPPUS Valesius Joanni primogenito filio copiam fecit, vt Mariam filiam suam primogenitam nuptum Petro Alfonsi XI. Regis Castellæ primogenito daret. Hæc Tilius in collectorio Regum & rerum Francicarum. Qui vero Reges cum filiis vel regni procetibus de celebrando Matrimonio dispensant, vetandi ne celebretur, jus proprium vel aliunde quæsitum habent. Sed quo jure, proprione, an alieno, prima tractatus parte demonstratum est. Quoniam vero non semper occurrunt Matrimonia, quæ permittantur, vel quæ impediantur, hoc caput vnico dispensationis exemplo absolvetur. Deinde non omnia referre possum, nec constitui.

Excerptum ex publicis supremi Parisiorum Senatus tabulis, quæ sic inscribuntur: *Status, concordiæ, articuli, petitiones, protestationes, & continuationes annorum* CCCXXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. & XXXIII. II. *vol. année mil* CCC. XXIX.

Philippes par la grace de Dieu Roys de France. A nos amés & feaus l'Evesque de Beauvés, l'esleu d'Avranches, Pierre de Cuigneres Chevalier, & Pierre de Villebreme, salut & dilection. Comme nostre amée & feal la Dame de Estrepigny nous ait fait humblement supplier & requerre, qu'il nous pleust à li faire delivrer & bailler la garde de Marie sa fille, comme elle soit & doie estre plus curieuse & diligens de la bien garder & nourrir que nul autre, & plus li soit honeste chose d'estre aveo li, que avec vn estrange: Nous enclinans à sa supplication, voulons & vous mandons, que prise & receuë de ladite Dame bonne seureté & caution, jusques à la somme de trente mil livres parisis, que elle ne fera ou soufferra aliener par non de mariage sadite fille, avecques

quelque personne que ce soit, sans nostre gré & assentement especial, vous li baillez de par nous en garde le corps de ladite Marie sa fille, sauve en ce & en autres choses pour raison d'icelle garde nostre droit. Et parmi ladite caution dites de bouche, ou mandés de par nous à nostre amé & feal Mahi de Trie Mareschal de France, par devers lequel ladite Marie est orendroit de nostre volenté & commandement, qui la meste & delivre tantost par devers ladite Dame de Estrepigny sa mere, pour la garder de par nous, & nourrir en la maniere que dessus est dit. Donné à Arcies le XXIV. *jour de Ienvier.*

Laquelle Dame presente en nostre Court le X V. *jour de Fevrier ensuivant, en baillant caution pour ravoir sa fille, si comme il est contenu en nostredit mandement, obligea tous ses biens, meubles & non meubles, & avec ce ou cas la où ladite caution ne souffiroit, elle bailla en plege le Chancelier, le Seigneur de Partenay, Robert de Preaus, Raoul de Chauvigny, & Regnaut de sainte More, & les promist à garder de tous dommages, se aucuns en avoient pour reson de ce par sa defaute.*

Quod Latine dicitur: *Philippus Dei gratia Rex Franciæ, dilectis & fidelibus nostris Episcopo Bellovacensi, Electo Abrincensi, Petro de Cugneriis Equite, & Petro Villebremensi, salutem & dilectionem. Dilecta & fidelis nostra domina de Estrepignyo cum a nobis suppliciter petiit, ut ei daremus Mariæ filiæ suæ custodiam, & aliunde credibile est filiam a matre diligentius, quam ab alio quoquam custoditum ac nutritum iri, & eidem filiæ honestius cum matre quam cum externa muliere manere: matris petitioni annuentes, volumus & vobis præcipimus, ut accepta prius ab eadem domina ad summam usque mille & triginta libellarum Parisiensium sponsione idonea, qua filiam nulli unquam sine speciali Regis assensu nupturam esse pollicebitur, eidem dominæ Mariam filiam ejus in fidem & tutelam conferatis, salvo cum in hac, tum aliis in rebus propter eam tutelam jure nostro. Præterea Matthæo de Tria Franciæ Mareschallo, a quo prædicta Maria, quid nobis placuit, resciet, coram dicite vel nomine nostro scribite, ut eam matri suæ dominæ de Estrepignyo in manus tradat, & ut mater filiam auctoritate nostra tueatur, & modo supradicto nutriat. Datum Arceis* X X I V. *die Ianuarii.*

Prædicta domina in nostra Curia se sistens XV. *Februarii die insequenti, satisdando, vt filia ad eum modum reciperet, quo in nostris continetur mandatis, mobilia & immobilia bona omnia oppigneravit; & si casus inciderit, in quo satisdatio non sufficeret, pro ea Cancellarius, Dominus de Partenaio, Robertus de Pratellis, Radulfus de Chauvignyo, & Reginaldus de sancta Maura spoponderunt, quos ab omni detrimento, si quod propter hoc culpa sua contingeret, liberaturam se esse promisit.*

Hæc autem sunt instabilitatis humanæ vincula, quibus optimates vtriusque sexus redduntur inhabiles ad contrahendum sine Regis assensu Matrimonium, ne contracta sine assensu tali Matrimonia tranquillitatem ac pacem publicam regni conturbent.

CAPUT XV.

Sub Joanne Rege regia in Matrimonium potestas retenta.

INDVBITATVM fuisse vsum regii in Matrimonia procerum juris, quod persequimur, constat ex iis, quæ sub Joanne I. Galliæ Rege acta sunt. Oratores enim Joannis Regis confecto ad annum MCCCLIII. VI. Januarii die, publico instrumento Petri Castellæ Regis oratoribus promiserunt, eum eidem Petro literas ab Rege Joanne daturum, quibus ejusdem Castellæ Regis Matrimonium cum Blancha-Borbonia initum confirmaret: quippe quod initum anno superiori Matrimonium Regis caruerat assensu.

Joanna Philippi Burgundiæ Ducis filia cum Joanni Regi reddita esset, fœdere inter eundem Regem & Comitem Sabaudiæ icto convenit, vt cuicunque placeret Regi nuberet, excepto Delphino primogenito illius. Ex thesauro chartarum Regis. In conjugio, quod inter Margaretam Ludovici Malleani Flandriæ Comitis filiam, & Edmundum Edvardi Anglorum Regis filium contractum est, jus regium eminere

sic

ſic obſervamus ex Jacobo Meyro, qui hujus hiſtoriam lib. XIII. annalium ad annum MCCCLXV. pertexuit. *Ludovicus*, inquit, *Princeps in Angliam ad Eduardum Regem trajecit: indictus conventus eſt ad Duberim portum, vbi filiam ſuam petentibus Flandriæ civitatibus, Edmundo Eduardi Regis filio deſpondit: quæ tamen deſponſatio, quod facta eſſet invita pene omni dignitate Gallica, non ſervata eſt. Fingebatur enim quoddam obſtaculum cognationis, quod ſolvere nollet Urbanus V. ne nihil haberet excuſationis pacti reſciſſio.* Duo narrat Hiſtoricus conjugii obſtacula. Unum, quod deſponſatio repugnantibus Gallis facta ſit, vnde non ſervatam fuiſſe deſponſationem ait. Alterum, fictum cognationis impedimentum, quod tollere Pontifex noluerit, *ne*, inquit auctor, *nihil haberet excuſationis pacti reſciſſio.* Non quod prius impedimentum non ſufficeret, vti conſtat, ſed vt factum vinculum vero vinculo inditum omnem tergiverſandi auferret occaſionem. Quod autem Rex Galliæ Pontificem, vt diſpenſationem cognationis denegaret, non rogavit, ſicut ante annos aliquot Emmanuel Suierus aſſeruit, docet conſcripta ab auctore ſynchrono Urbani V. vita. *Per id tempus Philippus junior inter filios præfati Ioannis Francorum Regis, Margaretam filiam Ludovici Comitis Flandriæ, relictam Philippi Ducis Burgundiæ, duxit in vxorem.* Et poſt alia: *In iſtorum autem matrimoniali copulatione neceſſaria fuit Apoſtolica diſpenſatio propter conſanguinitatem, qua ſatis de proximo jungebantur, quam memoratus Urbanus Papa gratioſe conceſſit, licet eam per prius Regi Angliæ in perſona vnius ex filiis ſuis denegaſſet, in quo nullam ſibi fecit injuriam, cum hoc non a juſtitia, ſed a ſui maxima gratia dependeret: & ſibi licuit prout ſibi placuit, alteri concedere, & ſibi denegare. & quod ſic factum fuerit, a Deo creditur ordinatum.* At probet hic Suierus Galliæ Regem feciſſe id quod narrat, tametſi fieri potuerit ſine vlla Gallici juris imminutione. Quis enim neſcit Regem potuiſſe ſuum in dirimendo hoc conjugio jus aliunde tueri, quod aperto marte vix fortaſſis conſervaſſet: ſive quod Flandriæ Comes ſolus, ſive quod Anglis junctus, Regi Galliæ par eſſet reſiſtendo?

Excerptum ex vno e commentariis Curiæ Rationalium Pa-

risienf. inscripto : *Registrum donorum per Regem Ioannem factorum a* X. *die Novembris anni* MCCCLIII. *vsque ad* V. *diem Martii an.* MCCCLIV. *folio.* LXIV. *v.*

Ioannes Dei gratia Francorum Rex, vniversis præsentes litteras inspecturis, salutem. Exposuit nobis Colardus de Salcibus, Baillivus noster Vitriaci, quod cum ipse Matrimonium contrahi procuraverit de Colardo filio suo cum filia Radulphi de Dargiers militis, in sua Ballivia commorantis, timeatque ne eidem imputari posset in futurum, quod hoc juxta ordinem facere non potest, absque emenda erga nos incurrenda: notum facimus, quod attentis gratis servitiis per eum nobis factis, eidem omnem emendam quam propter præmissa incurrere potuit, remittimus & donamus, nonobst. &c. *Datum Parisius die* XV. *Iunii anno* MCCCLIV. *per Regem ad relationem consilii, in quo vos & Dominus Cathal. eratis.* POTIN.

Ex hoc quidem instrumento apparet, eos qui contracturi erant Matrimonium, subjacere mulctæ, quam subiissent, si clam Rege contraxissent Matrimonium: concludi tamen non potest, Regem jure reddendi subditos ad contrahendum Matrimonium inhabiles carere. Jus est, quo Reges vti possunt, quomodo & quo tempore expedire judicant: id in prima parte tractatus affluenter comprobatum est. Hoc igitur in loco pœna illius, qui non servasset quod servandum erat, non consistit in dissolutione Matrimonii, sed in mulcta quæ indicta erat. Huc spectant ea quæ dicuntur jura meræ facultatis.

CAPUT XVI.

Sub Carolo V. regia in Matrimonium potestas retenta.

BITVRIGVM Dux cum vellet Mariam filiam Bernardo Armeniaci Comiti collocare in Matrimonium, amplissimamque ex hereditatibus dotem conficere, id agendi potestatem accepit a Carolo V. Galliæ Rege, vt scribit Tilius in collectorio.

In publico instrumento, quod Carolus anno MCCCLXXIV. die v. Octobris super educatione primogeniti filii sui confecit, Principum atque optimatum regni sacramentum extat, quo obstringunt sese nullum cum hostibus Gallici nominis Matrimonium celebraturos. Illud autem sic se habet Latine versum: *Ego talis*, &c. *super sancta Dei Evangelia juro, & corporis mei fide polliceor, me quoad vivam, fidelem fore & vere obsequentem meo metuendissimo & supremo Domino Domino Carolo Regi Franciæ, personam illius, honorem, statum, dominium, ditiones & alia jura regni pro virili servaturum & defensurum, atque ad servandum defendendumque adjuturum contra omnem hominem, qui vivere & mori potest, bonum & fidele consilium ei daturum, si quando petere a me dignetur, communicata mihi arcana regni custoditurum, utilitatem procuraturum, incommoda propulsaturum, & si propulsare non possim, ei denuntiaturum, super illius morte, captivitate, detrimento, sive in corpore, sive in bonis non consensurum, nullum fœdus sive Matrimonio, sive quavis alia ratione cum illius hostibus rebellibus & contumacibus percussurum, nulli serviturum, opem vel consilium laturum contra ipsum vel ipsius regnum. Ita me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia, & præsentes Sanctorum reliquiæ.* Hæc in thesauro chartarum Regis, in arca procurationum regni, & Regum natu minorum. Qui ut jura Regum in Matrimonii contractus imminuant, in sola ejusmodi sacramenta potestatem impediendi Matrimonia procerum transferunt. Hoc inprimis sacramentum expendant, in quo quæ proceres servaturos se solenni juramento protestantur, eos aliis ad ea servanda nominibus obstringi comperient. Insanus profecto sit, qui negaret, ante præstitum hoc sacramentum ad procurandam Regis regnique salutem Principes atque optimates obligari.

Sed diluenda nunc est objectio, quæ ex Lucemburgicæ domus historia duci posset. Valeranus Comes sancti Pauli, cum esset in Anglia captivus, sine consensu Caroli V. uxorem ex matre sororem Regis Angliæ duxit, ut refertur in ea historia, quam Nicolaus Vignerius vernacule conscripsit. At Valeranum Carolus non rescissione Matrimonii, sed alia mulctavit pœna: nempe quas habuit in regno possessiones occupavit. Verum

respondemus primo concludi quidem inde Matrimonium illud a Carolo non fuisse rescissum; sed quod non potuerit jure rescindi, non concludi. Respondemus secundo, quoad vixit & restitit Carolus, id est, aliquot mensium spatio, nullum reipsa fuisse Matrimonium, quod non alio modo quam sola ditionum Comitis occupatione testari voluit, cum nec tempus, nec politica ratio quidquam aliud suaderent. Nuptiæ contractæ fuerant anno MCCCLXXIX. & Carolus obiit XVI. Calendas Octobris ann. MCCCLXXX. quo duorum Ducum opera, Andegavensis & Brabantini, rediit Comes in Galliam, & in gratiam alterius Regis, qui quod patri justam ob causam Matrimonium displicuit, ob similem causam probavit, immo & occupata ab eo dominia reddidit. At pater improbando Matrimonium, & filius probando, vnum vtrique statuerunt: in hac scilicet consiliorum varietate & temporum diversitate, fixam in tuenda Galliæ pace concordiaque perseverantiam.

CAPUT XVII.

Sub Carolo VI. regia in Matrimonium potestas retenta.

CAROLVS VI. veniam dedit Joanni I. hujus nominis Duci Borbonii, vt cum Maria Bituricensis Ducis filia Matrimonium contraheret, vt scribit Tilius in collectorio.

Ad annum MCCCCI. Archambaldus Graillius Fuxensis Comes, & Benarni Vicecomes, cum se vasallum Regis agnosceret, eidem Regi promisit, se sine illius consensu filios suos Matrimoniis non illigaturum. Ejusmodi autem est sacramentum: *Præterea promittimus & juramus prout supra, quod aliquos liberorum nostrorum nullatenus maritabimus, nec patiemur aut procurabimus Matrimonio copulari, nisi cum subditis & benevolis dicti superioris Domini nostri Regis: volumusque & præcipimus, quibus supra nominibus, omnibus liberis nostris prædictis,*

quod similiter promittant & jurent. Et jam dicti Ioannes & Gasto filii nostri de mandato & auctoritate nostris juraverunt, nullatenus contrarium se facturos: & alios liberos nostros prædictos ad hujusmodi juramentum præstandum auctorisamus ad plenum. Hæc ex thesauro chartarum Regis in arca Fuxensi. Qui antiqua regni consuetudine & lege jam erant ad contrahendum Matrimonium inhabiles, hoc iterum sacramento inhabiles redduntur.

CAPUT XVIII.

Sub Carolo VII. regia in Matrimonium potestas retenta.

INTER Carolum VII. & Joannem Armoricæ Ducem convenit, ejusdem Ducis filium non contracturum Matrimonium cum Ludovici Ambosii filia, quin Rex Carolus assentiretur. Quod vterque Dux, pater & illius filius, scripto confirmavit anno MCCCCXXXI. ex thesauro chartarum Regis in arca Armoricæ.

Regia in Matrimonium procerum auctoritas plurimum elucet in eo conjugio, quod Carolus Carolesii Comes, & postea Burgundiæ Dux, contraxit cum Isabella Caroli I. Borbonii filia. Sed hoc conjugium ita celebratum est: *Anno* MCCCCLIII. *mense Martio Philippus Bonus Burgundiæ Dux, de celebrandis filii Caroli Carolesii Comitis cum Isabella Caroli Ducis Borbonii filia nuptiis egit. Sed antequam vltra progrederetur, nosse voluit, vtrum Borbonii Dux & Ducissa parentes gratum id haberent. Qui gratum id habere se responderunt, modo Carolo VII. Regi placeret; sed brevi ea super re voluntatem Regis exquirerent. Philippus quippe non solum erat Princeps ortus ex prosapia regia, sed & Dux Brabantiæ, & Comes Hanoviæ & Holandiæ: qua ratione tanquam extraneus Princeps haberi poterat. Anno vero* MCCCCLIV. *idem Philippus Dux cum hoc perfici Matrimonium optaret, & Isabellæ parentes ad illud perficiendum invitasset, con-*

venit inter eos, vt Rex Carolus adiretur, illius consensum obtinendi causa. Tunc ad Regem missa est Claromontensis Comitissa, Caroli VII. filia & vxor Claromontensis Comitis, quæ rem ita prudenter gessit cum Rege, vt illius consensum obtinuerit: atque sic brevi Philippus nuptias celebrari curavit. Unde observandum est, non ante celebrasse illas nuptias, quam vnum annum cum dimidio Regis consensum exspectasset. Hæc Matthæus Descouchy in manuscripta Caroli VII. Historia, quæ ab anno MCCCCXLIV. ducit initium, & desinit ad annum MCCCCLXI. sed quæ Gallice dicit, Latine vertimus, & velut in compendium misimus. Illustre porro exemplum est, quo regia in optimatum conjugia potestas declaratur, & validissime confirmatur.

Non potuerunt in Gallia pro gravi crimine haberi tractatæ a Principibus inscio Rege nuptiæ, nisi viguerit lex aut recepta consuetudo, qua ne quis id moliri auderet, caveretur. Duo proponam exempla, quibus cum ex admisso crimine, tum ex illius vindicta jus Regis in Matrimonia Principum constabit. Unum est Joannis IV. Armeniaci Comitis, qui clam Rege nostro Carolo de celebrandis inter filiam suam & Regem Angliæ nuptiis egit. Hoc & aliis criminibus commotus Rex Comitem & vniversa illius bona capi decreto suo jussit. Affines & amici Comitis cum insontem eum esse crederent, audiri se super negotio Comitis a Rege postularunt: quod concessit; sed id coram Consilio suo fieri voluit. Quæ Comes & illius majores pro Regibus & regno strenue gesserant, in medium adducunt, Comitemque inique habitum conqueruntur. Tunc regius in caufis criminum Patronus Joannes Barbinus, qui aderat, respondere jubetur. Trium vero dierum inducias petiit, & consecutus est. His diebus elapsis Patronus pro Rege dixit in Consilio, adversariorum orationi respondit, & quæ accusatus Comes contra Regem & subditos admiserat, speciatim redarguit. Præcipuum crimen in eo erat, *quod*, vt ait Matthæus Descouchy, *fœdus inierat cum Henrico Angliæ Rege, eique in vxorem tradiderat filiam suam, ac multa Regi regnoque perniciosissima promiserat. Sed illud Matrimonium inscio Rege nec debuit, nec potuit tractare secundum edicta regia, quæ dudum in Gallia viguerant. Immo*

eandem esse aliorum Principum rationem historicus noster adjungit. Parronus Regis conclusit, quidquid adversus Armeniacum Comitem actum fuerat, jure actum fuisse; hac in causa Regi ab vniversis ejus popularibus opem esse ferendam; immo Regem ipsum ad vindicandum id facinoris genus teneri; bona omnia Comitis regali fisco addicenda esse, atque in ipsum Comitem supplicio corporis animadvertendum. Qui negotium Comitis tractabant, mutato consilio veniam precantur. Hujus obtinendæ causa, Comitis amici pedibus Regis sese advolvunt: tunc humili dejectione Rex motus capta bona ea conditione restitui jubet, vt Comes servandæ, quæ super agitata per Advocatum regium quæstione fieret, conventionis pignora præberet; & tandem post magnam & celebrem Principum regiæ prosapiæ, Consiliariorum magni Consilii, & multorum Curiæ Parlamenti Senatorum deliberationem, Rex Armeniaco Comiti & illius filio abolitionem facti decrevit.

Observandum vero est, in literis abolitionis hæc conceptis verbis exprimi: *Tribus abhinc annis tres Anglos, qui adversariorum nostrorum partes sequuntur, ad dictum nostrum consobrinum Comitem Armeniacum seorsim venisse, quos sine venia nostra ac permissu recepit, & cum quibus de celebrandis cujusdam filiæ suæ cum nostro nepote, & adversario Angliæ Rege, nuptiis tractavit, quod facere non debuit.* Hæ porro literæ abolitionis in supremo Tolosæ Senatu admissæ sunt, die XIV. Maii ann. MCCCCXLVI.

Alterum exemplum est Alenconii Ducis, quem concessa vitæ vsura carcer habuit vsque ad obitum Caroli VII. quod præter Regis conscientiam de Matrimonio filii cum filia Ducis Eboracensis egisset. Hanc rem accurate describit Monstreletus volum. III. in Carolo VII. *Anno* MCCCCLVI. *Lutetiæ Parisiorum jussu Regis captus Dux Alenconius a Comite Dunensi Melodunum ad Regem ductus & convictus, cum Anglis inscio Rege egisse, vt filia Ducis Eboracensis filio suo nuptum daretur, indeque ipsis in Normanniam ingressum præberet: quod crimen ipse vltro confessus est, atque ob id in ergastulum conjectus vsque ad mortem Regis.* Legat nunc qui voluerit, & relegat Alenconii

Ducis historiam, semper inveniet, attentatas ab eo nuptias primam mali labem extitisse, & ceterorum originem criminum, quæ furtivis nuptiis vti fundamento deinceps inædificata sunt.

Ex iis autem, quæ pro retinenda regia in Matrimonium procerum auctoritate Carolus strenue fecit, facile diluitur objectio, quæ ità comparari posset. Ludovicus Delphinus, qui postea Rex fuit hujus nominis vndecimus, vivente Carolo VII. Carlottam Sabaudi filiam accepit vxorem, non requisito Regis assensu: & tamen Matrimonium valuit. Respondemus primo, vt hujus facti veritas expendatur, sciendum esse, quod Delphinus geminam a Rege secessionem fecerit: vnam anno MCCCCXL. quæ exiguum ad tempus; alteram anno MCCCCLVI. quæ ad obitum vsque Regis duravit. At Delphino nupsit Carlotta anno MCCCCLII. juxta Monstreletum, vel anno MCCCCLIII. juxta Belleforestum: quibus annis summa Regis patris cum Delphino filio viguit concordia. Præsumpto igitur Regis assensu nuptiæ celebrari potuerunt. Neque vero Alanus Quadrigarius, Monstreletus, Comminius, Guaguinus, Æmilius, Tilius, Hallianus dissentientem Carolum meminerunt. Res erat cum primis memoratu dignissima. Verum vt cum prius Delphini Matrimonium non dissentiente Rege factum referunt, illum consentientem credimus: sic & in posteriori non abfuisse idoneum Regis consensum autumamus. Respondemus secundo Si quis expressum Regis consensum desiderat, replicatis Burgundiæ annalibus inveniet, Delphinum in vrbe, cui nomen Forum-Segusianorum, inita Regem inter & Sabaudiæ Ducem pace Matrimonium cum Carlotta contraxisse. Hæc apud Petrum Matthæum lib. I. vitæ Ludovici XI. Huc quoque spectat, quod Paradinus lib. III. chronici Sabaudiæ cap. XLIV. commemorat. *Historiæ*, inquit, *non consentiant: vnis quidem memoratur, conciliatam ipso Delphini conjugio pacem; alteris vero promissam Delphino Carlottam eidem tunc fuisse concessam.* Inde apparet, falsum esse, quod nonnulli dicunt, causam, cur in odium Regis venerat Sabaudus, ex eo natam esse, quod sine illius assensu Delphino nupsisset Carlotta.

Odium

Odium illud aliam habuit originem, ſed non omnibus animadverſam. Quare Guaguinus illius ferme temporis ſcriptor profitetur, ſe admiſſi in Regem criminis modum ſcribere non poſſe, quem a majoribus non acceperat. Reſpondemus tertio, in omnibus pacis conditionibus, quas Burgundus per Croium Carolo pro reditu Delphini propoſuit, illam de peractis inſcio Rege nuptiis locum haud vltimum tenuiſſe, cum maxime vno poſt alteram ſeceſſionem anno Carlotta, cum qua præ juvenili ætate, vt quidam volunt, Matrimonium nondum conſummaverat, Namurcum ad Ludovicum acceſſit: ſed nulla penitus inter pacis conditiones ejus rei incidit mentio.

CAPUT XIX.

Sub Ludovico XI. regia in Matrimonium poteſtas retenta.

QUI quod Delphinus Caroli VII. filius cum Carlotta Sabaudi filia contraxit Matrimonium, nobis objiciunt: ſi vere objicerent, aliam tunc fuiſſe Ludovici Delphini, aliam nunc eſſe Ludovici Regis conditionem agnoſcerent. Quæ enim Ludovicus vt Delphinus geſſiſſet male, vt Rex emendando confirmaret, ratumque haberet. Nempe regiæ in Matrimonia procerum auctoritatis vindicem ſe præbuit juxta ac majores. Sed id videndum eſt. Carolo VII. Rege Joannes II. Alenconii Comes e regio genere conjectus fuerat in carcerem, quod filiam primogenito Eboracenſis Ducis filio tradere in vxorem voluiſſet: propter hoc crimen Vindocini anno MCCCCLVIII. die X. Octobris in Comitem ſupplicium mortis decernitur. Sed ſuſpenſo decreto in carcere captivus detinetur ad obitum vſque Caroli VII. Ludovicus Caroli filius, vbi patri ſucceſſit, Comitem Alenconii carcere liberat, reſciſſoque mortis decreto veniam concedit, Ludovico ab eodem Comite datis anno MCCCCLXI. die XII. Octobris literis,

quibus inter cetera continetur, Ludovicum Regem Renati & Catharinæ filiorum Comitis custodiam sibi reservasse, & de illorum Matrimoniis disponendi potestatem, vt cui mulieri placeret Regi, Renatus conjungeretur, & cui viro Catharina nuberet. Prætcrea si quid quod in damnum Regis posset cedere, moliretur, seu conjugali liberorum fœdere, seu alia quavis ratione clam Rege, & sine expresso illius jussu, cassam esse & irritam, quam acceperat gratiam, consensit.

Ludovicus XI. anno MCCCCLXV. ratum habuit Matrimonium, quod Petrus II. Borbonii Dux cum Maria Aurelianensi filia Caroli Aurelianensis Ducis ab anno MCCCCLXI. contraxerat, mense Septembri.

Renatus Alenconii Dux & Perticensium Comes in potestatem Ludovici XI. Regis cum venit, inter alia pactorum genera istud primum fuit, vt non ante vxorem duceret, quam Matrimonio Rex assentiretur. Immo hac ipsa conventione vniversos Alenconiensis Ducatus & Perticensis Comitatus vasallos teneri voluit Renatus. Quod si secus attentaretur omnibus coactionibus & pœnis, quibus Rex voluerit, subjicerentur & Dux & populares Ducis. Hoc refert Ægidius Bry Parisiensis Causidicus in historia Comitum Alenconii & Perticæ lib. V. cap. X.

Ceterum ex hac & similibus conventionum generibus observandum est, & quod Reges summam in Matrimonia procerum & vasallorum auctoritatem habere se crediderint, & quod licet in novis ad regnum accessionibus principatuum jus nullum in Matrimonia Principum acquirant, quod cum ex supremo dominio, tum ex subditorum conditione non debeatur, hoc ipsum tamen consueverunt in suis pactis stipulari, vt Principes & regni optimates ad servandam pacem, & retinendum bonum publicum multis nexibus obstringantur. Hoc a nobis monendum fuit sæpius, ne ex eo quod ex benignitate Regum proficiscitur, Regum ipsorum auctoritatem elevandi quis ansam arripiat.

Nunc diluenda est objectio, quæ ex conjugio Mariæ heredis Burgundiæ cum Maximiliano sic duci posset. Ludovicus

XI. omnes adhibuit machinas, vt Maria non nuberet Maximiliano, sed frustra; nec tamen conjugium illud dictum est vnquam a Ludovico nullum. Respondemus primo, quam quæstionem armotum vi & conserra manu dirimere non poterat, verbis dirimere non curavisse, cum præsertim causæ nihil ac juri suo profuisset. Supremo Domino ad retinendam juris rationem nonnisi bellum superest. Ad quem, quæso, pro vindicanda confugisset injuria, vel coram quo judice disceptasset Rex, qui nullum in temporalibus superiorem præter Deum agnoscit? quemadmodum de Rege Galliæ testatur Innocentius III. Respondemus secundo, vno post contractum Matrimonium circiter anno Ludovicum Regem illud tacito consensu ratum habuisse, cum Sixti IV. Pontificis hortatu Ludovicus & Maximilianus datis ad annum induciis reconciliari sunt; & post annos quatuor Margareta Maximiliani filia in Galliam adducta est spe conjugii cum Delphino ineundi. Respondemus tertio, non videri exemplum esse omnino consentaneum, tum quia Maximilianus neutiquam Ludovico subdebatur, tum quia Maria Regi ex omni parte vectigalis non erat. Plures enim ac potiores ditiones habebat dominio Regis solutas, quam ab eo Rege pendentes. Quod cum ita sit, non immerito dubitaretur, num vt pro pendentibus a Rege ditionibus fisco, sic legi seu consuetudini Matrimonium dirimenti Maria subjiceretur. Quare non miror, quod Rex prudens & simulationis peritus ejusmodi Matrimonium irritum non declaravit. Verum quia de hoc capite nihil ab aliis conclusum vidi, meum interim suspendo judicium de illa quæstione, quæ sic proponeretur: Utrum initum in pari prorsus casu Matrimonium contra Regum Galliæ, Hispaniæ, vel aliarum gentium voluntatem valeret, necne. Respondemus quarto, licet daretur legem vel consuetudinem regni nonnihil passam esse detrimenti, cum Ludovicus, ne Maria Maximiliano nuberet, vetuit, totum istud a Carolo filio Rege in integrum restitutum esse.

CAPUT XX.

Sub Carolo VIII. regia in Matrimonium poteſtas retenta.

AD annum MCCCCLXXXVIII. Franciſcus Armoricæ Dux ſancito fœdere quod apud Jalignium extat, ſe ſine Regis aſſenſu filias ſuas non elocaturum promiſit Carolo VIII. Fœdus illud & conſtituta decem mille nummorum aureorum mulcta, & præcipuarum Ducatus vrbium oppignneratione communitum eſt, quo regia in Matrimonia procerum auctoritas ſecurius retineretur.

In hiſtoria conjugii, quod Anna Britanniæ filia cum Maximiliano contraxit, jus regium eminere demonſtrandum eſt; ſed rem altius repetimus, vt quorundam tergiverſationibus occurratur. Duæ ſunt igitur de hoc conjugio narrationes hiſtoricorum oppoſitæ: vna eorum, qui conjugium vere quoad potuit in ſpeciem, initum per procuratores fuiſſe affirmant, altera eorum, qui negare videntur. Qui affirmant, ſunt Linturius in appendice ad Faſciculum temporum anno MCCCCXCI. Wimphelingius ibidem, Polydorus lib. II. Hiſtoriæ Anglorum, Scſellius apud Jovium Pontanum lib. II. de fortitudine, Comminius lib. I. de bello Neapolitano, Mutius lib. XXIX. Germanic. chronic. ann. MCCCCXCI. Tritemius in chronic. Sponheimenſi ann. MCCCCXCI. Jovius lib. I. Hiſt. Tilius in chronic. ann. MCCCCXCI. Sleidanus in deſcriptione Galliæ, Argentreus lib. XII. Hiſt. Britann. cap. LVI. Gordonus in chronologia ann. MCCCCLXXXIX, Spondanus in auctario ann. MCCCCLXXXIX. Petavius in Rationario temporum, & alii. Qui vero negare videntur, ſunt Guaguinus in epiſtola ad Wimphelingium, Nauclerus generat. L. ann. MCCCCXC. Belleforeſtus in Carolo VIII. ann. MCCCCXCI. & quidam alii. Horum autem vera ſi non ſit, ſed aliorum narratio, Matrimonium, quod Maximilia-

nus iniit cum Anna Armoricæ herede, solo regii consensus defectu nullum fuit, eamque Carolus VIII. Maximiliano ereptam legitime duxit in vxorem.

Ex Ducum vero Armoricæ archivis, quæ Argentreus ipse revolvit, deceptos fuisse Guaguinum, Nauclerum, Bellesorestum & alios, probatu non est difficile. Quo enim pacto revinceretur Argentreus, cum & se datum quatuor procuratoribus ad contrahendum diploma vidisse, & Matrimonium per eos tunc solenni ritu factum fuisse, atque insuper mandata Maximiliani & Annæ deinceps his verbis concepta reperiri testentur: *Maximilianus & Anna Rex & Regina Romanorum, Dux & Ducissa Britanniæ.* Quis nunc crederet, Guaguinum, Nauclerum & alios ejusdem opinionis historicos abrogare velle fidem Argentreo, qui hæc monimenta omni exceptione majora vidit? Non enim Guaguinus & Nauclerus ii sunt, qui sibi hoc sumant, vt falli non potuerint. Plus vni certe oculato testi, modo corruptæ fidei non probetur, tribuendum est, quam centum aliis, qui testantur id quod non viderunt, aut quinetiam testantur id non esse gestum, quod reipsa gestum est. Neque vero vnus contractum a Maximiliano per procuratores Matrimonium testatur Argentreus; sed omnes illi, quos retulimus, & inprimis Linturius, qui *Regem Romanorum per Legatos de præsenti contraxisse cum Ducissa Britanniæ* dicit, & plures versus, contumeliosasque in Carolum epistolas ac declamationes cupidissime refert.

Verum a Polydoro rationem, cur Annam a Maximiliano dissociaverit Carolus; & a Sesellio, cur Annam suam fecerit vxorem, ediscamus. Primum a primo scriptore sic accipio. *Franci*, inquit, *Annæ auribus instillabant, facta cum Maximiliano sponsalia nullius esse momenti, quod injussu Caroli Regis, ad quem dominii Britanniæ proprietas pertineret, facta forent.* Alterum ab altero sic audio. *Carolus*, inquit, *Annam Maximiliano desponsatam sibi junxit, non regia libidine, aut superbia inductus, sed impulsus temporum ac bellorum necessitate, vt provincia illa tantæ opportunitatis ad arcendas Anglorum classes, redemptis eo conjugio provincialium animis, pristinæ quieti redderetur.* Quinam autem Franci fuerint, a quibus illa potissimum

acceperat Polydorus, traditur a Bacono fuisse Franciscum Lucemburgicum, Carolum Marignianum, & Robertum Guaguinum, tres ad Regem Angliæ missos a Carolo oratores, quorum ultimus in ea, quam coram Anglo habuit, oratione significavit, *neminem esse, qui ignoret, Regem Galliæ supremum esse Britannici Ducatus dominum, atque idcirco ad eum solum de Matrimonio Annæ heredis disponendi potestatem attinere: uno verbo, jus privati dominii, non vero quoddam status negotium esse.* Ceteri scriptores quamvis eandem cum Polydoro solvendi conjugii causam non meminerint, non tamen negarunt; sed ea, quæ & communis & communi Francorum sermone ferebatur, omissa, privatas alias, magisque pro tempore politicas commemorarunt. Curiosi si velint, legant Historiam Caroli a Jalignio scriptam, & inter capita fœderis, quod inter Regem & Britanniæ Ducem apud Andegavos initum est, reperient, Ducem illum filias elocare sine Regis consensu non posse. Hoc quidem in fœdere nullum jus novum Regi quæsitum; sed vetus, a quo forsan Dux tentabat deficere, novis pactionibus assertum. Quam ob causam post obitum Ducis renovatum est in Armorica bellum. *In Britones*, ait Guaguinus, *Francisco Duce defuncto, arma a Carolo sumpta sunt: superstites erant Francisco filiæ duæ, quibus una appellatione Anna nomen erat. In has donec fidei jura secundum fundi leges persolvissent, neve inconsulto Rege nuberent, bellum indicitur.*

Agnoscit ergo Guaguinus cum in habita coram Angliæ Rege oratione, tum in hoc loco jura Regum Galliæ in filiarum Ducis Britanniæ Matrimonia, quæ inscio Rege Carolo fieri non debere, aut posse manifeste concludit. Cur vero contractum & ratum habitum a Maximiliano per procuratores cum Anna Matrimonium nescierit, aut dissimulaverit in sua ad Wimphelingium epistola, disquirere non mihi operæpretium videtur. Si enim nescìit, cur illius ignorantia rei gestæ veritati noceret, si forte dissimulavit causam cur id fecerit, ignoramus. Utut sit, Guaguinum Wimphelingius graviter redarguit in secunda epistola, cui non respondit. *Dicis*, inquit ille, *de Matrimonio Maximiliani ni-*

hil cuiquam Britonum constare, & tamen procuratorium ipsum vehementer impugnas : videor mihi, ni fallor, quandam in verbis tuis controversiam videre. Dicis Regem nostrum non habuisse ratum conjugium per procuratores initum ; quam verum id sit, audiat Rex tuus, non Regem nostrum, sed universos Principes, qui superioribus diebus de hoc conjugio ceterisque rebus tractaturi Nurembergæ convenerunt, &c cetera.

Porro vero ab illis, qui jura Regum & Imperatorum formalibus metiuntur argutiis, libenter contaremur, an Romanus Pontifex, qui hæc vidit & tacuit, Matrimonium ignoraverit esse Sacramentum : cur Regem violatæ religionis non accersiit : cur secundis nuptiis Carolo & Maximiliano non interdixit, donec de primis judicaret : cur Maximilianus, qui a Germanis quibusdam & Italis duplici affectus injuria dicebatur, ad Pontificem receptum non habuit. Sed occurrit non magnæ fidei recentior historicus, qui Carolum a Pontifice dispensationem petiisse referat. At ex incerto rumore, aut ex falsa animi apprehensione loquitur, neque ex veteribus vllum dispensationis testem appellat. In conjugio, quod irritum est & nullum, dispensatio, qua illud solveretur, ridicula foret. Nullos sane tunc alios Carolus consuluit præter suos Theologos, eosque Parisienses, qui cum novissent Matrimonium Annæ cum Maximiliano initum, regii consensus defectu non valere, domino suo licere, si vellet, cum Anna celebrare nuptias affirmarunt.

Reliquum est modo, vt Francisci Salerni Siculi notas in hanc historiam dispungamus. *Excitatis*, inquit, *inter Carolum & Maximilianum propter Annæ conjugium bellis commotum Alexandrum V I. nuncios ad eos Reges destinasse : inter pacis fœdera illud inprimis fuisse, vt Carolus Annam sibi in vxorem retineret : Carolum ad Alexandrum misisse oratores, qui transactorum confirmationem postularent. Ita post Arnoldum Ferronum lib.* I. *Beuf. lib.* IV. *&* V. *Polyd. Virgilius lib.* XXVI. *Nauclerus generat.* L. *Sabellicus Ennead.* X. *lib.* VIII. *Bzovius tom.* XVIII. *ann.* MCCCCXCIII. In hac objectione reperiuntur omnino tria, quæ dispungenda sunt. Unum, Alexandrum Pontificem nun-

cios ad conciliandos Reges destinasse. Alterum, inter pacis fœdera illud inprimis fuisse, vt Carolus Annam in vxorem retineret. Tertium, Carolum ad Alexandrum misisse oratores, qui transactorum confirmationem postularent.

Franciscus Salernus Ferrono & Nauclero imponit, cum de tribus objectionis capitibus ne vnum quidem verbum habeant. Sabellicus nec de secundo, nec de tertio quidquam tradit. Ipsum audiamus lib. VIII. Ennead. X. *Exarsit diversa parte hostile odium inter Maximilianum Regem & Carolum VIII. qui in Galliis late per id tempus regnabat. Erat Maximiliani filia Carolo desponsa: duxit tamen is in vxorem Caroli Ducis Burgundiæ filiam, quo Matrimonio erat puella orta. Hanc Gallus ex improviso repudiat, junxitque sibi ex citeriore Britannia novam conjugem Annam Francisci illius terræ Ducis filiam, quæ a patre heres relicta dotale secum trahebat omne Britannicum nomen; & quod multo atrocius visum est, erat hæc Maximiliani conjux promissa, aut certe facta spes erat connubii. Prior conjux Carolo Burgundiæ Duce genita fato decesserat. Traxisset duplex contumelia vtramque gentem in fœdum certamen, nisi cum aliarum gentium, tum Venetorum Legati & Leonellus Concordiensis Antistes a Pontifice ad id in Galliam missus, intervenissent, qui Regum animos lenire adorti precibus hortatuque, ægre tenuerunt, vt armis abstineretur.* Sicule tuam fidem. Qui Pontifex & Veneti miserunt Legatos, qui futurum inter duos Reges bellum extinguerent: colligis id egisse Pontificem, vt Carolus Annam in vxorem retineret.

Polydorus de tribus capitibus nihil aut parum habet: ipsum quoque audiamus post recensitam Galli cum Anglo contentionem. *Inter hæc Alexander VI. Romanorum Pontifex, qui Innocentio paulo ante mortuo successerat, ad Carolum legarat Leonellum Episcopum Concordiensem, virum summa justitia operaque probata, cui inter cetera mandata dederat negotium reconciliandæ concordiæ inter Reges. Is in Galliam profectus, postquam mandata Pontificis exposuerat, ac eam fere rem, quam postulasset, a Rege facile impetrarat; aliam deinde rem, quæ in motu erat, aggressurus, Carolum Principesque Francos est multis verbis hortatus ad pacem inter se & Henricum conciliandam: a qua vbi sensit Francorum animos non abhor-*

abhorrere, idem apud Anglum officium facturus, in Angliam quamprimum proficiscitur, cui venienti oratores Anglici cum Francis ad Caletum obviam fuere. Ibi de communi negotio, vbi postquam inter se aliqua commodum contulerunt, ille in Angliam, isti ad Carolum sunt profecti. Henricus accepit Leonellum venientem, audivitque benigne se luculenta oratione ad conservandam retinendamque amicitiam Francorum hortantem, eique suum desiderium planum fecit, quod erat, vt jam in honesto otio per istas exitiosas inimicitias acquiescere sibi liceret. Leonellus cognita Regis sententia, quasi de pace nihil actum esset, quod amplius dubitaret, propere in Gallias revertitur, cupidus, vt Concordiensem decebat Episcopum, ab omnibus superioris temporis injuriis funditus evulsis, reducendæ confirmandæque concordiæ. Tum vbi dixit, nullam Carolum inter & Henricum firmam iniri potuisse concordiam, subjungit: *Dum hæc in Anglia gerebant, Maximilianus domabat Flandros, a quibus per tumultum captus atque in custodiam traditus est, & statim atque liberatus est, de vindicando se contra Gallum cogitat, quod repudiarat filiam suam, & vt suspicabatur, Annam præripere volebat, eamque sibi copulare. Interea Carolus Annam Britannorum Principem in fidem recepit, in Matrimoniumque duxit. Hoc vbi Maximilianus rescivit, nimia ira percitus, quod Francus non satiatus injuria repudiatæ filiæ, etiam Annam sibi pactam eripuisset, Deum tantorum facinorum vltorem devocare, ac omnia in Carolum maledicta conferre, eidem jamjam sexcentas mortes intentare. Sed post paulum vt se collegit, suum decus armis vlciscendi existimans, continuo oratores ad Henricum misit cum mandatis, ad quem & literas dedit, quibus commonefaciebat Regem, vt quamprimum exercitum pararet, vt Franco bellum inferret. Cedit promissis Maximiliani Henricus VII.* Et post alia: *Verum Maximiliano non animus vlciscendi, sed facultas belli gerendi defecit, qui & pecunia & milite in terra Flandrica parum omnino amica carebat.* Sicule tuam rursus fidem! Ubinam apparet apud Polydorum Romani Pontificis ad Carolum & Maximilianum legatio? Ubinam præcipuum inter pacis fœdera caput, quo Carolus Annam retineret in vxorem? Ubinam Carolus ad Alexandrum VI. misit oratores, qui transactorum confirmationem postularent? Tam igitur

Polydorus de tribus objectionis tuæ capitibus hic egit, quam de tribus capellis.

De Beuterio judicium ferre non possum, nec tu forsan ferre potuisti, cum nondum, vt opinor, publici juris sit. Tamen non dicet quis temere eum, qui editis auctoribus affingit non sua, ineditis longe facilius affingere.

Unus superest Bzovius scriptor recentissimus, qui tria illa objectionis capita refert. Sed cum ex Ferrono, Nauclero, Sabellico & Polydoro referat, is perinde ac Franciscus Salernus Siculus falsum omnino refert. Deinde vt figmentis suis tempus aptaret Bzovius, anno MCCCCXCIII. scribit, sub initium mensis Januarii ann. MCCCCXCII. Maximilianum cum Anna Matrimonium contraxisse. *Maximilianus*, inquit, *hoc tempore cælebs initio mensis Ianuarii præteriti anni duxerat vxorem Annam Francisci Britannorum Ducis filiam, vt per illius conjugium principatu potiretur.* Huic vni falsitati reliquæ superstruuntur, quod sic ostenditur: Argentreus indigena scriptor in Historia Britannica refert lib. XIII. cap. LVI. Maximilianum per suos procuratores cum Anna celebrasse nuptias anno MCCCCXC. XII. Novembris: a quo tempore ad annum vsque MCCCCXCI. publica diplomata fuerunt sub hoc titulo expedita; *Maximilianus & Anna Rex & Regina Romanorum, Dux & Ducissa Britanniæ.* Deinde narrat Anglorum Regem anno MCCCCXCI. XIX. Octobris ad Annam Romanorum Reginam dedisse literas, quas eodem lib. sed cap. LVIII. describit. Hæc de Matrimonio Maximiliani. De Matrimonio vero Caroli memorat, eodem cap. per nobiles feminas cœptum illud fuisse a die XIX. Octobris ann. MCCCCXCI. fœdus cum Carolo faciendum Annæ persuaderi. Tum XIX. Novembris ann. MCCCCXCI. imperasse Carolum, vt milites sui Britanniæ finibus excederent. Deinde XVI. Decembris ejusdem anni MCCCCXCI. Carolum cum Anna Matrimonio junctum fuisse.

Quæro nunc a Bzovio, quonam pacto potuit Alexander, qui creatus est Pontifex anno MCCCCXCII. III. Idus Augusti, Leonellum Concordiensem Episcopum ad illos Reges ablegare, qui efficeret, vt Carolus Annam in vxorem retine-

ret? Secundus propemodum annus erat a contracto Caroli cum Anna Matrimonio, cum juxta Bzovii chronologiam Alexander miserat Legatum, qui de conciliandis inter se Regibus, & de gemina Matrimoniorum diremptione tractaret. Hoc enim cum Bzovio suo machinetur Siculus noster, patrio more gerras agit. Alexander vero miserat Legatum, qui effecerit tandem, vt Carolus Annam in vxorem retineret. Quid inde juris ad Alexandrum potius quam ad Venetos pacis per suum quoque Legatum auctores, ac fœderis arbitros pertineret? Nam effectum a Pontifice, vt Carolus Annam in vxorem retineret, cum aliud sit nihil, nisi vt quam legitime sibi copulaverat vxorem, retineret: id negotii genus ab aliis Principibus æque atque ab Alexandro tractari potuit.

Verum adhuc Siculus noster objicit: *Argentreus cap. LVIII. recenset Sedem Apostolicam ob pacis bonum, aliaque pacis commoda Matrimonia dissolvisse, ac reipsa hoc in conjugio, de quo loquimur, sanctam Sedem executam asseverat.* Hanc Historiam ita versat ille, quasi vellet perpetuo mentiri. Hæc autem tradit Argentreus in Latinum fideliter versa: *Persuadebatur Ducissæ, quæ suum esse legitimum conjugium* (cum Maximiliano) *credebat, quoties optimæ boni publici contigerant occasiones, sanctam Sedem vltro dispensasse in primo etiam gradu consanguinitatis.* Hæc duntaxat Argentreus, quæ non tam illius sunt quam nobilium feminarum, quæ quibusvis idoneis rationibus seu veræ, seu fictæ forent, tentabant eo Annam adducere, vt repudiato Maximiliano, quicum non potuerat Matrimonium injussu Regis vere contrahere, Carolum adamaret, & in maritum acciperet. Mulieres mulieris religionem religione solvebant, non Alexander, qui nondum erat Pontifex, vt jam probavimus. Neque vero Bzovius pontificiæ dispensationis meminit, aut Argentreus, qui satis testatur alias, nullam Pontificis intervenisse dispensationem. *Mulierum*, inquit, *& aliorum* (nempe Theologorum) *persuasionibus victa manus dedit, fœdusque conjugii ictum fuit.*

Una restabat difficultas expedienda, vt Regis Matrimonium perficeretur. Hoc in negotio plures dispensationes ha-

bere oportuiſſet. Alteram pro Anna Britanniæ herede, alteram pro filia Maximiliani; ſed neutra, ni fallor, habita eſt, cum vt narrat Polydorus, & repudiationi filiæ, & præſumpto Annæ conjugis raptui vehementer repugnarent Maximilianus & Reges alii: qua Ferdinandus, qui Maximiliani conſanguineus erat: qua Henricus VII. Angliæ Rex, qui propter ſua commoda Maximiliano favebat. Non capit hoc loco Siculus noſter, diverſa eſſe iſta duo: oportet habere diſpenſationem, ſi tamen oportet, & reipſa diſpenſationem habere; ſicut oportet Argentreum legere, vel fideli interprete vti, vt intelligeret, & aliud Argentreum reipſa legiſſe, & legendo intellexiſſe.

Ceterum non aſſequor, quid ſibi velit Siculus noſter, aſſerens cum Bzovio teſte ſuo, propter Matrimonium illud fuiſſe punitum Carolum, quod videlicet proles ante eum defuncta ſit. Cur autem punitus fuiſſet a Deo, ſi vt volunt, accedente Maximiliani conſenſu, facta pace, reſciſſo per Pontificem Annæ conjugio priori, Carolus ſoluta per eundem Pontificem lege conſanguinitatis, Annam ſibi legitime conjunxit? Cur, inquam, punitus fuiſſet, ſi non peccavit? Si quid enim hac in re peccatum ſit, a dante legis immunitatem Pontifice, peccatum eſt. Unde autem Siculus noſter ſuſpicatur, Regem propter peccata Pontificis punitum fuiſſe? Congruentius ſuſpicaretur Alexandrum illaudabili morte periiſſe, vel quia non potuit Maximiliani conjugium ſolvere, & Carolo indulgere, vt alterius vxorem duceret, vel ſi potuit, juſtam, cur id omne præſtiterit, cauſam non habuiſſe. Nos vero quia ſcimus judicia Dei capi non poſſe, nec ejus vias indagari, abſtruſa divinæ providentiæ conſilia non ſcrutamur curioſius, ſed admiramur omnino, & vnicum hoc profitemur: apud Deum quippe injuſtam non eſſe cauſam, cur filius Caroli ante patrem interierit, & cur Alexander Hiſpanus genere, cum alios tollere veneno cogitaret, eodem ſeipſum ſuſtulerit. Quis vero & quantus fuerit Carolus, qui ſcire volet, legat Simonetam Cornu Abbatem, qui epiſtola prima Caroli dotes ac virtutes dignis præconiis attollit.

His adjungimus decerptum ex recenſione, ſeu, vt vulgo

dicitur, inventario antiqui dominii Navarræ exemplum, quo constat hunc Regem domino Alibreto permisisse, vt filiam suam Carolo Croio nuptui daret. Sic autem eo loci scriptum habetur: *Literæ, quibus apparet, quomodo Carolus VIII. dat licentiam domino d'Albret tractandi de Matrimonio Lodoicæ d'Albret illius filiæ, cum Carolo Croio Principe de Chymay, licet foret alienigena, & a partibus Regis Romanorum staret.* XV. *Aprilis anno* MCCCCXCVI. Hæc ex Gallico ad verbum Latine reddidimus.

CAPUT XXI.

Sub Ludovico XII. regia in Matrimonium potestas retenta.

SUB hoc Rege præsto sunt exempla seu monumenta duo, quibus regia in Matrimonium procerum auctoritas mirifice commendatur. Unum est percussum inter Ludovicum XII. & Ferdinandum Regem Hispaniæ fœdus, quo neptem suam Germanam Fuxensem Ferdinando in vxorem traditurum se promisit, quod & præstitit. Porro fœdus illud Blesis percussum est anno MDV.

Alterum est ejusmodi: Ludovicus XII. cum anno MDVI. filiam suam Claudiam Francisco I. elocavit, Principum regiæ sobolis & optimatum regni consensum habere scripto prius voluit. Legi seu consuetudini regni subjici non dedignatur, quo regii in Matrimonia procerum consensus necessitatem sic ostendat.



CAPUT XXII.

Sub Francisco I. regia in Matrimonium potestas retenta.

OBLATA occasione regiam in Matrimonia procerum & aliorum potestatem non potuit non retinere Franciscus I. qui rara temporum felicitate sensit ipse id esse ab optimo Rege præstitum, quod a proceribus regni præstandum esse omnis retro ætas docuit. In Historia Fuxensi, quam Petrus Olhagaraius ante annos aliquot edidit, narratur conjugium, quod Joanna Albretana jussu Regis Francisci I. cum Guillelmo Clivensium Duce contraxit.

Verum diluenda nunc est objectio, quæ ex hoc Matrimonio sic duci posset. Post obitum Francisci I. agente Henrico II. hoc conjugium nullum fuisse a Romano Pontifice declaratum est, quod quidquid Joanna fecerat, invita fecerat. Hæc objectio non nobis, sed adversariis potius incommodat, quod Rex a nullo reprehensus, parentibus invitis, Joannam non ita perfecte consentientem Clivensium Duci despondit, vt potentissimum Principem arctiori nexu sibi devinciret, & regni saluti ac securitati adversus imminentem Cæsarem provideret. Hoc autem recte fieri potuisse, Theologorum testimoniis & firmissimis rationibus probatum est in prima parte tractatus.

Deinde quod hanc affinitatem vt prohiberet Cæsar, magnis copiis in Menapios descendit, & tota fere provincia in suam potestatem redacta eo adducit Clivensem, vt supplex a se tanquam supremo domino veniam peteret, & Gueldria Xuphaniensique Comitatibus acquisitis pro summo beneficio duceret, in antiquum patrimonium & dignitatem renuntiata Gallo affinitate restitui. Consentiens huic rei Clivensis Mariam Ferdinandi Cæsaroi fratris filiam in vxorem accepit, atque ita novo necessitudinis nodo Cæsari obstrictus, a Gallo

deficiens contra eundem arma ſumpſit. Verum qui, quæſo, poſtulante Henrico II. Matrimonium Joannæ cum Clivenſi judicatum fuiſſet irritum, ſi plures annos ante ſuſceptum ab Henrico II. regnum Gallorum affinitati renunciaverat Clivenſium Dux?

Tum quod Rex, vbi vidit Clivenſem ab affinitate ſua jamdudum abductum, Joannam Antonio Borbonio Vindocinenſi nuptum collocavit. Cum enim prior ſponſus diſceſſit a pactis, ducta Ferdinandi filia, liberum Joannæ fuit alii nubere.

Præterea nullus hiſtoricorum, qui has omnes nuptias ſcribendo attigerint, interventus pontificii meminerunt, cum meminiſſe potuerint & debuerint. At illi profecto bene multi ſunt. Ferronus, Paradinus, Belcarius, Cormerius, Belleforeſtus, Thuanus, Chappuſius, Gordonus, Favinus, Spondanus, Dupplex ſatis curioſe proſecutus ea omnia, quæ Pontifices in quavis occaſione & arduis in rebus egerunt, & in quibus pontificia elucet auctoritas. Olhagaraius vero vnus recentiſſimus ſcriptor, quod factum fuiſſe divinavit, ſuis ipſe monimentis commendari voluit: ac proinde cauſæ nihil eſt, cur illi ſine teſte loquenti credamus.

Denique etiamſi quod memoriæ prodidit Olhagaraius, verum eſſet; nihil inde tamen adverſus regiam auctoritatem colligeretur, cum vtrumque agentibus Regibus abſolutum fuiſſe narret. Si Matrimonium illud nullum fuit, quia cum Clivenſium Dux foret Imperatoris cliens, non poterat illud, renuente Imperatore, contrahere, cauſam juvat Principum, non adverſariorum. Si vero nullum, quia cum Joanna vndecim tantum annorum eſſet, idonee conſentire vix potuit, nemini nocet aut prodeſt.

Dicet vero quis, hinc ſequi Matrimonia Principum auctoritate, ſed inconſulto Pontifice permiſſa, cum graves in ſe difficultates pati, tum plurium ſcandalorum fontem eſſe poſſe. Atenim hæc mala præter rectam Principum voluntatem eveniunt. Quinetiam ex Lucio Matinæo Siculo conſtat, non meliora fuiſſe aliquando Matrimonia, quæ Pontificum nutui permiſſa ſunt. Hunc, ſi placet, videamus auctorem lib. x.

Hist. Hispaniæ. *Tiresia post hæc a Rege, vt nuptiæ & Matrimonium solenniter celebrarentur, efflagitante de Regis ipsius Matrimonio cum Leonora Alfonsi Castellæ Regis filia, Legatis vltro citroque missis agi cæptum est, & a multis Rex Iacobus persuasus, vt Alfonsi Castellæ Regis filiam potius habere vellet vxorem, quam Tiresiam Ioannis Bidauræ, Legatos ad Castellam misit ad Matrimonium conficiendum. Quod cum intellexisset Tiresia, statim procuratores in Castellam misit, qui die, quo sponsalia fierent, Matrimonium quod Rex Iacobus Tiresiæ fide, jurejurando, testibusque confirmaverat, publice denuntiarent.* Et paullo post: *Tiresia sibi periculum metuens a Rege, parvo suorum consanguineorum comitatu clam fugiens, Romam se contulit. Hinc Regi literas citatorias misit, quibus eum provocabat ad causam pacti Matrimonii coram summo Pontifice disputandam. Pontifex autem partibus auditis, cum Tiresia sine testibus Matrimonium sola probare non potuisset, Iacobo Regi (Aragonum) permisit, vt cum Leonora Castellæ Regis filia Matrimonium contrahere posset, quam Rex auctoritate pontificia vxorem duxit, ex qua filium progenuit Alfonsum. Ceterum Rex Iacobus & ejus vxor Leonora post confectas nuptias, & Alfonso filio jam adulto apud Pontificem Romæ, nec opinantes delati fuere, propterea quod consanguinitatis gradu conjunctissimi Matrimonium contrahere sine consensu summi Pontificis non poterant. Quamobrem Legatos Rex ad Pontificem misit oratum, vt consummatum jam connubium confirmaret. Gregorius autem summus Pontifex, quoniam Rex Iacobus & Tiresiam primam conjugem deceperat, & Leonoram sibi cognatione valde proximam dolis subreptitiis vxorem duxerat, illorum Matrimonium non solum confirmare noluit, sed etiam dissolvit, & in perpetuum divortium nuntiavit. Verumenimvero facto divortio cum Leonora conjuge jussu Pontificis Alfonsus ejus filius, matris injuriam & separationem moleste ferens, Iacobo patri, qui eam sibi consanguinitate conjunctam vxorem duxerat, bellum intulit, totamque fatigavit Hispaniam, donec res inter patrem & filium, quæstioque mirabilis arbitrio regni commisisset, prudenterque discussa finem bellis imposuit.* Ecce tibi Matrimonium vnius Pontificis auctoritate contractum, & diremptum alterius jussu, quamvis ex eo adulti jam filii procreati fuissent. Unde postea armatus est in patrem

trem filius, & regnum Hiſpaniæ graviſſimis bellis emotum. Quæ cum ita ſeſe habeant, non magis in Reges mala, quæ ex Matrimonio, cujus meminit Olhagaraius, quam in Pontific s damna, quæ ex conjugio, cujus meminit Marinæus, transferenda nobis videntur.

Caput XXIII.

Sub Henrico II. regia in Matrimonium poteſtas retenta.

Henricvs II. legem tulit, qua parentibus copiam facit exheredandi filios, qui adverſus illorum conſenſum vxores ducerent. Quod Regem primum ad hoc impulit, notum eſt ex Thoma Cormerio, qui vitam Henrici II. Latine ſcripſit. *Cujus*, inquit, *ſcribendæ legis Mommorantium Magiſtrum Equitum Henrico Regi fuiſſe auctorem ferunt, cum miſſo Romam filio Franciſco, vt initam de nuptiis cum Pienna pactionem Pontifex reſcinderet, is prolatando, & quaſi ambigui juris rem ad conſilium identidem revocando, ſe Mommorantii poſtulatis duriorem præbere videretur.* Qua vero ratione potuerit ad Romanum Pontificem adire Henricum, qui nullum in temporalibus ſuperiorem agnoſcebat, vt Innocentius III. de Rege Galliæ fatetur in cap. *Per venerabilem.* id obſervandum eſt neceſſario, ne quis inde poteſtatis regiæ & civilis jura imminuendi anſam arripiat.

Ceterum vbi lata eſt lex, cenſuerunt Doctores alii per eam Matrimonia quæ contra voluntatem Regum facta fuerant, irrita eſſe, quod Henricus nulla ratione deroget antiquis Principum edictis, quibus ejuſmodi conjugium reſcinditur; quin potius novam & graviorem pœnam adjiciat, cum liberi nec generali Matrimonii reſciſſione, nec levioribus pœnis avocarentur. Alii vero docuerunt Regem intacta Matrimonii firmitate refractariis liberis ſolam exheredationis pœnam inflixiſſe, non quod Rex legem Matrimonium diti-

mentem statuere non potuerit, sed quod certis de causis noluerit. Discimus istud ex Antonio Contio, qui legem Henrici II. tunc commentariis illustravit, vbi docet Principum leges pro triplici perfectione triplicem vim sortiri. *Lex*, inquit, *perfectissima reipsa id quod factum est, rescindit; lex perfecta non rescindit, nisi politicorum Magistratuum ministerio. Lex minus perfecta infligit tantum pœnas, sed non solvit id quod factum est.* Porro sive hanc, sive illam opinionem sequaris, id habebis semper, quo regia in Matrimonium & impedimenta Matrimonii potestas agnoscatur. Sed ad rem quod attinet, certum est primo Henricum potuisse legem condere, quæ Matrimonia dirimeret, quemadmodum prima parte tractatus art. 1. & art. 11. demonstratum est. Etenim qui expeditam ferendæ ejusmodi legis potestatem habet, ejusmodi ferre legem cur non posset? Certum est deinde Henrici Regis auctoritatem, cum circa filiorum, qui renuentibus parentibus Matrimonium contrahunt, hereditatem sine dubio versatur, circa ipsum quoque Matrimonii contractum versari posse. Jus enim ad hereditatem parentum ex Matrimonio, tanquam rivus a fonte, & tanquam proprietas a suo subjecto manat. Ut autem ejusdem est scientiæ subjectum & proprietas; ita & ejusdem est fori jus ad hereditatem parentum, & Matrimonium: qui hoc ignorat, omnis expers sit Philosophiæ necesse est. Itaque cum Rex circa exheredationem tanquam circa propriam materiam versatur, circa ipsum quoque Matrimonii contractum tanquam circa propriam materiam occupatur. Quemadmodum autem Rex liberos qui Matrimonium contrahunt sine consensu parentum, inhabiles ad paternam hereditatem efficit; ita & ad Matrimonium contrahendum inhabiles efficere potest, dum reipublicæ expedire judicat.



CAPUT XXIV.

Sub Henrico III. regia in Matrimonium poteſtas retenta.

HENRICVS III. in generalibus regni Comitiis, quæ anno MDLXXVI. Bleſis habita ſunt, hanc dirimentem clandeſtina Matrimonia legem tulit. Hæc quia Gallice lata eſt & pluries edita, eam Latine verſam tantum ſic deſcribo. *Ad occurrendum abuſibus & damnis, quæ ex Matrimoniis clandeſtinis oriuntur, decrevimus & decernimus, quod ſubditi noſtri cujuſcunque ſtatus, qualitatis & conditionis exiſtant, contrahere valide non poterunt ſine publicis bannorum proclamationibus cum competenti temporis intervallo, quorum non poterit obtineri diſpenſatio, niſi poſt primam proclamationem factam, idque ſolum propter aliquam vrgentem & legitimam cauſam, & ad requiſitionem præcipuorum & propinquiorum parentum a partibus contrahentibus commiſſorum, poſt quæ banna publice contrahent. Atque vt ritus, ſeu forma, quæ in dictis Matrimoniis obſervata fuerit, teſtimonium dari poſſit, iis intererunt ſaltem quatuor perſonæ fidei dignæ, quarum nomina in commentarios referentur ſub pœnis per Concilia latis. Injungimus Curatis, Vicariis & aliis, vt de eorum, qui Matrimonium contrahere volent, conditione diligenter inquirant: & ſi ſint filiifamilias, aut ſub alterius poteſtate conſtituti, ſtrictiſſime vetamus, ne ad dictorum Matrimoniorum celebrationem vlterius procedant, niſi ipſis de conſenſu patrum, matrum, tutorum, aut curatorum conſtet: alias tanquam fautores criminis raptus punientur.* Hæc eſt lex a Rege & generalibus totius regni Comitiis condita, ex qua quid Reges in Matrimonium poſſint, non obſcure ſignificatur. Parum diſſimilem legem tulerat Tridentinum Concilium; ſed illam Galliæ Reges in auctoritatem noluerunt admittere, quod ejuſmodi legis conſtitutionem ad ſe pertinere dicerent. Cum enim lex, quæ Matrimonium dirimit, ex natura ſua civilis ſit, vt antea demonſtravimus, ci-

vilem auctoritatem respicit, a qua feratur; sed qua ratione ab Ecclesia, quatenus Clericorum cœtus ferri possit, anteà quoque ostendimus. Sed vtut sit, pari reipsa lege, licet non eadem prorsus ratione, & Christianæ reipublicæ saluti, & Matrimoniorum honestati consultum est. Quare *per hoc*, inquit Sotus, *nihil derogatur auctoritati Ecclesiasticæ, sed potius conducitur Ecclesiæ paci. Nec debent Prælati gravate suscipere, si quid temporali paci viderint necessarium sæculares Principes statuant. Nec est cur illis se opponant, sed permittant potius Matrimonium legibus humanis ordinandum, cum officium humanum sit; & addant postea ipsi, si videbitur, quod ad bonum religionis pertinet.* Et vero licet edictum Blesense nunc quoad singula capita non servetur, id consentientibus Regibus cum fiat, ex eo nihil vel edicto, vel auctoritati, qua sancitum est, derogatur. Sed cur non servetur integrum, causam, quæ idonea ratione comprobetur, nullam video: capita in quibus non servatur, æque ac alia, in quibus servatur, ad publicam spectant vtilitatem. Cum varias in partes commutationem hanc agitavi, illius se mihi, velim nolim, objiciunt argumenta duo. Primum, quod in rebus humanis nihil est firmum & stabile. Deinde quod ad privatum sæpe trahuntur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa: sic accidit, cum hujus vel illius hominis Matrimonium diminuta lege ratum declaratur, quod integra & plena lege irritum declararetur.

Porro autem cum tunc ageretur de tollendis e regno multis & gravibus malis, quæ illi clandestina importabant Matrimonia, & præsentissimum quæreretur remedium, quod deesse videbatur, inventum est in lege, quæ per saturam prudentissime constituta est. Hæc nempe comprehendit capita numero quatuor, solennem futuri Matrimonii denunciationem, quæ recepto dudum apud Gallos loquendi more bannorum proclamatio dicitur; parochialem Presbyterum; fidele testium præsentium quatuor chirographum; expeditum & constantem parentum, aut si parentes desint, tutorum seu curatorum consensum. Et quamvis lex capita hæc quatuor continere videatur æqualiter; nihilominus tamen solennis futuri Matrimonii denunciatio principatum tenet. Id ex ver-

bis liquido patet: *Ad occurrendum abusibus & damnis, quæ ex clandestinis Matrimoniis oriuntur, decrevimus & decernimus, quod subditi nostri cujuscunque status, qualitatis & conditionis existant, contrahere valide non poterunt sine publicis bannorum proclamationibus, cum competenti temporis intervallo, quorum non poterit obtineri dispensatio, nisi post primam proclamationem factam, idque solum propter aliquam vrgentem & legitimam causam, & ad requisitionem præcipuorum & propinquiorum parentum a partibus contrahentibus commissorum.* Profecto vix aliud statui potuit, quod clandestino contrahendi Matrimonii consilio magis opponeretur, & damnis, quæ ex occultis & furtivis oriuntur nuptiis, validius occurreret. Quo enim magis publice fit aliquid, eo magis ei quod fit clanculum, obsistit. Exinde solvendæ quidem legis venia permittitur: sed iis certe conditionibus, quæ nisi serventur, periculum est omnino, ne quia tunc clandestinum, vanum atque irritum sit Matrimonium, quod contrahitur: viderint ii, qui veniam illam postulant, & qui postulantibus concedunt. At vero legem solvere, cum ex illius præscripto solvenda est, ad illius conditorem pertinet, nimirum ad Henricum, vel ad eum, qui Henrico III. in regni gubernatione successit: & si quis alius definitam in lege veniam concedit, expressa vel tacita Regis auctoritate concedit; alioqui concessa venia nihil plane valeret. Id enim, nisi me mea fallit opinio, exigit necessaria rerum consequentia. Non ibunt inficias, qui noverint, legem clandestinum Matrimonium dirimentem, ex se suaque natura civilem, non spiritualem esse, naturali, non supernaturali ordine contineri, vt ea demonstrant omnia, ex quibus lex ista speciem suam reperit, & a spirituali & supernaturali secernitur.

Deinde Regis subditos ad contrahendum Matrimonium inhabiles reddere, ad primam attinet & præcipuam regni functionem, liberorum videlicet procreationem & communitatis conservationem: quæ duo civilia sunt, & ordinis mere naturalis, aut certe alia nulla, quæ sint, vt ita dicam, magis civilia & naturalioris ordinis, assignabuntur vnquam. Hoc sæpius inculcandum est, quia pauci rem ex suis momentis ex-

pendunt; ſed ex vanis quibuſdam præjudiciis, quæ per connubialis mareriæ ignorantiam ſumuntur. Hæc autem ex auctorum ſuorum manibus effluunt & diſpereunt, ſimul ac tanguntur.

His autem ex cauſis facile intelligitur, quid ſibi velint illi Tridentinæ Synodi Theologi, cum apud Cardinalem Pallavicinum in ſuis de hac materia concertationibus dixerunt tum demum, Eccleſiam perſonas poſſe ad contrahendum Matrimonium inhabiles reddere. Noverant viri e Schola Philoſophorum politi, in proprietate ſermonis enunciari, Eccleſiam, quæ fidelium eſt ſeu Catholicorum congregatio, perſonas poſſe ad contrahendum Matrimonium inhabiles efficere, cum hoc ipſum per aliquam ſui partem, nimirum ſupremos Principes, efficit. Noverant ex Philoſophia juſtam eſſe enunciationem hanc, homo intelligit, homo videt, homo audit, homo ambulat, etiamſi per vnam tantum ſui partem intelligat, videat, audiat, ambulet. Hoc qui negaret, theatris omnibus explodendus judicaretur. Noverant deinde viri in Scriptura & Catholicæ Eccleſiæ traditione exercitatiſſimi, nullum eſſe Scripturæ locum; non illum, *Paſce oves meas;* non illum, *Qui vos audit, me audit;* non illum, *Si Eccleſiam non audierit;* non illum, *Quodcunque ligaveris;* non alium, quo juxta vnanimem conſenſum Patrum accepto probetur, Eccleſiam, qua Clericorum cœtus eſt tantum, poſſe legem clandeſtinum Matrimonium dirimentem conſtituere. Hunc autem probandi modum haud rejicerent illi Theologi, cum recte tenerent quid in ſeſſione IV. circa Scripturæ intelligentiam præſcriptum fuerit. Unde profectus eſt hic articulus profeſſionis fidei. *Item ſacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam niſi juxta vnanimem conſenſum Patrum accipiam & interpretabor.* Qui contra de intelligentia Scripturæ ſentiret, eum ſchiſmaticorum numerum ſine dubio augeret, & ſe Theologica profeſſione indignum oſtenderet.

Nunc demonſtrandum eſt, Bleſenſe edictum ſeu legem comprehendere capita illa quatuor, quæ ſurſum verſus retro-

quæ in Conciliis, seu particularibus, seu generalibus de Matrimonio recte ineundo proposita & decreta reperiuntur.

Arrebatensis Synodus, quam Franciscus Richardorus Episcopus ad annum MDLXVII. habuit, in titulo de Matrimonio: *Clandestina vero Matrimonia appellamus, quæ per verba de præsenti sine proclamatione bannorum contrahuntur, & sine solennitate Ecclesiæ, vel quæ per verba de futuro per carnalem copulam ante lapsum tempus proclamationis bannorum & benedictionem subsecuta, præsumptione juris & de jure contracta consummantur.* Sic clandestinum scelus in defectu proclamationis bannorum consistit.

Cameracensis Synodus, quam Maximilianus a Bergis Archiepiscopus ad annum MDLXVII. habuit de Matrimonio cap. III. *Insuper vt ab ipsis sponsalibus ad Matrimonii celebrationem certus quidam ac debitus ordo servetur, decretis Concilii Tridentini inhærendo præcipimus, vt antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio vtriusque contrahentium Parocho tribus continuis diebus dominicis aut festivis a se distantibus (generali & antiquo Ecclesiæ more) in Ecclesia inter Missarum solennia publice denuncietur, inter quas Matrimonium sit contrahendum.* Sic generalis & antiquus mos est Ecclesiæ, vt clandestini Matrimonii vitandi causa, solennis futuri Matrimonii denunciatio fiat, vti facienda hac in Synodo præscribitur.

Suessionensis Synodus, quam Carolus Rucyensis Episcopus ad annum MDLXI. habuit: *Præcipimus Sacerdotibus, vt proclamationes bannorum per tres dies dominicales vel dies festos a se tribus diebus distantes, palam & publice in pronis Ecclesiarum, quarum Parochiani sunt, proponant & proclament, præcaventes ne eos ad solennisationem admittant, nisi prius proclamatis bannis.* Synodus majorum vestigia insistit, dum ita bannorum proclamationem fieri præcipit.

Parisiensis Synodus, quam Eustachius Bellayus Episcopus ad annum MDLVII. habuit, cap. XXXII. *Clandestina Matrimonia dicuntur, quæ nec palam nec publice, neque cum tanta quanta debent in facie Ecclesiæ fieri solennitate, neque sine proprio Parocho, & cum justis fiunt testibus.* Matrimonia non fiunt palam & publice, neque cum tanta quanta debent solennitate fieri,

cum Matrimonii contrahendi denunciatio non fit, quomodo faciendam esse mox vidimus.

Senonensis Synodus, quam Ludovicus Borbonius Archiepiscopus Cardinalis ad annum MDLIV. habuit: *Matrimonia dicuntur esse & sunt clandestina, quando contrahuntur non in facie Ecclesiæ, non solenniter, non palam & publice, non coram parochiali Presbytero, & præsentibus testibus, bannis tamen non proclamatis, vel etiam proclamatis bannis, si hujusmodi Matrimonia propter probabilem causam fuerint ab Ecclesiastico judice prohibita, ac quando alio quovismodo clam & occulte inita sunt, nullis præsentibus, per quos probari possint fuisse contracta.* Hac in constitutione capita illa quatuor, quæ lex Blesensis habet, comprehenduntur.

Parisiensis Synodus, quam Stephanus Poncherius Episcopus ad annum MDXV. habuit, de Sacramento Matrimonii: *Nos sub gravissimis pœnis prohibemus, neminem clandestine contrahere, id est, sine tribus bannis in die festi aut in vigilia, in prono Vesperarum, aut Missæ festi, in Ecclesia cum solennitate assueta prius proclamatis, die media inter quamlibet & Ecclesiæ solennisationem & ultimum bannum.* Et paullo post: *Item nullus admittat ad benedictionem nuptialem de extranea diœcesi existentes, nisi tribus bannis prius proclamatis, & debita certificatione Curati suæ diœcesis, aut aliarum personarum fidei dignarum, partes illas contrahentes ab earum juventute cognoscentium.* Infra: *Item cum clandestina conjugia sacræ prohibeant sanctiones, & a prædecessoribus nostris fuerint hujusmodi conjugia in eorum sacris Synodis, repetitis vicibus, generaliter interdicta: nos sanctionum ipsarum, dictorumque prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes*, &c. Sic ab antiqua Ecclesiæ traditione venit, vt solennis futuri Matrimonii denunciatio ter fiat, quia furtivis nuptiis nihil magis opponitur.

Tolosana Synodus, quam Ludovicus Aurelianensis Archiepiscopus ad idem tempus habuit, de Matrimonio: *Dolentes referimus vsque adhuc toleratam pessimam illam consuetudinem, imo potius corruptelam, a jure reprobatam, quæ contra omnem sanctissimam juris sanctionem, & totius Ecclesiæ Gallicanæ approbatam consuetudinem in nostra Tolosana diœcesi inolevit: vtpote quod Matri-*

Matrimonium contrahentes in loco privato, clandestine per laicos Sacerdotibus sacramentorum ministris ejectis: verius tam grave facinus fugientibus, non editis bannis. . . ausu temerario contrahere præsumunt. Ad Gallicanæ Ecclesiæ consuetudinem pertinet, vt fiat bannorum proclamatio, sine qua Matrimonia clandestine contrahuntur.

Lingonensis Synodus, quæ ann. MCCCCIV. celebrata est. *Matrimonium*, inquit, *dicitur clandestinum multis modis. Primo, cum non habentur testes, seu exhibentur, qui sint parentes, cum fit Matrimonium. Secundo, cum fit Matrimonium per verba de præsenti, non cum solennitate debita, vt cum non datur honor & benedictio in facie Ecclesiæ. Tertio, cum fit Matrimonium per verba de præsenti, bannis non præmissis, seu denunciatione bannorum non facta. Quarto, cum contraxit, bannis etiam proclamatis, sine licentia Episcopi, qui semel & antea erat ligatus cum alia per verba de futuro vel præsenti. Quinto, cum quis obtinet remissionem bannorum, & postmodum reperitur impedimentum canonicum. Sexto, cum quis de licentia Episcopi vel alterius contrahit in alio loco, quam in sua parochia, & postmodum reperitur impedimentum canonicum. Clam enim dicitur quid fieri quod celatur, & si controversiam timuit, aut timere debuit.* Hic inter omnes clandestini conjugii modos eminet proclamationis bannorum omissio.

Synodales constitutiones Sanctonensis diœcesis, quæ ad annum MCCLX. editæ sunt, de clandestinis Matrimoniis ita decernunt: *Clandestinum Matrimonium dicitur tribus modis; scilicet cum non habentur testes, vt extra de clandestina desponsatione. C. Quod nobis. Item cum non fit cum solennitate, vt XXX. quæst. V. Aliter. Item quando fit non præmissa denunciatione, vt extra de clandestina desponsatione. C. Cum inhib.* Hæc tria in edicto Blesensi reperiuntur.

Innocentius III. in lib. IV. decret. tit. I. de sponsal. cap. XXVII. ad Bellovacensem Episcopum: *Cum in tua diœcesi. . . sane quia contingit interdum, quod aliquibus volentibus Matrimonium contrahere, bannis, vt tuis verbis vtamur, in Ecclesiis editis, ac nullo contradictore publice comparente, licet fama privatum impedimentum deferat parentelæ, cum ex parte contrahentium juramenta majorum de sua propinquitate, vt suspicionis tollatur ma-*

Ggg

teris, offeruntur, quid tibi sit faciendum in casibus hujusmodi quæsivisti. Hic occurrunt maxime duo quæ notentur. Et primum quidem, quod ante Pontificis hujus ætatem apud Gallos erat in more positum institutoque majorum, vt solennis futuri Matrimonii denunciatio fieret in Ecclesiis, ne Matrimonium clam & non publice contractum diceretur, & vt alias impedimenta, si qua forent, apertam in lucem proderentur. Deinde, quod Gallicanæ Ecclesiæ consuetudo tam æqua & honesta visa est Innocentio, vt eam canoni LI. Lateranensis Concilii paullo post habiti inserendam, & reliquis communicandam Ecclesiis censuerit. Hic autem canon est ejusmodi.

Cum inhibitio copulæ conjugalis sit in tribus vltimis gradibus revocata, eam in aliis volumus districte observari. Unde prædecessorum nostrorum inhærendo vestigiis, clandestina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat. Quare specialem quorundam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando statuimus, vt cum Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito, vt infra illum, qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat; & ipsi Presbyteri nihilominus investigent, vtrum aliquod impedimentum obsistat: cum autem probabilis apparuerit conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis.

Hæc sufficiunt, vt manifestis constet indiciis, Henricum III. & celebrata Blesis regni comitia nihil prætermisisse, quod ad legem contra clandestinum Matrimonium constituendam merito requireretur. Et cum ex pluribus Conciliis, & antiqua Gallicanæ Ecclesiæ consuetudine, quam Innocentius III. vindicavit in Lateranensi Concilio, assumpserunt bannorum proclamationem, parochialis Presbyteri præsentiam, testes quatuor & parentum consensum: ea procul dubio assumpserunt, quæ politici status & naturalis ordinis limitibus continentur. Nempe recta tendunt ad rite celebrandum Matrimonii contractum, a quo speciem repetunt, & distinguuntur. Neque enim ex personis assumentium illa ca-

pita quatuor ad dirigendum ſuum in finem Matrimonium; ſed ex natura rerum aſſumptarum æſtimanda ſunt quæ aſſumuntur. Manumiſſio ſive fiat ab Epiſcopis, ſive fiat a Principibus, ejuſdem ſemper eſt naturæ & ordinis, vt antea vidimus.

CAPUT XXV.

Articulus Henrici III. Regis, & procerum reſponſio in Comitiis Sangermanenſibus adducitur, & in bonum ſenſum explicatur.

QUI nodum in ſcirpo quærunt, vt regni legem ac conſuetudinem eludant, mirum in modum jactant propoſitum anno MDLXXXII. in Sangermanenſibus Comitiis a Rege articulum XXI. & ad eum factam a proceribus reſponſionem. Sed placet hic vtrumque Latinitate donatum referre, quo facilius, quid ſibi voluerint Rex & proceres, appareat.

ARTICVLVS REGIS.

Nullus Princeps, aut Coronæ Officiarius, Dux, Marchio, Comes, aut provinciæ Prorex poteſt de Matrimonio cum feminis alienigenis tractare ſine expreſſo Regis conſenſu, idque ſcripto, ſub pœna privationis ſtatuum, titulorum, ſuarum dignitatum & dominiorum, ac præcipuam illorum juriſdictionem ad regiam loco viciniorem reducendi.

PROCERVM RESPONSIO.

Contrahere Matrimonium apud exteras nationes ſine regiæ majeſtatis conſenſu antea non eſt habitum pro crimine, immo indifferenter & abſque diſtinctione permiſſum. Hoc crimen fuit a nobis talis naturæ judicatum, vt licentia & tolerantia videantur dediſſe aliquam juſtitiæ legem, & legitimam excuſationem; vnde fit, vt omnes vnanimi conſenſu cenſuerimus ſufficere edicta ſuper hac re

condendo apponere vestram velle majestatem, vt pœnæ prohibitionesque sint duntaxat pro futuro, existimantes hanc appositam clausulam idem esse ac generalem abolitionem. Qui vt a proceribus contracta cum alienigenis feminis Matrimonia tueantur, & se ab Regis assensu quem necessarium esse contendimus, eximant, hoc adferunt responsum, vix diceres, quam male de Sangermanensium Comitiorum optimatibus mereantur. Etenim aperte produnt, quod in illorum optimatum gratiam occultari debuit, responsum in cæca Galliæ nocte editum, confusum omnino ac secum pugnans: quæ tria & responso & respondentibus omnem abrogant auctoritatem. Verum illa tria de hoc responso sigillatim demonstremus.

Ad primum autem quod attinet, quis nescit, quo tempore hæc qualiacunque habita fuerint Comitia, & gravissimis tumultibus & bellorum civilium discordiis, sic vniversa fuisse perturbata, vt in tanta rerum caligine, & præcipitantia ipsa, pondereque cadentis veluti regni locus deliberationi veræ nullus daretur? Nam si vel vnicum temporis momentum ad replicandos majorum libros adhibuissent illi proceres, statim occurrisset sumptum de contractis filiæ Guidonis Flandrici cum Eduardo Anglorum Rege nuptiis supplicium: occurrisset Joannes IV. Armeniaci Comes, qui a Carolo VII. judicatus est reus, quod clam illo de celebrandis inter filiam suam & Regem Angliæ nuptiis egisset: occurrisset carcer in quem conjectus est Dux Alenconius, quod præter ejusdem Regis conscientiam de Matrimonio filii cum filia Ducis Eboracensis tractasset: occurrisset Anna Armoricæ heres, cujus cum Maximiliano Matrimonium, quod inscio Carolo VIII. Rege contractum erat, rescissum fuit, eaque tunc hoc conjugio libera Carolo Regi VIII. nupsit: occurrisset denique ex altera Regum stirpe Carolus Calvus, qui condita lege Francorum cum Nortmannis, id est, cum alienigenis, Matrimonium sub pœna rescissionis prohibuit. *Si quis*, inquit, *de istis partibus in illis partibus femina maritum, aut maritus feminam accepit, illud conjugium, quia non est legale, neque legitimum, dissolvatur.* At hæc & similia, rem prout par erat

expendentibus cum occurriſſent, optimates in regnum bene affectos ſic reſpondiſſe quis crederet?

Quod autem confuſum omnino ſit reſponſum, ſola lectio declarat; atque vt cetera prætermittam, quæſtiones duas, vnam de auctoritate contracti inſcio Rege Matrimonii, alteram de pœna contrahentium, ſic involvit, vt cui, ſive huic, ſive illi, ſive vtrique volueris accommodari reſponſum, accommodabitur. Cur vero de quæſtione prima reſponderi non debuit, dici fortean non improbabiliter poſſet, tum quia magnatum nullus, opinor, dubitabat, quin eorum conjugia, de quibus in articulo ſit mentio, ſi Regis conſenſu carent, omni jure ac robore careant: tum quia vix ignoraſſent filii, quod eorum parentes ante annos nonaginta tres noverant, poſterorumque memoriæ tradiderant, contractum a Maximiliano cum Anna Britanniæ herede Matrimonium ex ſolo Regis diſſenſu caſſum atque irritum fuiſſe. At relicta quæſtione prima, cur de altera reſponderint proceres, inde ortum eſt, quod nullum aliud certa fixaque lege definitum ſupplicii genus, ſed vagum tantum fuerit, ac veluti arbitrarium, quo qui cum alienigenis mulieribus clam Rege Matrimonium contraherent, plecterentur, aut ſi quod definitum olim fuerit, & temporum lapſu, & criminis infrequentia jam obſoleviſſet. Quod ſi hanc interpretationem procerum reſponſionis obſcuritas pateretur, nihil eſſet, cur contra regiam in Matrimonia Principum poteſtatem opponeretur.

Denique quod ſecum pugnet procerum reſponſio, nemo eſt, qui non videat, ſi Matrimonium contrahere cum alienigenis mulieribus ad illud vſque tempus non fuerat crimen, ſed indifferenter & abſque diſtinctione permiſſum: quare fuit judicatum a proceribus crimen, idque talis conditionis, vt licentia & tolerantia viſæ ſint aliquam juſtitiæ dediſſe legem & legitimam excuſationem? Secundo, quare cum licentia & tolerantia reſpiciunt præteritum tempus, eodem tempore fuit id Matrimonii genus, crimen indifferenter & abſque diſtinctione permiſſum? Nonne licentia & tolerantia, quæ in criminibus dant aliquam juſtitiæ legem, contrarium aliquando in rebus non permiſſis vſum arguunt? Tertio, a

quo ſumitur legitima excuſatio, niſi ab ejus rei obſervatione, quæ antea certa lege vel conſuetudine, quæ vim legis obtinebat, cavebatur? Quarto, ſi Matrimonium contrahere cum alienigenis erat indifferenter & abſque diſtinctione permiſſum: quare dominus Alibretus diplomate licentiam a Carolo VIII. quæſivit tractandi de Matrimonio filiæ cum Carolo Croio Principe de Chymay, qui erat alienigena? Quinto, quid ſibi vult iſtud, in ſtatuendis pœnis clauſulam pro futuro addere, idem erit atque generalis abolitio, niſi antea fuerint leges, & iterata legum prævaricatio? Horum igitur omnium quæ cum primis reſponſi verbis conſonantia, contrahere Mattimonium apud exteras nationes non eſt habitum pro crimine, immo indifferentet, & abſque diſtinctione permiſſum?

Hactenus de illa procerum reſponſione, quæ ſi nobis non proſit, obeſſe profecto non poterit. Articulus vero Regis, cum præter generalem Matrimonii reſciſſionem, quam tacite involvit, antiquas pœnas revocet, vel novas ſtatuat, quæ ſit regia in Matrimonium optimatum poteſtas, oſtendit. Cuique in ſua cauſa credendum eſt, dum juxta legem naturalem loquitur. Regem autem dum edicit, Principes vel optimates regni ſui non poſſe ſine ſuo conſenſu Matrimonium contrahere, legi naturali convenienter loqui pars tractatus prima cumulatiſſime demonſtrat.

CAPUT XXVI.

Sub Henrico IV. regia in Matrimonium poteſtas retenta.

UT oſtendamus ſub hoc Rege regiam in Matrimonium procerum auctoritatem retentam eſſe ac vindicatam, vnicum ſufficit exemplum, quod memoriæ prodidit Carolus Bretus ex generali Regis Advocato factus vtriuſque Conſiſtorii Conſiliarius, in libri de ſupremo Regis dominio capite

VIII. *Inter præcipua capita*, inquit, *quibus damnatus est ad mortem Carolus Contaldus Mareschalus Bironius, hoc recensetur unum maximum, quod nuptias unius e Ducis Sabaudiæ filiabus occulte ambiverat, cui jam a duobus annis Henricus IV. bellum indixerat, ut Salussiæ principatum ab eo per civiles Galliæ motus occupatum armis reciperet.* Ex hoc autem supplicii genere, quo & quali Matrimonii impedimento nonnunquam coerceantur optimates regni, qui non assequatur facile, nemo est, nisi prius regiæ seu civilis in Matrimonium potestatis voluerit oblivisci.

CAPUT XXVII.

Sub Ludovico XIII. regia in Matrimonium potestas retenta.

SUPEREST Blesensis edicti de clandestinis Matrimoniis renovatio seu instauratio, quam a Rege & regiæ dignitatis administris humanarum rerum inconstantia semel atque iterum extorsit. Semel anno MDCXXIX. *Statutum*, inquit Rex, *Blesense de Matrimoniis clandestinis ad amussim servabitur, & illi* (scilicet verbis non usi) *addendo volumus omnia Matrimonia contradicti statuti tenorem contracta declarari invalide contracta, obligabunturque judices Ecclesiastici causas matrimoniales convenienter huic articulo dijudicare.* Iterum anno MDCXXXIX. in ejusdem Regis declaratione seu edicto de celebrandis Matrimoniis & contra raptores articulo 1. *Volumus quadragesimum statuti Blesensis articulum de Matrimoniis clandestinis accurate servari, atque illud interpretando statuimus, ut bannorum proclamatio fiat a Parocho uniuscujusque contrahentium partium, cum consensu patrum, matrum, tutorum, aut curatorum, si sint filiifamilias, aut in aliena potestate constituti: atque ut Matrimonii celebrationi quatuor testes fide digni intersint præter Parochum, qui partium consensum recipiet, & eas in Matrimonium conjunget juxta consuetam in Ecclesia formam. Omnibus*

tam sæcularibus quam regularibus Presbyteris expressissime prohibemus, ne vllum Matrimonium celebrent, nisi veros inter & ordinarios Parochianos sine permissione scripta à partium Curatis, vel ab Episcopo diœcesano, nonobstantibus consuetudinibus immemorabilibus & privilegiis, quæ in contrarium possunt allegari: & statuimus, vt bonus & fidelis fiat commentarius tam de Matrimoniis quam de publicatione bannorum aut dispensationum & permissionum, quæ concessæ fuerint. Sic post Henricum III. Ludovicus XIII. contrahendi Matrimonii, ne clam iis, quorum nosse interest, contrahatur, rationem præscribit. Qua in re, quæso, quid agit aliud, quod agere eum posse non doceat communis Theologorum Schola, qui Regibus quæsitam jure naturali statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia potestatem suis rationibus confirmant.

At illud repugnat, inquit Optatus Gallus, *Tridentino Concilio, quod in decreto de reformatione pauciores requirit testes quam istud edictum.* Negamus enimvero repugnare legi, quæ nec recepta est auctoritate Regis & regni, nec promulgata; & eam ob causam perinde se habens, quasi nunquam lata fuisset. Legi autem, quæ sic se habet, quid repugnat? præsertim cum lex Concilii de clandestinis Matrimoniis politicam rationem involvat, immo sit ex se suaque natura civilis, vt docuimus. *Non potest autem Papa*, vt ait Bellarminus, *vt Papa* (ac proinde Sacerdotes reliqui) *ordinarie legem condere vel confirmare, aut infirmare legem Principum, quia non est ipse Princeps Ecclesiæ politicus; tamen potest illa omnia facere, si aliqua lex civilis sit necessaria ad salutem animarum, & tamen Reges non velint condere.* Cum ergo Rex Galliæ contra clandestinum Matrimonium legem tulerit; tantum abest, vt repugnet Ecclesiæ, vt consulat magis, si Bellarmini mentem capias. Quare quidam Parisiensis Theologus, cum, ni fallor, in Tridentini & Blesensis statuti scopum & finem qui in vtroque par est, inspiceret potius, quam in ipsummet statutum, & statuentium jura, Tridentinum de clandestinis Matrimoniis statutum in Gallia receptum esse tradidit, qui ceteroquin affirmat, *per constitutiones Concilii prædicti, quibus jus novum positivum inducitur, Gallos in conscientiâ minime obli-*

obligari, & reliqua, quæ persequitur Andreas Duvallius lib. de suprema Romani Pontificis auctoritate part. III. quæst. VII. At decretum de reformatione Matrimonii novam esse constitutionem nemo nescit. Deinde cum in Blesensi statuto, & in illius renovatione & confirmatione, Rex legitimo jure vtatur, nemini repugnare censendus est. Quod non advertens Optatus Gallus, temere asseruit articulum primum regiæ declarationis Tridentino Concilio adversari.

Sed audiat Ambrosium Catharinum, qui huic Concilio interfuit. *Reperiuntur autem, qui dicunt, civiles leges non esse sequendas, cum eis canones adversentur. Quo in loco videndum est, qua ratione confecti sint isti canones ad statuendum contra jus civile. Oportet autem canones civilem aliquam legem irritantes ab aliqua solida ratione proficisci; nulla vero potest esse alia ratio, nisi quia forte viderint, quod a lege civili constitutum erat, vel contra jus divinum esse, vel contra jus naturale.*

Audiat Petrum Sotum, qui & Tridentino Concilio interfuit. *Non est legi vel consuetudini reipublicæ auferendum, vt illegitimos aliquos, si velint, reddere possint; sed potius, si opus foret, confirmandum esset ab Ecclesia.*

Legat Matthæum Kellisonum in Belgio scribentem, *posse Principem impedimenta ponere hujus*, (contractus Matrimonii) *sicut & aliorum contractuum, ita vt non solum peccent contrahentes, verumetiam & irritus sit Matrimonii contractus, nisi fiat cum talibus & talibus conditionibus, tali vel tali solennitate, vel numero testium, tali gradu affinitatis.*

Evolvat Bonacinam Mediolani, & Candidum Romanum Pœnitentiarium Romæ docentes, *posse Principes & impedimenta Matrimonium dirimentia statuere, & præscribere formam, sub qua celebrandum est.* Neque vero quod aliqui Doctores hoc aut illo decretalium capite hanc potestatem Principibus abrogatam esse dixerint, hoc est, in pura facti quæstione erraverint, a latione legis, quæ Matrimonium dirimat, absterreatur Princeps, vel affirmare quis audeat, in Belgio, Mediolani & Romæ arma cadi, quibus schisma conflетur.

Porro necesse non est, vt consequentes edicti regii seu

declarationis articulos ab Optati calumniis & imperitionibus liberemus. Nam everso, cui calumniæ & imperitiones nituntur, falso, temerario, & ab institutionibus Christi alieno principio, necessariis labefactatæ motibus subruuntur.

CAPUT XXVIII.

Sub eodem Rege Ludovico regia in Matrimonium quod Joannes Baptista Gasto Aurelianensis Dux cum Margareta Lotharinga contraxit, potestas retenta.

EXEMPLI hujus, quo regia in Matrimonia procerum auctoritas elucet, veritatem commendant selecta quædam Regis & Parisiensis Senatus monimenta; & primum quidem data ad Nicolaum Jaium Senatus Principem epistola, quæ sic se habet.

DE PAR LE ROY.

Monsieur le Iai, mon intention estant de faire proceder à la declaration de la nullité du mariage de mon frere le Duc d'Orleans avec la Princesse Marguerite de Lorraine: je fais entendre bien particulierement à ma Cour de Parlement par mes Lettres closes de ce jour ce que je desire estre fait en cela par les voies de droit & accoustumées: & c'est chose de tres-grande importance, non seulement au bien de mon service, mais aussi au repos de l'Etat. Ie vous ai bien voulu faire particulierement celle-ci, pour vous dire que vous aiez de vostre part à contribuer en cette action tout ce qui dépendra de l'autorité de vostre charge, & que vous jugerez en vostre conscience y devoir estre fait. A quoi m'asseurant que vous vous emploirez avec fidelité & affection, je prierai Dieu qu'il vous ait, Monsieur le Iai, en sa sainte grace. Ecrit à Saint Germain en Laie le 11. *jour de Ianvier* MDCXXXIV. Quod Latine dicitur.

EX PARTE REGIS.

Domine Iai, ego plane volens vt recuperatoria veluti actione cassum atque irritum declaretur Matrimonium, quod Aurelianensis Dux frater meus cum Margareta Principe Lotharinga contraxit, Parisiensi Senatui meo clausis hocce die literis speciatim significo id quod hac in re fieri cupio consueto juris ordine. Atque vt non obsequii solum nostri, sed regni etiam quieti plurimum interest: has ad te dedi literas, quibus te moneam, vt quidquid ex tui muneris auctoritate pendet in conscientia tua faciendum esse sentias, id totum hoc in negotium studiose conferas & fideliter. Orabo Deum, Domine Iai, vt te gratum sibi acceptumque conservet. Datum Sangermanopoli ad Laliam silvam, anno MDC. XXXIV. *quarto Nonas Ianuarii.*

Rex eodem & anno & die & loco idem aliis literis generali suo Cognitori significat, præcipitque vt scriptas de Matrimonio Ducis Aurelianensis literas offerat Senatui, & necessariam huic rei diligentiam adhibeat. Is Cognitor erat Matthæus Molæus, vir antiquæ probitatis, & in tractandis causis exercitatissimus, in quibus quid agendum esset, summa fide, pari constantia, nec verecundia minore statuebat. Hæ autem literæ sunt ejusmodi.

DE PAR LE ROY.

Nostre amé & feal, comme nous faisons entendre à nostre Cour de Parlement par nos Lettres closes de ce jour ce qui est de nostre volonté & intention en la declaration de la nullité du mariage de nostre tres-cher & tres-aimé frere le Duc d'Orleans avec la Princesse Marguerite de Lorraine: nous les avons bien voulu accompagner de la presente, pour vous dire que vous aiez à presenter nosdites lettres à nostredite Cour de Parlement, & à faire de vostre part toutes les poursuites, diligences & requisitions qui seront necessaires en cette action, en vostre loiauté & conscience, selon que nous nous en reposons sur vostre suffisance, fidelité & affection à nostre service, si n'y faites faute: car tel est nostre plaisir.

Donné à Saint Germain en Laie le 11. jour de Ianvier MDCXXXIV. Quod Latine dicitur.

EX PARTE REGIS.

Amice & fidelis noster, cum statuimus ad nostram Parlamenti Curiam, clausis hoc die literis, nostra consilia deferre circa declarationem vestri, quod contracto inter carissimum ac dilectissimum fratrem nostrum Aurelianensem Ducem & Margaretam Principem Lotharingam Matrimonio intervenit: tunc simul volumus tibi scribere & mandare, ut nostras ante dictas literas nostra Parlamenti Curiæ offeras, & quidquid necessario agendum & postulandum fuerit, fideliter ac religiose agas & postules: atque inde in tuo erga nos studio, fide & captu totum negotium repono. Interim ne quid desideretur, & sis in culpa, cave diligentissime: nostrum enim est ejusmodi placitum. Datum Sangermanopoli ad Laliam silvam, anno MDCXXXIV. *quarto Nonas Ianuarii.*

Procurator & Advocati regii primariam Senatus Curiam pridie Nonas ejusdem mensis ingressi sunt, & Hieronymus Bignonius frequentissimo Senatui acceptas ab Rege obtulit literas, quæ sic se habent:

DE PAR LE ROY.

Nos Amez & Feaux, les divers sujets de mécontentement que nous a donné nostre cousin le Duc de Lorraine depuis quelques années, nous ayant obligé d'entrer en personne plusieurs fois dans son païs avec nos gens de guerre, pour tirer raison par les armes des offenses qu'il avoit essayé de nous faire autant de fois, qu'avec respect qui nous est deu, & les satisfactions convenables, il nous a fait connoistre vne veritable envie de reprendre les exemples de ses predecesseurs, & rentrer en nostre amitié: nous avons de bon cœur oublié tout le passé pour l'y recevoir, & avons méprisé tous les moyens que l'occasion nous auroit mis entre les mains de nous venger de luy, afin de faire voir à tout le monde que nostre intention n'estoit pas de luy faire la guerre pour profiter à ses dépens, ni le dépouiller de ses Etats; mais seulement pour l'obliger à l'avenir

à vne meilleure conduite envers nous, & l'y tenir engagé par le dépost de quelques-vnes de ses places entre nos mains, sans lesquelles la raison ne nous pouvoit permettre aprés les choses passées de prendre vne entiere confiance en ses promesses. Mais comme la plus essencielle condition & le principal fondement des traitez que nous avons faits avec luy, a esté le desaveu qu'il a toûjours fait du pretendu mariage de nostre frere & Duc d'Orleans avec la Princesse Marguerite sa sœur, auquel il nous avoit souventefois protesté qu'il ne voudroit jamais consentir contre nostre intention, suivant ce que nous luy avons franchement declaré, qu'il ne pouvoit se porter à vne action si prejudiciable à nostre autorité & au bien de nostre Etat, sans nous offenser sensiblement, & nous obliger à nous en ressentir contre luy par toutes les voies que Dieu a mises au pouvoir des Souverains, pour reprimer les injures qui leur sont faites; nous n'avions pu ajouster foy à tous les bruits qui auroient couru dudit mariage, jusques à ce que ledit Duc nous la fist luy-mesme declarer de sa part par nostre cousin le Cardinal de Lorraine son frere. Cette declaration si contraire aux asseurances qu'il nous avoit tant de fois reïterées auparavant de n'y entendre jamais contre nostredit gré, nous ayant obligé au ressentiment que peut meriter la grandeur d'vne si sensible offense, nous fit prendre resolution au mois d'Aoust dernier de luy faire la guerre, & de la commencer par le siege de sa Ville capitale, que nous faisons promptement investir par l'armée que nous avions lors sur la frontiere de son païs. Cependant comme nous estions en chemin pour nous y rendre en personne, & reduire en passant le reste de ses places en nostre obeïssance: ledit Duc reconnoissant sa faute, & qu'il ne pouvoit la reparer à nostre contentement, qu'en se soûmettant sur le fait dudit mariage entierement à nostre discretion, nous fit offrir par ledit Cardinal son frere de remettre ladite Princesse entre nos mains, pour la faire conduire en France, & ordonner sur tous ses interests ce que nous jugerions raisonnable. Cette proposition comme l'vnique reparation à l'offense que ledit Duc nous auroit faite, nous eust aucunement pu satisfaire, si elle eust esté executée de bonne foy; mais l'evasion de ladite Princesse, que l'on fit en mesme temps sauver de Nancy en habit déguisé, par le moyen d'vn de nos passeports que nous avions donné audit Cardinal, du-

quel on abusa, pour rendre la tromperie qui nous fut faite plus insigne; & son evasion suivie de sa retraite parmi ceux qui ne desirent que le trouble & la ruïne de cét Etat, fit bien-tost paroistre que ledit Duc n'avoit jamais eu cette bonne intention, & découvroit à jour une partie des conditions secretes & des desseins cachez, par lesquels cette alliance avoit esté clandestinement contractée: desquels Dieu nous ayant fait la grace de nous garantir jusques-là, nous avons resolu d'y remedier encore avec plus de seureté pour l'avenir, selon les loix & les coustumes de nostre royaume: lesquelles ayant pourveu à l'honneur & interest des personnes privées en semblables occasions, doivent estre d'autant plus exactement executées pour la satisfaction des Roïs, que le repos de tous les peuples soûmis à leur autorité peut estre souvent confirmé ou détruit par les alliances des personnes qui ont l'honneur de leur toucher de si prés: lesquelles demeurant dans le devoir, & se conformant aux justes volontez de celuy en la main duquel reside la puissance souveraine, peuvent attirer autant de contentement dans la famille royale, que de benedictions dans tout l'Etat, que leur conduite contraire peut causer dans tous les deux de troubles & de discordes. Aussi croirions-nous de faillir à tout ce que nous devons à tous nos sujets & à nous-mesmes, si en dissimulant le rapt d'vn fils de France, conduit pendant sa minorité chez les estrangers par vn mauvais conseil, nous avions donné sujet par nostre tolerance de faire à l'avenir de semblables entreprises contre la dignité de nos successeurs, & l'honneur de nostre Couronne. C'est pourquoy voyant que les circonstances & les sujets dudit pretendu mariage, deviennent tous les jours plus dangereux & plus prejudiciables au repos de nostre Etat par la mauvaise disposition des esprits qui l'ont pratiqué dés le commencement, & qui le fomentent encore à present pour continuer à nous déplaire: nous avons resolu d'en faire declarer la nullité par toutes les voies accoustumées, suivant le droit que nous nous sommes specialement reservé par les dernieres conditions de paix que nous avons accordées audit Duc; & cependant de faire intenter pardevant vous une action de rapt alencontre de luy par nostre Procureur General: auquel ayant ordonné de faire toutes les poursuites & requisitions necessaires en ladite action suivant le devoir de sa charge, nous

avons bien voulu vous en donner avis, afin qu'ayant jugement d'une affaire de si perilleuse consequence, vous apportiez de vostre part ce que vous connoistrez en vos consciences d'y devoir contribuer pour nostre satisfaction & celle du public, selon la rigueur des loix & des coustumes observées de tout temps en nostre royaume: Car tel est nostre plaisir. Donné à Saint Germain en Laye le II. *jour de Ianvier* MDCXXXIV. Quod Latine dicitur.

EX PARTE REGIS.

Amici & fideles nostri, offensiones variæ, quas a consobrino nostro Duce Lotharingiæ dudum accepimus, nobis belli contra ipsum inferendi causam sæpius dederunt. Sed ut jus nostrum teneremus, & illius injuriam persequeremur, quoties nos ipsi cum exercitu Lotharingiam intravimus, Dux totiès debita nobis cum observantia & convenienti satisfactione, decessorum exempla sequi, & nobiscum reconciliari integro se animo ac libero velle significavit. Tunc injurias & offensiones quascunque communis concordiæ gratia voluntaria quadam oblivione contrivimus, & quam offerebat occasio ulciscendi rationem omnem omnino neglеximus, ut nemo non agnosceret nolle nos cum illo bellum facere, vel ex illius damnis proficere, vel eum ditione spoliare. Sed voluimus tantum, ut imposterum erga nos se gereret prudentius, & ad id nexu obligaretur: scilicet ut duas apud nos quasdam urbes deponeret, alioquin in eo fidentiam certa cum spe collocare non possemus. Nam stipulationes, conventa & promissa, quæ olim fecit, nec servavit unquam, perpetuam nobis objiciunt diffidentiam. At vero cum Dux Lotharingiæ Matrimonium, quod inter fratrem nostrum Aurelianensem Ducem & Principem Margaretam ejusdem Ducis sororem, contractum præsumebatur, inficiatus est semper, & a se abalienavit, contestans sæpius nolle se ei, nobis invitis & repugnantibus, consentire. Et cum præcipua conditio & fundamentum pactorum quæ nos cum illo fecimus, hæc fuit inficiatio, abalienatio & contestatio, jactatis de hocce Matrimonio rumoribus, fidem habere nullam potuimus, donec consobrinus noster Cardinalis Lotharingus Ducis frater nobis ex parte illius denuntiaverit, consentiente & agente se celebratum fuisse Matrimonium. Denuntiatio hæc præce-

dentibus conventis & toties repetitis sponsionibus tam contrariæ, nos ad offensionis tantæ ultionem impulit, effecitque ut Augusto mense proximo constituerimus illi bellum indicere, & illud inchoare ab obsidione urbis primariæ, quam tunc copiæ nostræ in Lotharingiæ finibus distributæ illico circumierunt. Interim cum illuc progrederemur, & per viam reliquas Lotharingi Ducis urbes sub imperium ditionemque nostram subjungeremus; ille majestati nostræ statim occurrit, culpam confessus, & agnoscens se veniam aliter deprecari non posse, nisi quidquid erat Matrimonii, prudentiæ & cognitioni nostræ penitus subjiceret, subjecit. Nam ad hanc rem conficiendam opera Cardinalis fratris sui pollicitus est & detulit, se in manus nostras Margaretam Principem traditurum, ut illa in Franciam deduceretur, & nostris commodis & rationibus inserviturum uti apte congruenterque judicaremus. Proposita conditio hæc tanquam unica illatæ nobis injuriæ emendatio, quodammodo satisfacere poterat, si bona fide executioni fuisset demandata. Sed effugium Margaretæ Principis, quæ mutata veste & habitum dissimilem fortunæ suæ induta, & abusu fidei publicæ quam Cardinalī dederamus, Nanceio exiit, apertam in lucem prodidit Lotharingi Ducis dolum, malum & nefaria consilia, quibus clam & furtim contractum fuerat Matrimonium. Deinde Margareta Ducis soror se recepit apud eos, qui nihil aliud quam regni nostri perturbationem atque excidium vehementius cupiunt. At præterquam, quod Deus nos ab illis malis hactenus eripuit, decrevimus cautione & diligentia majori saluti publicæ imposterum subvenire, prout ferunt regni leges ac mores, qui cum privatorum hominum honori & utilitati in occasione pari prospexerint, ad regiæ dignitati satisfaciendum accuratius servari debent ac diligentius. Pax regnorum & tranquillitas astruitur vel destruitur connubiali fœdere, quo proceres & optimates inter se conjunguntur. Hi dum se in officio continent, & se ad justum supremi domini sui arbitrium fingunt & accommodant: hinc jucunditatis & gaudii tantum ad regiam familiam alliciunt & trahunt; inde quoque regno toti benedictionis tantum impertiuntur, quantum & familiæ regiæ & regno toti malorum & discordiarum adferunt, dum nec se in officio continent, nec se ad justum supremi domini sui arbitrium fingunt & accommodant. Itaque crederemus, & nobis ipsis & nostris subditis deesse,

esse, in vtrosque peccare, si raptus crimen, quod in filium Franciæ minorem natu apud exteros fallaci perductum consilio admissum est, dissimularemus, & toleratione nostra causam paris deinceps admittendi contra nostram & successorum dignitatem criminis praberemus. Hinc fit vt perspectis omnibus præsumpti hujus Matrimonii causis & circumstantiis, quæ in dies singulos regno nostro periculosiores evadunt pravo affectu illorum, qui Matrimonium tractarunt ab initio & fovent adhuc in regii nominis contemptum, statuimus, vt illud nullum atque invalidum de more, & servato juris ordine pronuntietur, & prædicto Duci lis raptus coram vobis intendatur a generali Cognitore nostro, cui in mandatis dedimus, vt quidquid hoc in negotio agendum est, studiose ac diligenter agat. Atque hæc vobis mandare voluimus, vt ad tantæ tamque periculosæ rei judicium, quod laturi estis, quantum in cujusque animo roboris est nervorum & fidei & scientiæ adhibeatis, & juxta leges & consuetudines immenso tempore observatas hoc in regno, nostræ & omnium exspectationi satisfacere possitis: sic nostrum est ejusmodi placitum. Datum Sangermanopoli ad Laliam silvam anno MDCXXXIV. *quarto Nonas Ianuarii.*

His autem perlectis literis Cognitor generalis postulat a Senatu, vt & in Aurelianensis Ducis Matrimonium & in raptus crimen, quo se Duce Lotharingiæ obstrinxit, inquiratur. Tunc decreta est inquisitio, & inquirendi provincia tribus Senatoribus demandata quarto Nonas Januarii. Cognitor in manus vnius ex his tribus plures tradit articulos, qui revocantur ad hæc capita duo: *Filios Franciæ Matrimonium sine consensu Regis contrahere non posse. Lotharingiæ Ducem clientem dedititium, seu, vt vocant, ligium, Franciæ Coronæ vasallum esse propter Barensem Ducatum, eamque ob causam feodorum legem violasse, quod sororem suam Aurelianensi Duci ausus fuerit elocare, dissentiente supremo domino suo.*

Advocatus regius Hieronymus Bignonius eruditam & nomini suo respondentem orationem habuit, cujus summa est, *Dominum Aurelianensem Ducem habendum esse vt pupillum, vt subditum, vt præcipuum regni heredem: vt pupillum, non posse legitimas nuptias celebrare sine tutoris assensu, quem Gallica natio*

sub pœna nullitatis semper exegit: ut subditum & conditionis istiusmodi subditum, non posse quoque eas celebrare nuptias sine supremi domini sui nutu & arbitrio: ut præcipuum regni heredem, id multo minus posse cum extranea muliere contrahere Matrimonium, quin Rex consentiat. Uno verbo prohibitionem factam a patre pupillo, a domino vasallo, a Rege subdito, impedimentum esse quo Matrimonium dirimitur: scilicet prohibitione facta pupillus, vasallus, subditus ad contrahendum sine consensu patris seu tutoris, domini & Regis Matrimonium inhabilis efficitur.

His autem præmissis omnibus, quæ in publicorum judiciorum forma servantur, Parisiensis Senatus anno MDCXXXIV. Nonis Septembris declaravit, *Matrimonium, quod Aurelianensis Dux Regis frater unicus cum Margareta Lotharinga contraxit, nullum & invalide contractum esse.*

Hoc idem censuit Gallicanæ Ecclesiæ Clerus in generalibus Comitiis, quæ anno MDCXXXV. Lutetiæ Parisiorum habuit. Si quis autem Cleri requirat sententiam, hæc est: *Galliæ consuetudine non esse concessum, ut regiæ sobolis Principes, & ii præsertim, qui viciniores sunt heredes Coronæ, sine Regis consensu nuptias celebrent, multo minus contra voluntatem & interdictum illius. Has porro nuptias seu conjugia illegitima esse, invalida & nulla defectu conditionis, sine qua memorati Principes valide contrahere non possunt Matrimonium. Hanc demum Galliæ consuetudinem rationi consentaneam esse, veterem & legitima præscriptione constabilitam, & Ecclesiastica auctoritate firmatam.* Sic ergo censuit anno MDCXXXV. Nonis Julii.

Hanc Gallicani Cleri sententiam & multorum Theologorum responsa, quæ exscriptis rei gestæ actis (verbalem processum dicunt) inseruntur, Aurelianensis Dux cum vidisset, anno MDCXXXV. XVII. Calend. Septembris, Lutetiæ publicum confecit instrumentum, quo nullum esse recognovit Matrimonium cum Principe Margareta olim contractum.

Instrumentum porro sic se habet: *Nous Gaston fils de France, frere unique du Roy, Duc d'Orleans, de Chartres, de Valois, & Comte de Blois, ayant veu l'avis donné au Roy nostre tres-ho-*

noré Seigneur & frere, par nos tres-chers & bien-aimez les Prelats assemblez en nostre ville de Paris, representant le Clergé de France sur le sujet des mariages des Princes du sang & des heritiers presomptifs de la Couronne, par lequel ils affirment en leurs consciences lesdits mariages estre nuls, lorsqu'ils sont faits sans le consentement du Roy. Ayant veu en outre les réponses d'vn grand nombre de Docteurs & Religieux inserées dans le procés verbal desdits sieurs du Clergé assemblez le mois de Iuin MDCXXXV. *à Paris, qui sont d'vn mesme avis; & de plus consideré que ledit avis est fondé sur la coustume du royaume : Nous avons cru, suivant icelle coustume, estre obligez en conscience d'y acquiescer, reconnoistre nul le mariage fait entre nous & la Princesse Marguerite de Lorraine, & declarer comme nous faisons, que nous ne tiendrons jamais à l'avenir ladite Dame pour nostre épouse, & ne ferons aucune action ni acte contraire à la presente declaration, que nous faisons volontairement, mais par les veritables sentimens de nostre conscience : en témoin dequoi nous avons signé la presente de nostre main, & à icelle fait apposer le cachet de nos armes. Fait à Paris le* XVI. *jour d'Aoust* MDCXXXV. *Signé,* GASTON. *Et plus bas, Par Monseigneur,* GOVLAS. Quod Latine dicitur.

Nos Gasto Regis frater vnicus, Aurelianensis, Carnotensis, & Valesius Dux & Comes Blesensis, vbi eam vidimus, quam carissimi & amantissimi nostri Antistites in hac Parisiensi vrbe congregati, & Gallicum Clerum repræsentantes, de Matrimoniis Principum regii sanguinis, & viciniorum regni heredum, Regi honoratissimo domino & fratri dixerunt sententiam, qua hujusmodi Matrimonia nulla esse religiose affirmant, cum illa sine Regis consensu fiunt : vbi præterea vidimus inserta regestis Gallicani Cleri responsa Doctorum & Religiosorum complurium, qui omnes in eandem opinionem consentiunt : vbi tandem placita omnium in regni consuetudine posita esse ac fundata perspeximus, consuetudini huic bona fide standum esse credidimus, vt ei stamus, & initum inter nos & Margaretam Principem Lotharingam conjugium fuisse nullum & invalidum agnoscimus, & nos eandem Dominam pro sponsa & vxore nostra nusquam habituros declaramus, nec facturos quidquam declarationi huic, quam libenter præbemus, contrarium,

religione certa ducti pollicemur. In cujus rei testimonium præsentes literas manu propria subscripsimus, & gentilitio stemmate obsignari curavimus. Datum Parisiis anno MDCXXXV. XVII. *Calend. Sept. Signatus* GASTO, *& infra, Per dominum*, GVLASIVS.

Hinc progressu temporis Aurelianensis Dux, cum in gratiam Regis redeundum sibi esse serio cogitaret, anno MDCXXXVI. III. Idus Decembris, scriptis literis a Rege supplex flagitavit inter alia, vt sibi liceret Margaretam Lotharingam in vxorem retinere. Rex vero cum aliis de causis, tum instaurandæ pacis gratia in illud Matrimonium consensit, quod Aureliæ scripto testatus est anno MDCXXXVII. III. Idus Februarii. Sic Matrimonium, quod nullum antea, illegitimum & invalidum erat, verum, legitimum & validum esse cœpit. Enimvero Gasto Franciæ & Margareta Lotharinga memores eorum, quæ cum a Rege & a Parisiensi Senatu, tum a seipsis gesta fuerant, vt sibi Matrimonio & futuræ soboli providerent amplius, idem suum Matrimonium de novo ratum habere voluerunt. Quamobrem anno MDCXLIII. VII. Calend. Junii iterum contraxerunt in castro Meudonis coram Parisiensi Archiepiscopo, & aliis testibus qui ad hoc vocati fuere, vt in publico, quod tunc confectum est, instrumento habetur. Archiepiscopi autem verba hæc sunt, quæ audito mutuo conjugum consensu protulit: *Et ego conjungo vos in Matrimonium in quantum est opus, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Ceterum hæc est verissima historia conjugii, quod Aurelianensis Dux cum Margareta Lotaringi Ducis sorore contraxit, in quo, si caput rei consideres, idem accidit, quod in Matrimonio Balduini & Judith accidisse vidimus.



CAPUT XXIX.

Hodiernus regiæ in Matrimonium potestatis vsus constat ex natalium restitutione.

DE restitutione natalium paucis agendum est, atque ex jure restituendi naturæ & antiquæ ingenuitati regiam in disponendis Matrimoniis auctoritatem deducendum. Quod vt fiat, sciendum inprimis duos esse generales hujus ad ingenuitatem restitutionis modos, cum videlicet illegitimus procreatus est filius, vel ex prohibitis nuptiis, vel sine nuptialium documenrorum confectione: tum hanc natalium restitutionem non ex ipsa natura, sed ex legibus ortum habere. Neque enim a principio, inquit Imperator, quando sola natura sanciebat, hominum antequam scriptæ provenirent leges, fuit quædam differentia naturalis atque legitimi; sed antiquis parentibus antiqui filii mox vt procedebant, fiebant legitimi. Denique jus restituendi natalibus ad solum Regem spectare, certum est, vt & Sangermanensia Comitia sub Henrico III. & longe antea Innocentius III. agnoverunt. Cujus hæc sunt verba in cap. *Per venerabilem. Insuper cum Rex* (Galliæ) *superiorem in temporalibus minime recognoscat, sine juris alterius læsione, in eo jurisdictioni nostræ se subjicere potuit, in quo videretur aliquibus quod per seipsum non tanquam pater cum filiis, sed tanquam Princeps cum subditis potuit dispensare.* Quo factum est, vt noluerit natalibus restituere Guillelmi Comitis Montispessulani filios, cum Regem Galliæ superiorem Comes haberet.

Hæc autem cum ita sese habeant, quid est aliud legitimis natalibus restituere, nisi natalium supplere auctoritate suprema defectum? At quando supplendus est iste defectus, nisi cum ex vetitis nuptiis, aut sine nuptialium instrumentorum confectione quis procreatus est? Hoc autem vel illo modo quis procreatur illegitimus, vbi præsctiptas in contrahendo

Matrimonio leges parentes non ſervarunt. Cum igitur natalium defectum reparare, & legitimam efficere prolem certa quædam ſit legum diſpenſatio, quæ quia ſervatæ non fuerunt a contrahentibus, illegitimum Matrimonium fuit, vt natalium teſtitutio, ſic & harum legum inſtitutio ad Regem pertinet.

Hoc loco prætermittendum non eſt illuſtriſſimum exemplum, quod pro hoc regio jure commemorat Durandus in IV. ſent. diſt. XLI. quæſt. III. *Alii dicunt, quod in terris non ſubjectis temporali dominio Papæ legitimatio facta per eum non valet quoad ſucceſſionem, quæ eſt præjudicialis legitimo heredi, licet valeat quoad actus ſpiritales & dignitates Eccleſiæ: & hoc de facto tenuit in regno Franciæ. Quia primogenitus Comitiſſæ Flandricæ legitimatus per Papam non ſucceſſit in Comitatu, ſed alius minor, qui erat legitimus.*

CAPUT XXX.

Hodiernus regiæ in Matrimonium poteſtatis vſus conſtat ex dirimentium impedimentorum diſpenſatione cum heterodoxis.

REx Galliæ veniam facit iis, qui ſeorſim a Catholicis per religionem ſentiunt, vt in certis quibuſdam conſanguinitatis gradibus Matrimonium contrahant. Hæc autem cum iis hominibus diſpenſandi conſuetudo nova quidem eſt: ſed novitatis iſtius robur eſt antiquitas, in qua diſponentibus Regibus conſobrina legitima fiebat vxor. Diſpenſandi formulam retulimus, qua Reges in Italia quondam vtebantur. Quod cum Matthæus Galenus & jus regium ipſum expenderet, non ita pridem in ſuis catecheſibus aſſeruit, *ſaniſſimos quoſque Theologos non arbitrari tantum penes Eccleſiam jus eſſe perſonas ineptas* (ad conjugium) *decernendi, verumetiam Regibus Imperatoribuſque poteſtatem ducendarum cognatarum faciendi, quoties id rerumpublicarum vtilitas tran-*

quillitasque postularit. Atenim dici sine piaculo nequit, regiam cum heterodoxis dispensationem non valere, tum quia qui dirimentem Matrimonia legem ferre potest, eandem, si necessitas exigat, solvit: tum quia Rex & Pontifex gravissime peccarent, ille dispensando, hic ejusmodi dispensationem permittendo. Quod enim ii, quibus venia conceditur, summum non agnoscant Pontificem, illud Regi nullum jus novum, quod ex potestatis civilis natura non habeat, tribuit, sed efficit, vt jure, quo non vtebatur, sed vti poterat, nunc vtatur. Quare cum ab Romano & aliis Episcopis de vsurpata potestate & jurisdictione non coarguatur, nec ex principiis Theologicis, quæ prima tractatus parte deduximus, coargui merito possit, vel ex hoc vno constaret, Regem suo, nec alieno jure his in dispensationibus vti. Deinde cum eadem sit ferendi, quæ solvendi legem potestas, Rex posset adhuc impedimentum Matrimonium dirimens instituere, si quod publicæ tranquillitati conduceret.

CAPUT XXXI.

Ad solutionem objectionum, quæ suis locis dilutæ sunt, mantissa.

AD finem hujus secundæ partis quatuor observamus, diluendis objectionibus, quæ vel jam factæ sunt, vel fieri possent, vtilia. Unum est, asserto jam ex suis verisque principiis regio in Matrimonia procerum jure, nullum opponi posse exemplum, quod rebellionis indicium non sit, & publicæ seditionis incentivum. At quæ regna, quæ imperia tuta forent, si præteritarum rebellionum indiculus in auctoritatem admitteretur?

Alterum, hæc quæ producerentur exempla, regiam potestatem honestare, non dedecorare magis, quam adversa Romano in pectore vulnera, quæ plagarum sunt juri regio infixarum confessio. Quasi vero factio & effrænis nonnullorum


procerum ſuperbia Regibus obeſſet contra quos nulla ſit præſcriptio, cum in aliis, tum in iis maxime, quibus principatus integratur. Quod enim optimates quidam aut proceres regni cedere noluerint aliquando, vel edomari non potuerint: id non juri, ſed injuriæ temporum deputandum eſt.

Tertium, Regis alicujus ſua abutentis poteſtate exemplum ſi daretur, ceteris non obeſſe Regibus, qui non privato ſtudio, ſed publica regni vtilitate ducti, nuptiarum facultatem ei adimerent ſæpe, cui vitam alioquin adimere jure poſſent.


Quartum, conſultius fore, Principes illos, qui inſciis vel invitis Regibus celebrarunt nuptias, excuſare, quam cujuſpiam memoriam vti ſopitos jam cineres profana manu ventilare, & rediviva rebellionis opinione diffamare. At vero excuſari facile poſſent, vel quod alii poſtea Regis conſenſum ſibi compararint: vel quod alii facti Reges, vt Ludovicus XI. ſua Matrimonia, quæ ante fuerant irrita, rata fecerint: vel quod ipſi Reges rerum ſuarum neceſſitate compulſi, quem negaverant, conſenſum dederint: vel quod cum ipſi diſerte non repugnarunt, idoneum præbuiſſe conſenſum dicantur. Si cujus autem Principis exemplum nulla ex his rationibus purgari poſſet, illud millies potius quam regia periclitetur auctoritas. Quid enim abſurdius, quam vt ſingulari facinore, quod vel jure caret, vel de quo ſaltem an careat, ambigitur, regia, eaque tot tantiſque, vt viſum eſt, nixa rationibus poteſtas imminui cenſeatur.



TERTIA



TERTIA PARS TRACTATUS, de jure Principum sæcularium Christianorum in sanciendis impedimentis Matrimonium dirimentibus.



ARTICULUS I.

Quid in causis impedimentisque Matrimonii quidam Imperatores cum Græci, tum Latini post divisum Imperium egerint, attingitur.

DE tribus hic speciatim monendum esse Lectorem puto. Unum est, sermonem haberi de ea Romani Imperii divisione, quæ tempore Caroli Magni facta est, non de nonnullis aliis divisionibus, quibus ante Carolum, hic vel ille Imperator Romanum Imperium in plures partiebatur.

Alterum, in prima tractatus parte, art. III. delibata jam esse, quæ ante hanc Imperii divisionem ad causas impedimentaque Matrimonii spectant. Quare ne actum agam, hæc non repeto. De hoc argumento disserendi ille, quam iste, commodior visus est locus.

Tertium, in hoc articulo non referri omnia quæ post divisum Imperium in causis impedimentisque Matrimonii quidam Imperatores egerint. Jam enim in secunda parte art. II. retulimus, quæ Carolus Magnus, & alii Imperatores iidem ac Reges Galliæ in causis impedimentisque Matrimonii statuerunt.



CAPUT I.

Sub Basilio Macedone regia in Matrimonium potestas retenta.

A Græcis initium sumimus, quorum primus est Basilius Macedo, qui ab anno Christi DCCCLXVII. vsque ad annum DCCCLXXXV. Orientale rexit Imperium. Is hac sua novella quartas nuptias prohibuit: *Ut eadem jura procedant, in tertio quoque conjugio, quæ in quarto, manifestum omnibus esto futurum, vt si quis ausus fuerit ad quartas nuptias non nuptias accedere, non solum pro nullis habeantur hæ nuptiæ, nec liberi ex his procreati pro legitimis agnoscantur, verumetiam & paris pollutorum scortationis sordibus subjiciantur.* Id genus statuit impedimenti, quo contractum Matrimonium dirimatur. Neque reperio summum Pontificem, vel Orientis Episcopos hoc impedimentum rescidisse, vel vsurpatam in eo statuendo sacerdotalem jurisdictionem conquestos esse.

Ad calcem epistolarum Photii, quæ Græco-Latinæ nuper prodierunt, quinque ex veteri codice Orientali adjiciuntur epistolæ, quarum vltima ad contractum insciis parentibus Matrimonium spectat. Est autem ejusmodi: *Pervenerunt ad nos literæ sanctitatis tuæ Deo dilectæ, postulantes a mediocritate nostra sententiam ferri de Presbytero, qui præter voluntatem parentum, non exspectato eorum consensu, liberos ipsorum coronaverat: quorum postea studio separati, cum aliis personis ad nuptiarum communionem cum venissent, opera parentum ab alio Presbytero benedictionem acceperunt. De primo itaque Presbytero sic decernimus: siquidem contrariæ parentum voluntatis ignarus, ex inscitia, in coronandis istis, quæ convenerunt, personis in errorem lapsus talis cum sit, non prorsus latæ culpæ obnoxius, tanquam de voluntario peccato damnandus est; non tamen tanquam omnis culpæ expers dimittendus. Oportuit enim ipsum accurate sciscitatum rescivisse, num voluntate parentum, qui ad nuptias coibant,*

conjugium contraherent. Idcirco ordinis sui jacturæ talis non subjicitur, sed ad tempus constitutum sacro celebrando prohibebitur, tum eam, quæ in reliquis cernitur, austeritatem jejuniis scilicet & orationibus subibit. Tempus autem pœnæ subeundæ, vel ad quadraginta dies, vel bis totidem extendatur, pro ratione ipsius in pœnitentia fervoris, ne amplius in ejusmodi quid delicti ex incuria, animive ignavia incidat. Hoc igitur obtineat, si ad inscitiam peccatum referat. Quod si voluntatem parentum consensui huic & conjugio adversari sciret, & ejus non ignarus, tum naturalem legem, tum spiritualem contempsit, quorum utraque irritum conjugium pronuntiat, parentibus assensus sui suffragium non ferentibus, pœnæ rite obnoxius esto. Si tamen parentes, postquam ætas liberorum per leges idonea ad nuptias esset, dilato per longum temporis spatium conjugio, necessitatem ipsis liberis præbuerint etiam invitis parentibus ad nuptias accedendi, tum nec leges hujusmodi nuptias irritas faciunt, & qui interest Sacerdos, & eis benedicit, nulla culpa tenetur. Ratum autem sit hujusmodi conjugium, judice ex causæ notitia custodiam liberorum, & legitimam ipsorum voluntatem improbitati parentum præferente. De primo itaque Presbytero ista nobis jus suggerit.

De secundo autem nec simplex est consideratio. Nam si conjugii prioris ignarus fuerit, nullo jure culpæ tenetur. Præsentia enim parentum in nuptiis magnum momentum illi ad absolutionem impendit, qui ideo ad anteactorum inquisitionem non venit, quod præsentia parentum ea ad examen revocari non ferret. Quod si factum conjugium, & secutam copulam carnalem noverit, quoniam quasi ex necessitate non sunt in cœlibatu continendi, qui a priori conjugio discesserunt, sed legitimo conjugio vinciendi, ne in fornicatione versentur; non quidem ad finem arcebitur sacrorum præsidatu, qui nuptias consecravit, sed moderatiores quasdam pœnas subibit; scilicet quod, cum factas ante nuptias manifestum esset, quæ quidem fornicationis crimen evadere non possunt, ausus sit eos, qui flagranti peccati crimine tenebantur, tanquam puros & inculpatos sacerdotali benedictione dignari, & virginitatis coronis eos, qui ipsam male deposuerant, ornare. Quod si prius conjugium ex assensu parentum processerit, a quo deinde præter rationem discesserint, prior quidem Presbyter omnis culpæ absolvetur;

ſecundus, ſive interfuerint parentes, ſive non, Sacerdotio excidet. Nam alienum a ſacris legibus conjugium, nec abſentia & diſſenſus parentum facit, nec præſentia & aſſenſus aut quod profanatum eſt, ſanctitati reſtituit. Hæc epiſtola comprehendit diſciplinam, quæ Photii tempore in Orientali Eccleſia vigebat legum ſubſidio, quas Imperatores tulerant.

CAPUT II.

Sub Leone VI. regia in Matrimonium poteſtas retenta.

SECUNDUS eſt Leo VI. Baſilii ſucceſſor, cujus conſtitutiones ſunt duæ ad Stylianum, XXIII. & XXIV. quibus hic Orientis Imperator, cognomento Sapiens ſeu Philoſophus, ſuam in Matrimonium poteſtatem exponit.

Prior eſt ea qua ſtatuit, ne Præſides in provinciis ſuis domeſtica ſponſalia contrahant: Et illa ſic ſe habet: *Dignum hercle humano ingenio magiſtratuumque virtute, ſi qui in magiſtratum aſſumuntur, eo quod ſupra multos alios gloria & honore tenentur, religioſe præcepta Dei obſervarent & cuſtodirent, provideque ſubditorum res curarent, nequaquam vero illos gravi manu opprimerent: at quia ſunt quos ferox iniquuſque animus e recta præceptorum ſemita exorbitans, in perverſam tyrannicamque cupiditatem ducit, & pro reipublicæ cura efferati animi propoſitum exhibere facit, tanquam illos refrænatura lex vetus ſtatuit, ne Præſides in ſuis provinciis contractus & ſponſalia ineundi facultatem haberent: atque hanc quidem in eis rationem, quam in filiis, nepotibus & aliis conſtituiſſet, filiarum elocationem non prohibuit. Hoc igitur nos tanquam quod deſit, optimæ legi adjicientes ſtatuimus, ut quibus præſidatus obvenit, quemadmodum filios alioſque virilis ſexus cognatione domeſticos, ita quoque filias, aliaſque feminini ſexus perſonas, in ſuis quique provinciis in Matrimonium collocare prohibeantur. Quid enim cauſæ eſt, quare filius, & ſi quis alius virilis ſexus eſt, decreto obnoxius ſit; filia vero a legis*

obſervatione libera permaneat: cum præſertim virilis ſexus ſæpenumero multis & modis & exercitiis ſibi, conjugi, aliiſque quos affinitas conjunxit, vtilis eſſe poſſit? Nam dignitates forsaſſe conſecutus, aut mercatura aliqua inſtituta, aliave ſuſtentandæ vitæ cura ſuſcepta, neque ſibi, quomodo dixi, neque aliis propinquis inutilis fuerit, quæ vt muliebris ſexus jubeat, non fere idoneus eſt.

Poſterior, qua ſtatuit, ne filii naturales cum adoptivis Matrimonia contrahant: Et illa ſic ſe habet: *Multi dum priſca tempora laudibus celebrant, prima in illis ordinandis conſtituendiſque rebus tribuere volunt: atque illa in pleriſque recentiora vincere ſcio quidem & ego; verumtamen in nonnullis vinci etiam video: & cum non pauca ſint, in quibus a recentioribus illa ſuperentur, tum vero maxime in adoptionibus id fieri conſpicitur, quas illa adoptiones neutiquam decenti cum ritu & ornatu faciebant, dum circa divinum ſacrificium divinoſque cantus faciebant, & qui adoptari vellent, id illis ſimpliciter fieri lex permittebat. Unde vſuveniebat perſæpe, vt ſororis appellatio in vxoris tranſiret, & quæ puella paullo ante filia dicta eſſet, nurus nomine compellaretur, aut filius qui eſſet, pro eo gener agnoſceretur, quando videlicet naturalis quemque adoptio in filiorum ordinem collocarat, & matrimoniali commercio inter ſe jungerentur, ac ſus deque iſthæc actio haberetur: quod cum ſacrum miniſterium non interveniſſet, nullum inde ad matrimonialem conſuetudinem exiſteret obſtaculum. Ceterum olim cum decenti ratione non adoptaretur, quanquam Matrimonium infame quiddam complecteretur, non tamen nefarium aliquid continebat. Verum nunc cum adoptio ſecundum ritus tum decoros, tum juſtos fiat, & per ſacroſanctum ſacrificium hi in parentum locum, illi vero in filiorum jus ſubeant naturaliter geniti, nulla amplius reliqua ratio eſt, vt filii adoptivi cum naturaliter genitis in Matrimonium connectantur. Quocirca etiam ſtatuimus, vt qui eodem modo fratrum nomen ſubierint, iis nequaquam mutato fraternitatis jure in Matrimonium jungi liceat.* Hæc Leo Sapiens, qui ab anno DCCCLXXXVI. vſque ad annum DCCCXCI. Imperator fuit. Quo jure in conſtitutione priori vtitur, eodem & vſi ſunt Reges Galliæ, vt in ſuperiori tractatu vidimus.

CAPUT III.

Sub Alexio Commneno regia in Matrimonium potestas retenta.

TERTIUS Alexius Commnenus, ex cujus *de nuptiis & sponsalibus contrahendis* novella, quæ ad rem faciunt, decerpimus. *Si nihil aliud est regnum, quam legitima quædam præfectura, nihilque leges aliud, quam integritatis reipublicæ custodes, procul removentes & expellentes ea, quæ statui civili nocent. Si denique leges ferre Principibus licet, profecto Imperatorum opus est ad commune reipublicæ commodum ab iis, qui rerum potiuntur, legum expositionem perfici.* Et post alia: *Hoc instituto majestas quoque nostra Leonis Imperatoris constitutioni novellæ innixa, quæ definit, vt prima contrahentium conventio, videlicet ipsa sponsalia sacræ benedictionis initiationem habeant, & statutum certumque tempus ætatis, quod ad nuptialem quoque conjunctionem sufficere jus antiquum sancivit, illa proprie sponsalia statuit esse, dubioque procul eandem cum nuptiis vim obtinere, quæ etiam tempus illud, quod Imperatoris domini Leonis constitutio determinavit, sacrasque preces comitantes habuerunt. Nuptiæ autem legitimo tempore, quod antiquæ recentioresque leges, & a nobis promulgata novella constitutio definierunt, vna cum solennibus earum observationibus celebrantur, nec licebit vlli subditorum nostrorum in vniversum quidquam adversus hac præsenti potestatis nostræ constitutione vetita & interdicta facere, nisi forte (qualia multa frequenter accidunt) Imperator ipse per dispensationem quandam sponsalia cum copulatione, quæ fit sacris votis intervenientibus, intra definitos annos personis, quæ despondentur, ex decreto permittat. Nam licet iis quibus a Deo dispensatio rerum mundi hujus est commissa, supra leges dispensare. Itaque licebit hoc Imperatoribus quotiescunque voluerint in angustius cogere spatium, atque contrahere per dispensationem, & vtraque sponsalia, videlicet tam ea, quæ secundum jus vetus a non minoribus septem annis peragi debere sancitum*

eſt, adeoque perfecta ſponſalia dicuntur, quanquam ſecundum Leonis legem, conceptis ſacris precibus contrahuntur, perfectaque ſponſalia ſunt. Et poſt alia: *Ex legibus enim Imperatoribus tam condere leges eſt permiſſum quam diſpenſare.* Hic Imperatores vt leges ferunt, quibus Matrimonium inſtituitur; ſic & aliquando veniam legum illarum infringendarum impertiuntur. Porro Alexius ab anno MLXXXIII. vſque ad annum MCXVIII. Orientalis Imperii habenas tenuit.

CAPUT IV.

Sub Manuele Commneno regia in Matrimonium poteſtas retenta.

QUARTUS Manuel Commnenus, qui & de ſuo in ſtatuendis impedimentis Matrimonii jure, & de procerum conjugiis ſic ediſſerit: *Tam ſanctiſſimus Patriarcha, quam Chriſti Pontificum conventus, etiam modo de divinorum ſacrorumque canonum obſervatione ſoliciti, receptamque vſu in actibus ſynodicis de communibus cauſis conſuetudinem retinentes, ad religioſam quoque majeſtatem noſtram referre decreverunt, quæ eſſent abs ſe ſtatuta, recteque definita de iis, quæ in diſceptationem ſynodicam vocata fuerant, an ſcilicet ii, qui ſeptimo ſe gradu ſanguinis contingunt, propinquitatem cognationis haud ignorantes; & curioſe tamen Eccleſiam de futuro contractu non conſulentes, atque ita in Matrimonium coeuntes, indirempti quidem manere; ſed pœnis ſubjici debeant; an potius talis facinoris reos divelli abs ſe invicem oporteat. Et quidem expoſitum de hac quæſtione ſcriptum poteſtati noſtræ obtulerunt, jus majeſtati noſtræ debitum, ſeu Principi gubernationis ſtatum integrum ſervantes, & ipſam quoque cenſuerunt interrogandam, an ejus etiam judicio, quæ decreta eſſent, probarentur: hoc inprimis eſſe neceſſarium perſpexerunt, idque rectiſſime, ac juſta ſane de cauſa.* Et poſt alia: *Et quoniam ſæpenumero multa Matrimonia contrahuntur cum perſonis Imperatorii generis, aliiſque nobiliſſimis & dignitate conſpicuis, itidem-*

que cum personis exterarum regionum, quibus Reges & Principes præsunt, in hanc reginam vrbium venientibus, quæ non sine potestatis jussu omnino perfici non solum æquissimum erat: sed majestatem quoque nostram certiorem reddi de his, quæ de hac necessaria quæstione sancita per Synodum essent, ne fortasse per oblivionem illicitus aliquis ejusmodi contractus sacrisque canonibus legumque edictis haud respondens accidat, idque hac ipsa in vrbe, quæ & ceteris omnibus ob imperii mitram ac diadema, & legibus in vniversum regitur. Sic ille qui ab anno MCXLII. vsque ad annum MCLXXX. Orienti præfuit. Hæc autem non ante quis expendet pro merito, quam observaverit, ab ipso Patriarcha & synodicis Episcoporum conventibus regiam seu imperatoriam in causas impedimentaque Matrimonii potestatem agnosci. Quod quanquam necessarium non sit, vtile tamen est, vt qui hac in quæstione injuriam Sacerdotio fieri contendunt, ab ipsius Sacerdotii Præsidibus coarguantur, & quod in alios conjiciunt, telum recipiant. Ad generis autem Imperatorii homines quod attinet, Commnenus aperte significat, eos Matrimonia celebrare non posse, quin Imperator consentiat.

CAPUT V.

Quod Matthæus Monachus seu Blastares tradit de causis apud Orientales impedimentisque matrimonialibus, refertur.

HIC auctor cum in Alphabetico syntagmate de causis & impedimentis matrimonialibus tractat, quæ Justinianus Imperator in novella CXVII. olim constituerat, describit hoc modo in capite XIII. litera Γ.

De Matrimonii solutione multis in locis multæ leges tractant: sed perfectius novella Justiniani, quæ diserte causas exponit, ob quas maritus aut vxor conjugi repudium mittere potest, aut dotem lucrari, proprietate tamen ejus susceptis ex eodem Matrimonio liberis salva, vel liberis nullis existentibus, expers culpæ persona pro-

proprietate quoque frui potest. Nam licet mortalibus olim permissum erat, tam ex priscis legibus, quam longa consuetudine Matrimonia impune solvere, ut scilicet vir conjugi diceret: Uxor tuas ipsa res tibi agito: ac vicissim hæc illi: Tuas marite res tibi agito. Quemadmodum apud Hebræos etiam olim lege receptum erat, ut uxori libellum repudii maritus mitteret: tamen uti nunc comparatæ res sunt, apud Christianos hoc abrogatum est. Causæ vero nominatim enumeratæ sunt a religiosis Imperatoribus, ob quas solas Matrimonium solvere licet, cum absque harum una nefas sit dirimi.

CAUSÆ UXORIS.

Ac maritus quidem uxori repudium mittit, & dotem ejus lucratur, ut dictum est propter has causas.

I. *Si quibus adversus majestatem Principis ineuntibus consilia mulier conscia sit, idque marito suo non patefecerit.*

II. *Si adulterii mulier accusata & secundum leges adulterii convicta fuerit.*

III. *Si quocumque modo vitæ mariti fuerit insidiata, vel cum aliis id molientibus effet conscia, marito non patefecerit.*

IV. *Si contra mariti voluntatem cum viris extraneis compotet aut lavet.*

V. *Si contra mariti voluntatem extra domum maneat, nisi forte apud suos parentes, vel ab ipsomet absque causis indicatis expulsa, parentibus ei nullis existentibus, foris noctem transegerit.*

VI. *Si ad Circenses vel spectacula vel arenam accedat spectandi causa, ignorante vel prohibente marito.*

Ceterum Scripturæ dictum illud, quo traditur adulterio pollutam ad maritum suum non redire; de marito intellige, qui eam non vult recipere: quippe si maritus crimen condonat, citra prohibitionem intra biennium eam recipi secundum novellam Iustiniani & Leonis illius Sapientis.

CAUSÆ MARITI.

Uxor autem marito repudium mittit propter has causas, cum & dotem suam & donationem viri propter nuptias recipere possit, liberis consimiliter in donatione conservando dominio, sive proprietate, vel liberis non extantibus, etiam dominium ejus habere.

I. *Si adversus majestatem Principis vel ipse quid molitus fuerit, vel aliquibus molientibus ipse conscius id Principi non patefecerit, vel per se, vel per quamcumque personam.*

II. *Si quocumque modo vitæ conjugis insidiatus fuerit.*

III. *Si pudicitiæ conjugis insidias struens aliis eam stuprandam tradere conatus fuerit.*

IV. *Si maritus uxore adulterii accusata rem non probaverit.*

V. *Si alia cum muliere coeat in eadem domo vel eadem civitate, ac monitus ab uxore vel parentibus ejus vel quovis alio non velit abstinere.*

In his non solum donationem ante nuptias maritus loco pœnæ amittit, verumetiam trientem reliquarum ipsius facultatum, præterquam quod eas quoque pœnas sustinet, quas ipsa mulier erat latura, si condemnata fuisset: non tamen aut mulier arbitratu suo divertere potest a marito, aut maritus ab ipsa, sine judicio & sententia judicum, quemadmodum diversæ Iustiniani novellæ statuunt, ac propterea qui ducit uxorem non ita diremptam, adulterium committit.

SOLVTIO MATRIMONII CITRA POENAM, DEQVE MATRIMONIO, QVOD EXERCITATIONIS PIÆ CAVSA SOLVITVR.

Absque pœna Matrimonium solvitur, cum elapso triennio maritus cum uxore coire nequit, licet ipse divortium fieri nolit, manente penes virum donatione ante nuptias, nec quidquam suarum rerum pœnæ loco amittente.

Solvitur etiam Matrimonium, cum altera pars exercitio sacro se dedit ad viam meliorem transiens, & vitam in puritate degendam eligens. Tunc enim tam virum, quam mulierem ad præclariora se conferentem, divortendi recedendique potestatem habere jubemus, exiguo quodam desertæ parti solatio relicto. Quidquid enim contrahentes pacti sunt, vt a morte lucro alterius cederet, id habere oportet ab altero desertum, sive vir, sive mulier sit, quando & ipse quantum quidem ad conjugem attinet, mori videtur, alterum vitæ iter cum altero commutans. Etenim tonsura recte fit, etiam alterutro conjugum invito. Dicimus etiam bona gratia fieri divortium. Persona quoque derelicta potest aliud ad Matrimonium accedere; sed hoc uxori Episcopi ordinati non est datum, ideoque

cum ejus consensu fieri ordinationem oportet, atque ita sequi tonsuram ejus citra recusationem.

Solvitur etiam Matrimonium, cum maritus aut vxor in captivitatem venerit, ac per quinquennium non constat an vivat necne.

Si vero præter statutas, inquit, a nobis causas ausi quidam fuerint Matrimonium solvere: jubemus, siquidem habeant descendentes vel ex hoc ipso, vel ex alio Matrimonio, vt iis ipsorum facultates dentur, & in monasterium ipsi injiciantur, omni vitæ suæ tempore, & monasterio pars ex ipsorum bonis tribuatur. Sin descendentes nullos habeant, sed ascendentes, vt ii tertiam bonorum partem consequantur, si solutioni Matrimonii non consenserint. Quod si nec ascendentes nec descendentes extent: jubemus omnia bona monasteriis, in quæ conclusi fuerint, attribui. Quinetiam hæc instrumenta nefaria conficientes, subjici pœnis corporalibus, & in exilium mitti præcipimus. Sin autem ii qui divortium facere conati fuerunt, rursus in Matrimonium coire voluerint, antequam in monasteria missi sunt, id agendi licentiam ipsis concedimus, & prædictas pœnas eis remittimus, adeoque facultates suas retinere poterunt. At vna persona Matrimonium revocare volente, si altera quoque persona non consenserit, adversus eam pœnæ ratæ sint, quæ renuit. Hæc autem fieri jubemus, interveniente providentia religiosissimorum Episcoporum.

Quod si per consensum vtriusque partis, vel amore pudicitiæ, Matrimonium solutum fuerit: jubemus, vt statim vtraque pars ad vitam solitariam accedat, ita quidem vt a pœnis immunes maneant. Quod si quis eorum vel ad alias nuptias convolaverit, vel in fornicationem inciderit, omnia ipsius bona liberi accipient. Sin liberi nulli extent, fiscus succedet.

Utrum autem Blastares hæc omnia historice potius quam vsuario genere, vel contra suis indiderit commentariis, mihi prorsus incompertum est. Dico hæc omnia, quod mihi compertum sit, tunc apud Orientales adulterii causa Matrimonium diremptum esse, cum Florentina Synodus celebrata est. Id vero disciplinæ genus ortum habet ex verbis Christi apud Matthæum duobus in locis.

Prior est in cap. V. vers. XXXII. *Dictum est autem: Quicunque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem*

dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat. Hic, vt apparet, exceptio ponitur a Moſaica lege, in qua vxor per repudii libellum dimittebatur, non quoad torum modo, ſed etiam quoad conjugii vinculum: ſic intelligendus videtur ex ſubjecta materia locus.

Poſterior in cap. XIX. verſ. III. & inſequentibus: *Acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes eum & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem quacunque ex cauſa. Qui reſpondens ait illis: Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Itaque jam non ſunt duo, ſed vna caro: quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. Dicunt illi: Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Verborum Chriſti facilis & expeditus apparebit ſenſus, ſi cominus ſpectentur interrogantes Chriſtum Phariſæi, reſpondens Phariſæis Chriſtus, & a Chriſto facta, vt decuit, ad mentem interrogantium Phariſæorum reſponſio. Ut ergo Phariſæi Chriſtum de vxoris dimiſſione & quoad torum & quoad vinculum interrogabant, ſic & Chriſtum de eadem dimiſſione reſpondiſſe omnino credibile eſt. Sed quoniam relata Chriſti verba non omnes vno eodemque ſenſu accipiunt, referre ſervato temporis ordine conſtitui teſtimonia Patrum, qui materiam hanc ſuo quiſque tempore tractarunt vſque ad Tridentinum Concilium.

1. Occurrit primus Juſtinus martyr, qui ad annum Chriſti centeſimum quinquageſimum claruit. Hic in apologia pro Chriſtianis prima narrat factum cujuſdam mulieris, quæ virum male moratum propinquiorum conſilio & emendationis ſpe diu ſuſtinuit; ſed ille *poſtquam Alexandriam profectus, multo deterior factus eſſe dictus eſt, fœmina miſſo illi qui apud vos dicitur repudii libello, ab eo ſic ſejuncta eſt.* Maritus ille commiſſis,

vt facile conjicitur, adulteriis deterior evasit. Justinus missum a femina marito repudii libellum minime reprehendit: reprehensurus sine dubio, si quid vel Christi Evangelio, vel derivatæ ab initio Christianorum disciplinæ contrarium importasset.

II. Tertullianus in libri IV. contra Marcionem capite XXXIV. *Dico illum* (Christum) *conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem; si ideo quis dimittat vxorem, vt aliam ducat. Qui dimiserit, inquit, vxorem, & aliam duxerit, adulterium commisit; & qui a marito dimissam duxerit, æque adulter est: ex eadem vtique causa, qua non licet dimitti, vt alia ducatur. Illicite enim dimissam pro indimissa ducens, adulter est. Manet enim Matrimonium, quod non rite diremptum est. Manente Matrimonio nubere, adulterium est. Ita si conditionaliter prohibuit dimittere vxorem, non in totum prohibuit: & quod non prohibuit in totum, permisit. Aliud est vbi causa cessat, ob quam prohibuit.* Et post alia: *Nam & in Evangelio Matthæi: Qui dimiserit, inquit, vxorem suam præter causam adulterii, facit eam adulterari: atque ita adulter censetur & ille, qui dimissam a viro duxerit. Ceterum præter ex causa adulterii, nec creator disjungit, quod ipse scilicet conjunxit.* Deinde in libri de Monogamia capite IX. *Ceterum & alia ratio conspirat, imo non alia; sed qua initii formam imposuit, & voluntatem Dei movit ad prohibitionem repudii: Quoniam qui dimiserit vxorem suam præterquam ex causa adulterii, facit eam adulterari, & qui dimissam a viro duxerit, adulterat vtique.* Et paullo post: *Adulteratur autem, sicut supra præstruximus, qui aliam carnem sibi immiscet super illam pristinam, quam Deus aut conjunxit in duos, aut conjunctam deprehendit: ideoque abstulit repudium, quod ab initio non fuit, vt quod ab initio fuit, muniat duorum in vnam carnem perseverantiam, nec necessitas vel occasio tertiæ concarnationis irrumpat, soli causæ permittens repudium, si forte prævenerit, cui præcavetur.* De Tertulliano sic Joannes Maldonatus in caput XIX. Matthæi sic censet: *Legimus nonnullos auctores veteres in ea fuisse sententia, Tertullianum libro IV. contra Marcionem, scilicet vt liceret marito, dimissa propter adulterium vxore, aliam ducere.*

III. Clemens Alexandrinus in libro II. stromatum rem

breviter sic attingit. *Quod autem*, inquit, *consulit Scriptura vxorem ducere, nec a conjugio vnquam permittit discedere, legem aperte constituit: Non dimittet vxorem præterquam propter fornicationem. Adulterium autem existimat conjungi Matrimonio vivo altero ex separatis.* Nempe si præter fornicationis causam Matrimonio conjungatur. Si quis autem Clementem non sic intelligat, posterior pars periodi primæ cum periodo prima non bene conveniret: poneretur exceptio, & statim auferretur.

IV. Origenes Clementis discipulus se & magistrum explicabit tractatu VII. in Evangelium Matthæi. *In novo*, inquit, *Testamento quoque sunt, non secundum veram justitiam, sed secundum duritiam cordis hominum carnalium constituta, vt puta propter duritiam cordis vestri lex data est, dicens: Bonum est mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnusquisque propriam habeat vxorem, & vnaquæque proprium virum, & cetera. Si autem hoc propter duritiam cordis nostri mandatum est, quanto magis illud propter duritiam cordis nostri est, quod alibi dicit de viduis volentibus iterum nubere, quod si se non continent, nubant. Melius est enim nubere quam vri. Scio enim quosdam, qui præsunt Ecclesiis, extra Scripturam permisisse, aliquam nubere viro priori vivente, & contra Scripturam quidam fecerunt dicentem: Mulier ligata est quanto tempore vivit vir ejus. Item vivente viro adultera vocabitur, si facta fuerit alteri viro. Non tamen omnino sine causa hoc permiserunt: forsitan enim propter hujusmodi infirmitatem incontinentium hominum, pejorum comparatione, quæ mala sunt, permiserunt adversus ea, quæ ab initio fuerunt scripta. Dico autem vobis, quod quicunque dimiserit vxorem, nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur.* Et quibusdam interpositis: *Post hoc autem Dominus non permittit propter aliam aliquam causam vxorem dimittere, nisi propter solam causam fornicationis, dicens: Quicunque dimiserit vxorem, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari. Quærendum est autem si propter solam causam fornicationis dimittere jubet vxorem. Quod si mulier non fuerit fornicata, sed aliud quid gravius fecerit, vt puta venefica inveniatur, aut interfectrix communis infantis nati, aut in quocunque homicidio, aut exportans domum, & male dispergens*

ſubſtantiam viri, aut furta viro faciens: ſi juſte hujuſmodi mulier dimittatur, cum Dominus excepta cauſa fornicationis dimittere vetet. In Origenis contextu notanda ſunt duo maxime; & primum quidem, quod Catholici fuerunt Antiſtites, qui ad vitandum incontinentiæ peccatum nonnullis mulieribus permiſerint, vt alii viro priori vivente nuberent: at eos Antiſtites fuiſſe tunc ab aliis vel in Synodo, vel extra Synodum objurgatos, nec dicit Origenes, nec vlla vetus memorat hiſtoria; ſicque ceterorum qui rem noverunt, ſilentium duci poteſt in conſcientiam. Deinde quod Origenes Matrimonium propter adulterii crimen dirimi putat juxta Scripturam.

v. Eliberitanum Concilium quod anno circiter CCCV. celebratum vulgo traditur, in canone IX. *Fidelis femina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur, ſi nubat: ſi autem duxerit, non prius communionem accipiat, quam is quem reliquit, de ſæculo exierit, niſi neceſſitas infirmitatis dare compulerit.* De hoc Concilio Maldonatus ita cenſet: *Scribit etiam Origenes hoc loco quoſdam ſua ætate Catholicos Antiſtites permiſiſſe iis, quorum vxores adulterium admiſiſſent, vt iis dimiſſis ducerent alias. Idemque in Concilio Eliberino conceſſum eſt.* Ut auctor hic ita cenſeat, exiſtimet neceſſe eſt eandem eſſe viri & vxoris rationem: viri quidem, cum ille dimiſſa propter adulterium vxore, aliam ducit; vxoris vero, cum illa dimiſſo propter adulterium viro, alteri nubit. Nihilominus apud Matthæum viri quam vxoris cauſa planior atque expeditior eſt: nam ibi viro quidem conceditur, vt dimiſſa propter adulterium vxore, aliam poſſit ducere; ſed vxori non conceditur, vt viro propter adulterium dimiſſo, poſſit alteri nubere. Quidquid id eſt, exemplum, quod Juſtinus mox retulit, Eliberitanorum Patrum cauſam adjuvat. Deinde cum apud beatum Paulum par ſit viri in vxorem, & vxoris in virum poteſtas, Eliberitani Patres ex conceſſa viro facultate, conceſſam eſſe vxori parem facultatem collegerunt; ſed conceſſa vxori facultas ita temperatur: Femina, quæ dimiſſo propter adulterium viro nupſit alteri, non prius communionem accipit, quam is quem reliquit, de ſæculo exierit,

id est, demigrarit ab hominibus; & tamen subnectitur exceptio, *nisi forte necessitas infirmitatis communionem dare compulerit.* Atque ita non improbantur secundæ nuptiæ, nec decernuntur vt invalidæ, quia mulier ad priorem maritum redire, aut ei reconciliari non cogitur. Eliberitani Patres totum hoc Ecclesiasticæ disciplinæ, non dogmati transscribunt.

VI. Arelatense Concilium I. quod anno CCCXIV. habitum est, in canone X. *De his*, inquit, *qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, & ii sunt adolescentes, & prohibentur nubere: placuit, vt in quantum potest, consilium eis detur, ne viventibus vxoribus, licet adulteris, alias accipiant.* Ex hoc canone colliguntur tria. Primum est, ante tempus istud, fuisse qui prohibuerint, ne quis vxorem suam in adulterio deprehensam dimitteret, & ea dimissa aliam duceret. Alterum, Arelatensis Concilii Patres expensa rursus examinataque re prohibitionem in consilium vertisse. Quo modo sat prope accedunt ad Origenem, qui Christum narrando potius quam jubendo locutum esse sibi sumit. Tertium, Christi verba jam ab initio subobscura visa fuisse, & eam ob causam varie intellecta.

Porro quantæ Arelatense Concilium auctoritatis esse debeat, cum ex aliis, tum ex eo quoque quod in eo Episcopi interfuerint sexcenti, demonstratur. Cumianus Presbyter, qui ante annos plusquam mille claruit, in epistola XII. ad Segienum Huensem Abbatem id scribit: *Item Arelatensi Synodo sexcentorum Episcoporum confirmante primo in loco de observatione Paschæ, vt vno die vno tempore per totum terrarum orbem observetur.* Ado Viennensis in chronicis ætate VI. id quoque scribit: *Uno eodemque tempore & illud sacratissimum Concilium apud Arelatem sexcentorum Episcoporum colligitur, Marino tunc Episcopo ejusdem civitatis.* Hinc mirum non est, Arelatense Concilium II. quod anno CCCCLI. habitum est, in canone XVIII. dixisse quæ sequuntur: *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam vrbem ex omnibus mundi partibus, & præcipue Gallicanis, sub Marini tempore legimus celebratum fuisse Concilium.* At quæstio hæc nusquam agitata est in Concilio, quod fuerit numerosius. Romanæ Ecclesiæ Legati quatuor adfuerunt.

VII. Lactantius Firmianus in libro de divinis Institutionibus sexto cap. XXIII. *Hæc sunt quæ ad continentiam præcipiuntur a Deo; sed nequis divina præcepta circumscribere se putet posse, adduntur illa, vt omnis calumnia & occasio fraudis removeatur, adulterum esse, qui a marito dimissam duxerit; & eum, qui præter crimen adulterii vxorem dimiserit, vt aliam ducat.* Hæc ille qui ad annum CCCXX. claruit; sic auctore Lactantio adulter non est, qui dimissa pro adulterii crimine vxore, aliam ducit.

VIII. Imperator Constantinus ad annum Christi CCCXXXI. legem tulit, qua certas ob causas datur libellus repudii: *Placet mulieri non licere propter pravas suas cupiditates marito repudium mittere, exquisita causa velut ebrioso aut aleatori aut mulierculario, nec vero maritis per quascunque occasiones vxores suas dimittere; sed in repudio mittendo a femina hæc sola crimina inquiri, si homicidam, vel medicamentarium, vel sepulcrorum dissolutorem maritum suum esse probaverit, vt ita demum laudata omnem suam dotem recipiat. Nam si præter hæc tria crimina repudium marito miserit, oportet eam vsque ad aciculam capitis in domo mariti deponere, & pro tam magna sui confidentia in insulam deportari. In masculis etiamsi repudium mittant, hæc tria crimina inquiri convenit, si mœcham, vel medicamentariam, vel conciliatricem repudiare voluerit,* & cetera, vt supra, in secunda parte tract. art. II. cap. II. Constantinus legem hanc inconsultis Sacerdotibus tulisse quis crederet? Nemo sane, nisi qui de Imperatore tanto nihil vnquam inaudiverit.

IX. Hilarius Pictaviensis Episcopus qui ad annum CCCL. claruit, canone IV. in Matthæum. *Dictum est autem: Quicunque dimiserit vxorem, det illi repudium,* &c. *æquitatem in omnes concilians, manere eam maxime in conjugiorum pace præcepit, legi addens plura, nihil demens. Nec sane profectus argui potest. Nam cum lex libertatem dandi repudii ex libelli auctoritate tribuisset, nunc marito fides Evangelica non solum voluntatem pacis indixit, verumetiam reatum coactæ in adulterium vxoris imposuit: si alii ex discessionis necessitate nubenda sit, nullam aliam causam desinendi a conjugio præscribens, quam quæ virum prostitutæ vxoris societate pollueret.* Periodus tota quid Hilarius sentiat, facile ostendit. Scri-

Mmm

pturam intelliget, quomodo illa intelligendam se præbet: licere videlicet marito, dimissa propter adulterium vxore, aliam ducere.

x. Inter eos canones, qui dicuntur Apostolorum, quadragesimus-octavus huc reipsa non spectat, licet aliquibus spectare videatur. Est ejusmodi: *Si quis laicus vxorem propriam pellens, alteram vel ab alio dimissam duxerit, communione privetur.* Coercet eos, qui qualibet ex causa potius, quam qui ex adulterio dimissis vxoribus, alias ducebant. Non enim canon dicit: *Si quis laicus vxorem propriam pellens ob adulterium, alteram vel ab alio dimissam ob adulterium duxerit, communione privetur.* Sed simpliciter dicit: *Si quis laicus vxorem propriam pellens, aliam vel ab alio dimissam duxerit.* Atque ita canon antecedentibus prodesse potest, obesse non potest apud eos, qui præjudiciis nullis occupantur, apud æquos rerum æstimatores.

XI. Basilius Magnus qui ad annum CCCLXV. floruit, in canone IX. ad Amphilochium: *Domini sententia juxta sensus consequentiam æque viris ac mulieribus convenit, quod non liceat a Matrimonio discedere, excepta causa fornicationis. At vero consuetudo non ita se habet; sed in mulieribus quidem nimiam adhiberi severitatem reperimus, dicente sane tum Apostolo: Qui adhæret meretrici, fit vnum corpus. Tum Hieremia: Si fuerit mulier cum alio viro, non revertetur ad virum suum, sed polluta polluetur. Et rursus: Qui habet adulteram, stultus est & impius. Consuetudo vero etiam adulterantes viros, & qui in fornicationibus versantur, mandat a mulieribus retineri. Quare quæ cum viro dimisso habitat, nescio an possit adultera appellari. Crimen enim hic attingit mulierem quæ dimisit: quam ob causam a conjugio recessit. Sive enim pulsata verbera non ferens, pati satius erat, quam a conjuge separari, sive jacturam in pecuniis non ferens, nec ipsa digna est excusatio: sin autem quod ipse vivat in fornicationibus, non est ejusmodi observatio in more Ecclesiastico posita, sed etiam ab infideli viro non est jussa mulier separari; sed ad extremum manere propter incertitudinem eventus. Quid enim scis, mulier, an virum sis servatura? Quare quæ relinquit, est adultera, si ad alium virum accessit: relictus vero est dignus venia, & quæ cum eo habitat, non ideo condemnatur.*

Si tamen vir ab vxore discedens accesserit ad aliam, est ipse adulter, quoniam facit eam adulterari; & quæ cum eo habitat, est adultera, eo quod alienum virum ad se traduxerit.

Hic, vt apparet, Basilius viros & mulieres, qui qualibet ex causa dirimebant Matrimonium, & se magis ad Moysis, quam ad Christi legem accommodabant, coarguit. Deinde præ se fert, quod ex Domini sententia viris æque ac mulieribus vetetur a Matrimonio discedere, excepta causa fornicationis: quod ergo viri & mulieres perperam faciebant, non posita fornicationis causa, jure poterant facere, posita fornicationis causa. Huc spectant verba hæc: *Non licet a Matrimonio discedere, excepta causa fornicationis*; quæ intelligenda sunt, habito respectu cum ad Christum, qui ad Pharisæorum interrogantium mentem sincerissime respondit: tum ad Patrum traditionem ab initio ad tempus vsque Basilii deductam, non habito respectu ad nonnullos e Schola Theologos, qui sibi extra Scripturam & traditionem intus canunt, qui Christum verbis ancipiti & vario sensui expositis docentem Christianos & Judæos, velint nolint, inducunt: Christianos quidem seu Christianæ religionis candidatos, in cap. V. Matthæi; Judæos vero in cap. XIX.

Balsamon in hunc canonem: *Sanctus interrogatus, quid debet fieri conjugibus, si quis ex ipsis se ad aliud Matrimonium contulerit, vel etiam fornicatus fuerit; facit responsum ex diversis Scripturis & ex consuetudine quæ tunc servabatur. Quia autem quæ in hoc canone sita sunt,* CXVII. *Imperatoris Iustiniani novella, quæ in tit.* VII. *lib.* XXVIII. *posita est, penitus immutavit: lege eam similiter, &* CXI. *novellam, &, vt semel dicam, a primo capite ejusdem tit. vsque ad* VI. *& scies, quot modis solvantur conjugia, & quomodo a lege civili puniuntur, qui adulterantur e conjugibus, vel etiam fornicantur: præterea autem & qui præter rationem vitæ societatem relinquunt. Lege item canonem* XCVI. *Concilii in Trullo, & quæ in eum scripta sunt. Lege etiam jura, quæ vsque ad finem vsque primi capitis* XI. *tit. præsentis operis sita sunt: similiter & interpretationem* V. *cap. ejusdem tit. & ex his omnibus fuse de his intelliges.*

Zonaras in eundem canonem: *Ne solvantur nuptiæ, excepta*

Mmm ij

fornicationis causa, Dominus præcepit. Hoc igitur præceptum ex æquo magnus hic Pater viris & mulieribus convenire asserit, ita vt nec viro suam dimittere vxorem, nec vxori a viro abscedere permissum sit; sed consuetudo non eodem modo se habet in viris qui relinquunt vxores, & mulieribus quæ idem faciunt. Mulier siquidem quæ a viro secedit, alterique adjungitur, adultera judicatur, nec amplius a viro suo, nisi is voluerit, recipietur. Virum autem, etiamsi fornicatus fuerit aut adulteratus, mulier relinquere haud potest. Ac si deinceps relictus cum altera vitam agat, quæ illi adjungitur, nequaquam, ait, adultera judicabitur. Crimen siquidem illius est, quæ virum suum reliquit; nec enim ei a viro discedere concessum est. Sed sive se cum illa acerbe gerat, ferre oportet, sive pecuniæ jacturam patiatur, dum videt ab eo dotem absumi, sive tangatur zelotypia, quod cum aliis, vt vir corrumpatur, obdurandum est, nec a viro abscedendum. Si enim cum infidelis sit alter ab eo secedere ipso invito conjugum, alteri vetitum est beati Pauli decreto, quonam modo illi impune erit, qui aliam ob causam conjugium solvit. Quamobrem quæ a viro abscessit, si cum altero habitavit, adultera judicatur: si vero cum relicto viro conjuncta legitime fuerit, neque vt adultera, neque vt fornicaria condemnatur. Et vir vxorem suam dimittens & ducens aliam, adulter est, & vxorem cum alio mixtam adulteram facit. Et quæ ejusmodi viro habitat, non ignorans ab eo vxorem, quam habuerat, dimissam, adultera est. Alienum namque virum ad se traduxit. Sed hæc quidem hic magnus Pater ex ea quæ tunc obtinebat Ecclesiastica consuetudine asserit. Verum ex ea quæ postea edita est de divortiis Imperatoris Iustiniani novella libro XXVII. *Basilicorum tit.* VII. *posita, præter alias causas ob quas conjugia solvere mulieribus datum est, illa quoque recensetur, vt si in eadem domo aut vrbe vir alteri commisceatur, atque ab vxore admonitus, tamen ab illius commercio nequaquam abstineat, nuptias dissolvere mulieribus ob zelotypiam permissum sit.*

XII. Gregorius Nazianzenus, qui ad annum CCCLXXX. claruit, in oratione XXXI. de Matrimonio sic disserit: *Lex quidem omnes ob causas libellum dat repudii. At Christus non ob omnes, sed separari tantum ab adultera vxore permittit, idque propterea, quia impudica genus corrumpit & adulterat. Reliquis*

autem omnibus in rebus animi æquitate ac patientia vti jubet. Igitur cetera omnia patienter, moderate ac sapienter feramus, vel, vt rectius loquar, sapienter & moderate ferre quicunque Matrimonii jugum subiistis. Sic ille dictus ἀντονομαστικῶς Theologus, qui constituta inter antiquam legem & novam antithesi perspicue significat, in nova licere viro dimissa propter adulterium vxore aliam ducere, cum in antiqua dato repudii propter quascunque causas libello licebat aliam vxorem ducere. Deinde cum ceteris in causis viros cohortatur ad patientiam, confirmat exceptionem, quæ in adulterio mulieris consistit. Hic sponte dissilit non satis ingeniosa illa quoad torum & quoad vinculum distinctio, cum in veteri lege & quoad torum & quoad vinculum solvebatur Matrimonium: & in nova licet propter alias causas quoad torum separatio. Hoc autem facile capiunt, qui nec communi sensu carent, nec præjudiciis ducuntur, sed qui omnia qua fide suscipiunt a Patribus, eadem & filiis consignant.

XIII. Ambrosius Nazianzeno æqualis in libri I. de virginibus capite I. *Quomodo autem Dominus divortium præcepisset, cum ipsius sit sententia, quia nemo dimittere debet vxorem, excepta causa fornicationis?* Non addit secundum quid, sed simpliciter, nempe vt liceat postea aliam vxorem ducere. Id nomen ipsum, *divortium* quo vtitur, importat.

Deinde libro VIII. in caput XVI. beati Lucæ. *Quam periculosum si fragilem adolescentulæ ætatem errori offeras! quam impium, si ejus destituas senectutem, cujus defloraveris juventutem. Ergo inhonoratum stipendiis, & veteranum Imperator dimittat inglorium, atque imperii sui possessione detrudat, & rusticum laboris effætum agro suo propulset agricola. An quod in subditos nefas est, in comparem fas est? Dimittis ergo vxorem, quasi jure sine crimine, & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, sed divina prohibet.* Egregiis comparationibus in eos invehitur, qui vxores dimittebant sine crimine, id est, sine adulterio. Qui putabant id se facere jure posse, quia sic fiebat in lege Mosaica; id putabant sibi licere, quod lex humana non prohibebat, non advertentes quod divina prohibebat. Hæc autem prohibet ne vxor a viro dimittatur, excepta for-

nicationis causa, quam *crimen* appellat Ambrosius: qui & paullo post de Paulo locutus ait: *Idem Apostolus negavit legis esse divinæ ut conjugium qualecunque solvatur.* Cum sic, inquam, disserit, omnino significat: aliquod est conjugium, quod jure solvi possit, nimirum illud, in quo uxor committebat adulterium. Huc spectat exceptio, quam Ambrosius Christum imitatus semel atque iterum apponit: semel in priori, iterum in posteriori testimonio.

XIV. Asterius Amasenus Episcopus qui ad annum CCCLXXX. enituit, homilia in locum Evangelii secundum Matthæum. *An liceat homini quacunque ex causa uxorem dimittere.* Et paullo post initium: *Ecce Matrimonium, id est, res humanæ vitæ maxima, velut ad normam hic dirigitur, finesque certi definiuntur ejus & contrahendi & dissolvendi. Quibus diligenter uterque cœtus & sexus attendat, quo tum feminæ, tum viri, quæ propria cujusque sint, condiscant. An liceat viro qualibet causa conjugem repudiare; hoc quidem Iudæorum problema: scopum autem interrogationis hunc invenio. Quoniam feminæ faciliores ad credendum, & ad miracula Christi celebranda, fidemque de divinitate ejus amplectendam propensiores esse viderentur, (ut & fuisse postremo patuit ex earum multitudine, quæ Servatorem cum ad supplicii locum duceretur, prosecuta est, & passionem ejus miserabiliter deflevit) ut offensam & odium apud hunc sexum ei conciliarent, dolosam istam interrogationem, & hæc verborum quasi retia fabricati sunt. Verum ille dolum sibi instructum vi divinitatis animadvertens, & leniora levioraque docere & præcipere solitus, insidias eorum elusit, ac secundum mulieribus responsum dedit: atque ita Pharisæos quæstioni intentos inhiantesque, tanquam lupos inanes prædaque expertes ablegavit. Ipsa, ait, creatio conjunctionis, non divortii scopum ostendit, primusque nuptiarum auspex & conciliator extitit ipse conditor universi, qui & primus, quos finxerat homines conjugali inter sese vinculo copulavit, & posteris velut perpetua quadam serie convivendi cohabitandique necessitatem imposuit, legis instar divinæ colendam & observandam. Qui autem nexu tam arcto junguntur, non amplius duo sunt, verum una caro. Quare quod Deus conjunxit, homo non separet. Hæc Pharisæis dicta tum fuere. Audite jam vos mulierum institores, qui ceu vestes subinde*

tas mutatis, qui thalamos tam ſæpe & facile ſtruitis, quam nundinarum tabernulas, qui dotem ac bona ducitis conjuges ad quæſtum ac negotiationem habetis, qui vel leviter offenſi libellum repudii conſcribitis, multaſque velut viduas in vita relinquitis. Exiſtimate & omnino vobis perſuadete Matrimonia morte tantum & adulterio dirimi. Et quibuſdam interpoſitis: *Hactenus quidem vapulet maritus, crebriſque denſæ nivis inſtar ingratitudinis criminibus pulſetur: quod ſi forte adulterii culpam objicit, eamque divortii rationem reddit, omnem ſtatim accuſationem a marito injuria hac affecto in adulterum transferam, & pro hoſte probus, poſthac illi defenſor ac propugnator aſſiſtam. Laudabo eum qui fugiet inſidiatricem, qui vinculum abrumpet, quod cum aſpidi, quod echidnæ copulavit. Huic enim primum dat veniam ipſe conditor univerſi, tanquam juſto dolore percito, meritoque domus peſtem & exitium domo exigenti. Nam cum duplici fine Matrimonia contrahantur, benevolentiæ & liberorum quærendorum, neutrum in adulterio obtinetur. Nec enim affectui locus, ubi in alterum animus inclinat, ac ſobolis omne decus & gratia perit, quando liberi confunduntur.* Cum ait Matrimonia morte tantum & adulterio dirimi. Nullus eſt, opinor, diſtinctioni, cujus ſupra num. XII. memini, locus. Quis enim vir ſanæ mentis diceret, Matrimonia quoad torum duntaxat, non quoad vinculum morte dirimi? Aſterius porro in Armenia ſecunda claruit, & in Nicænæ Synodi ſecundæ actionibus IV. & VI. & ab Hadriano I. in libro de imaginibus laudatur.

XV. Joannes Chryſoſtomus Aſterio æqualis homilia XXVI. in Geneſim: *Audi iterum ipſum Chriſtum dicentem diſcipulis: Dico enim vobis: Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta cauſa ſtupri, facit illam adulterari. Quam excellens benignitas! etiamſi infidelis fuerit, vel pagana, retine: ſi autem in te peccaverit, & fœderum obliviſcitur, & magis aliorum prætulerit communionem, licet tibi eam ejicere & repellere.* Deinde in caput III. Eſaiæ: *Ei, qui haberet uxorem compertam fornicationis, permiſit a ſe repellere; ei vero, qui gentilem conjugem haberet, non item conceſſit, etiamſi peccatum perfidiæ gentilis in ipſum redundet; illud vero reſiliat in hominem.* Denique in homilia XVII. in Matthæum: *Siquidem reliquit viro unum expulſionis mo-*

dum, dicendo, excepta causa fornicationis, alioquin in eandem rursus turpitudinem remearent. Hæc tria doctoris tanti loca funiculum triplicem efficiunt, qui ne a magistris nodum in scirpo quærentibus facile abrumpetur.

XVI. Innocentius I. Chrysostomo æqualis, in epistolæ ad Exuperium Tolosanum Episcopum capite VI. *De his enim requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio alii se Matrimonio copularunt, quos in vtraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel vxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum, vt etiam hæ personæ, quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur secundum illud, quod legimus in Evangelio: Qui dimiserit vxorem suam, & duxerit aliam, non mœchatur. Similiter & qui dimissam duxerit, mœchatur; & ideo omnes a communione fidelium abstinendos.* Pontifex cum laudat Evangelium, Marci scilicet vel Lucæ, is debet notatam bis a Matthæo exceptionem subintelligere, ne obreptum illi videatur: quæ enim tacenda non est veritas, taceretur. Sed exceptionem sciens, opinor, & prudens omittit, vt propositæ ab Exuperio quæstioni respondeat, alioquin Evangelio Matthæi vim inferret, quod nefas esset de tanto Pontifice suspicari. Deinde sublata de industria exceptione, nec habito ad Exuperii quæstionem respectu vllo, novitati studeret. Exuperius per verba hæc: *De his requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio alii se Matrimonio copularunt*; non requirit de iis, qui interveniente propter adulterium repudio; sed de iis simpliciter qui interveniente repudio alii se Matrimonio copularunt. Ex quæstione æstimanda est respondentis intentio. Denique si quo ad perscrutandam Innocentii mentem lumine indigeremus, illud suppeditaret nobis Gregorius II. cum propositis a Bonifacio Moguntino Antistiti quæstionibus respondet. At quid illud sit, suo loco videbimus.

XVII. Auctor Commentariorum, qui inter Ambrosii opera extant in beati Pauli epistolas: sic ergo scribit in prioris ad Corinthios epistolæ caput VII. *Non enim permittitur mulieri, vt nubat, si virum sine causa fornicationis dimiserit, aut apostasia, aut si licite impellente lascivia vsum quærat vxoris, quia infe-*

rior

rior non omnino hac lege vtitur, qua potior: si tamen apostatet vir, aut vsum quærat vxoris invertere, nec alii potest nubere mulier, nec reverti ad illum, (& virum vxorem non dimittere) subauditur autem, excepta fornicationis causa; & ideo non subjecit, dicens: Sicut de muliere, quod si discesserit, manere sic: quia viro licet ducere vxorem, si dimiserit vxorem peccantem, quia non ita lege constringitur vir sicut mulier. Hæc ille, qui duo evidenter proponit: viro licere dimissa propter adulterium vxore, aliam ducere; & vxori non licere, viro propter adulterium dimisso, alii nubere: quæ opinio a nonnullis perperam attributa est Ambrosio, quod crederent Ambrosium commentariorum istorum auctorem esse. Si auctor sit non Remigius, sed Hilarius Romanæ Ecclesiæ Diaconus, vt a multis creditur verisimilius; hic Innocentio æqualis ad intelligendum Innocentium conducere adhuc poterit.

XVIII. Hieronymus in libro I. contra Jovinianum: *Qui semel duxit vxorem, nisi ex consensu, non valet se abstinere, nec dare repudium non peccanti.* Ac proinde dare potest repudium peccanti, id est, fornicanti. Et quibusdam interpositis: *Docet* (Paulus) *juxta sententiam Domini, vxorem, excepta causa fornicationis, non repudiandam, & repudiatam, vivo marito, alteri non nubere, aut certe viro suo reconciliari debere.* Hoc in loco Hieronymus in ea est sententia, vt putet viri & vxoris conditionem parem non esse in eo, quod attinet adulterium. Vir dimissa propter adulterium vxore aliam potest ducere; sed vxor viro propter adulterium dimisso non potest alteri, quandiu dimissus vivit, nubere. Eliberitanum Concilium hac in re Doctori sancto prævivit.

Deinde in caput XIX. Matthæi: *(Dico autem vobis quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, &c.) Sola fornicatio est, quæ vxoris vincat affectum, imo cum illa vnam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione separaverit a marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura: Qui adulteram tenet, stultus & impius est. Ubicunque est igitur fornicatio & fornicationis suspicio, libere vxor dimittitur.* Hoc perspicuum est, nec in tali conditione vxore dimittitur, nisi vt alia, si dimittens velit, ducatur. Pergit

Hieronymus : *Et quia poterat accidere, vt aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere jubetur uxorem, vt secundam prima vivente non habeat. Quod enim dicit, tale est ; si non propter libidinem, sed propter injuriam dimittis vxorem: quare expertus infelices priores nuptias, novarum te immittis periculo.* Violatæ legis redarguit maritum, qui non propter adulterium, sed propter aliam causam vxorem repudiat, vt aliam ducat. Mox eundem maritum accusat imprudentiæ, quod expertus infelices priores nuptias novarum se immittat periculo. Ad hæc cum Hieronymus vxorem appellat innocentem, eam intelligit, quæ per adulterium repudii causam non dedit; non eam, quæ aliis inquinata non sit vitiis: quorum ergo maritus vult vxorem dimittere, & aliam ducere. Quod marito haud licere contendit Hieronymus, qui pergit: *Necnon quia poterat evenire, vt juxta eandem legem vxor quoque marito daret repudium, eadem cautela præcipitur, ne secundum accipiat virum. Et quia meretrix, & quæ semel fuerat adultera, opprobrium non timebat, secundo præcipitur viro, quod si talem duxerit, sub adulterii sit crimine. (Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis,* &c.) *Grave pondus vxorum est, si excepta causa fornicationis eas dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si vaga, si jurgatrix, si maledica, tenenda erit istiusmodi? Volumus, nolumus, sustinenda est. Cum enim essemus liberi, voluntarie nos subjecimus servituti.* Sic fornicationis exceptionem, qua marito licet dimissa vxore aliam ducere, confirmat enumeratione vitiorum, propter quæ non licet marito, dimissa vxore, aliam ducere.

Tum in epistola XXX. ad Oceanum : *Præcepit Dominus vxorem non debere dimitti, excepta causa fornicationis, & si dimissa fuerit, manere innuptam: quidquid viris jubetur, consequenter redundat in feminas. Neque enim vxor adultera dimittenda est, & mœchus tenendus.* Et post alia : *Igitur & Fabiola, quia persuaserat sibi & putabat a se virum jure dimissum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi vniversa cautio viventibus viris feminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, vnum*

incauta vulnus accepit. Sed quid ergo in abolitis & antiquis moror, quærens excusare culpam, cujus pœnitentia in ipsa confessa est. Quis hoc crederet, vt post mortem secundi viri in semet reversa, quo tempore solent viduæ negligentes jugo servitutis excusso agere se liberius, adire balneas, volitare per plateas, vultus circumferre meretricis, saccum indueret, vt errorem publicum fateretur, & sola vrbe spectante Romana ante diem Paschæ in basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium, Episcopo, Presbyteris & omni populo collacrymantibus, sparsum crinem, ora squallida & squallidas manus, sordida colla submitteret? Fornicationis exceptionem confirmat, & in ceteris virum & vxorem in parem sortem deputat.

Postremo in epistola CXLVII. ad Amandum Presbyterum: *Quærendum ab eo, id est, a me, vtrum mulier relicto viro adultero & sodomita, & alium per vim accepto, possit absque pœnitentia communicare Ecclesiæ vivente adhuc eo, quem prius reliquerat: quod legens illius versiculi recordatus sum: Ad excusandas excusationes in peccatis. Omnes enim homines vitiis nostris favemus, & quod propria facimus voluntate, ad naturæ referimus necessitatem. Quomodo si dicat adolescens: Vim patior corporis, me ad libidinem ardor impellit, ipsa organa genitalium membrorum, & compositio corporis femineos quærit amplexus. Et rursum homicida: In egestate, inquit, eram, indigebam cibo, tegmen corporis non habebam: ideo alienum sanguinem fudi, ne ipse fame & frigore morerer. Responde itaque sorori, quæ a nobis super suo statu quærit, non nostram, sed Apostoli sententiam. An ignoratis, fratres: scientibus enim legem loquor, quoniam lex dominatur homini, quanto tempore vivit. Mulier enim, quæ sub viro est, vivente viro, astricta est legi. Quod si mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri: ergo vivente viro adultera erit, si duxerit alterum virum. Et in alio loco: Mulier alligata est, quanto tempore vivit vir ejus: si autem dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino. Omnes igitur causationes Apostolus amputans, apertissime definivit, vivente viro, adulteram esse mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi præferas raptoris violentiam, matris persuasionem, patris auctoritatem, propinquorum catervam, servorum insidias atque contemptum, damna rei familiaris.*

Quandiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apostolus hæc propria auctoritate decernit; sed Christo in se loquente, Christi verba secutus est, qui ait in Evangelio: Qui dimittit vxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari; & qui dimissam acceperit, adulter est. Animadverte quid dicat: Qui dimissam acceperit, adulter est; sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa sit, adulter est, qui dimissam acceperit. Unde & Apostoli gravem conjugii sarcinam intelligentes: Si ita est, inquiunt, non expedit homini vxorem accipere ad quos Dominus: Qui potest, inquit, capere capiat. Et quibusdam interpositis: *Ergo & ita soror, quæ, vt dicit, vim passa est vt alteri jungeretur. Si vult corpus Christi accipere, & non adultera reputari, agat pœnitentiam, ita duntaxat vt secundo viro, qui non appellatur vir, sed adulter, a tempore pœnitentiæ non copuletur.* Hæc paullo longiora descripsi, vt ad plenum & perfectum agnoscatur, quæ sit Hieronymi circa divortium sententia, ea scilicet, quam ab initio exposuimus, vt nempe viro liceat, dimissa propter solum adulterium vxore, aliam ducere; vxori vero non liceat, dimisso propter adulterium, vel quid aliud viro alteri nubere, atque istud obsetvatione summa dignum est, Ecclesiarum magistrum dixisse nusquam maritum illum, qui dimissa propter fornicationem vxore, aliam ducit: adulterum esse, cum toties dixerit vxorem, qui dimisso propter fornicationem viro alteri nupserit, adulteram esse, & cum adulterum esse, qui dimissam a viro propter illud crimen vxorem duxerit. Et hac in re Hieronymus consensit cum Hilatio Romanæ Ecclesiæ Diacono, a quo aliis in rebus plurimum dissensit, vt nos docet Luciferiani & orthodoxi altercatio.

XIX. Augustinus multis in locis quæstionem hanc agitat.

Primus est in libri contra Adimantum capite III. *Si quis ergo relinquit regnum cælorum, dum non vult relinquere vxorem; non ferentem Christianum virum improbatur a Domino. Et item: Si quis vir relinquit vxorem, dato libello repudii, cum causa non existat aut fornicationis, aut obtinendi regnum cælorum, impro-*

batur a Domino. At dato libello repudii propter fornicationem, maritus poteſt aliam vxorem ducere.

Alter eſt in libri octoginta trium quæſtionum quæſt. LXXXIII. *Si Dominus dimittendæ conjugis ſolam cauſam fornicationis admitti, & paganum conjugium dimitti prohibet; conſequens eſt vt paganiſmus fornicatio non deputetur. Solam autem fornicationis cauſam exceptam facere Dominum, cum de dimittenda conjuge loquitur in Evangelio, manifeſtum eſt*, &c.

Tertius eſt in libri de bono conjugali capite VII. *Qui dimittit vxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari, vſque adeo fœdus illud initum nuptiale cujuſdam ſacramenti res eſt, vt nec ipſa ſeparatione irritum fiat, quandoquidem vivente viro, a quo relicta eſt, mœchatur, ſi alteri nupſerit, & ille hujus mali cauſa eſt, qui reliquit. Miror autem, quemadmodum licet dimittere adulteram vxorem, ita liceat ea dimiſſa alteram ducere. Facit enim de hac re ſancta Scriptura difficilem nodum, dicente Apoſtolo, ex præcepto Domini mulierem a viro non debere diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari: cum recedere vtique & manere innupta, niſi ab altero viro, non debeat, ne recedendo ab eo, qui adulter non eſt, faciat eum mœchari: reconciliari autem viro, vel tolerando, ſi ſe ipſe continere non poteſt, vel correcto forſitan juſte poteſt. Quomodo autem viro poſſit eſſe licentia ducendæ alterius, ſi adulteram reliquerit, cum mulieri non ſit nubendi alteri, ſi adulterum reliquerit, non video.* Hac ratione quæ in comparatione ſita eſt, quæſtionem videtur involvere, quæ ſine comparatione, vt in Scripturis jacet, involuta non eſt; nempe viro licere, dimiſſa propter adulterium vxore, aliam ducere.

Quartus in libri I. de ſermone Domini in monte capite XV. *Exoritur hic altera quæſtio, cum Dominus cauſa fornicationis permittat dimitti vxorem, quatenus hoc loco intelligenda ſit fornicatio: vtrum quouſque intelligunt omnes, id eſt, vt eam fornicationem credamus dictam, quæ in ſtupris committitur: an quemadmodum Scripturæ ſolent fornicationem vocare, ſicut ſupra dictum eſt, omnem illicitam corruptionem, ſicut eſt idololatria vel avaritia, & ex eo jam omnis tranſgreſſio legis propter illicitam concupiſcentiam. Sed conſulamus Apoſtolum, ne quid temere dica-*

mus : His qui sunt in conjugio, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Potest etiam fieri vt discedat ea causa, qua Dominus permisit, aut si feminæ licet virum dimittere, etiam præter causam fornicationis, & non licet viro, quid respondebimus de hoc quod dixit posterius : Et vir vxorem ne dimittat. Quare non addidit, excepta causa fornicationis, quod Dominus permittit? nisi quia similem formam vult intelligi, vt si dimiserit, (quod causa fornicationis permittitur) maneat sine vxore, aut reconcilietur vxori. Non enim male reconciliaretur vir illi mulieri, quam cum lapidare nemo ausus esset, dicit ei Dominus: Vade & vide deinceps ne pecces. Quia & qui dicit: Non licet dimittere vxorem, nisi causa fornicationis; cogit retineri vxorem, si causa fornicationis non fuerit : si autem fuerit, non cogit dimittere, sed permittit. Sicut dicitur : Non licet mulieri nubere alteri viro, nisi viro suo mortuo; si ante viri mortem nupserit, rea est; si post viri mortem non nupserit, non est rea: non enim jussa est nubere, sed permissa. Si enim par forma est in isto jure conjugii inter virum & mulierem, vsque adeo vt non tantum de femina idem Apostolus dixerit : Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir; sed etiam de illo non tacuerit dicens : Similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Si ergo similis forma est, oportet intelligi non licere mulieri virum dimittere, nisi causa fornicationis, sicut & viro. Et post alia : *Quapropter si licet, vt dimittatur conjunx infidelis, quamvis melius sit non dimittere, & tamen non licet secundum præceptum Domini, vt dimittatur conjunx, nisi causa fornicationis. Fornicatio est etiam infidelitas. Quid enim tu dicis, Apostole? Certe vt vir fidelis consentientem secum habitare mulierem infidelem non dimittat. Ita, inquit. Cum ergo hoc & Dominus præcipiat, ne dimittat vir vxorem, nisi causa fornicationis; quare hic dicis : Ego dico, non Dominus, quia scilicet idololatria, quam sequuntur infideles, & quælibet noxia superstitio fornicatio est. Dominus autem permisit causa fornicationis vxorem dimitti, sed quia permisit, non jussit, dedit locum Apostolo monendi, vt qui voluerit, non dimittat vxorem infidelem, quo sic fortasse fieri possit fidelis.* Et post alia : *Cum autem ait, excepta causa fornicationis, non dixit, cujus ipsorum, viri an*

feminæ. Non enim tantum fornicantem uxorem dimittere conceditur; sed quisquis eam quoque uxorem dimittat, a qua ipse cogitur fornicari, causa fornicationis utique dimittit, velut si aliquem cogat uxor sacrificare idolis. Qui talem dimittit, causa fornicationis dimittit, non tantum illius, sed & suæ: illius, quia fornicatur; suæ, ne fornicetur. Nihil autem iniquius, quam fornicationis causa dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari. Occurrit enim illud: In quo enim alterum judicas, temetipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas. Quapropter quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus. Quod similiter etiam de femina dixerim.

Quintus in libri de fide & operibus capite XIX. *Quisquis etiam uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui excepta causa adulterii dimittunt & ducunt. Et in ipsis divinis sententiis ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut quantum existimo venialiter ibi quisque fallatur.*

Sextus in libri I. de adulterinis conjugiis cap. VIII. *Illud ergo quod Dominus non quidem in sermone ipso, qui exponebatur a nobis, sed tamen alibi ait: Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ex causa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur. Si hoc modo intelligendum est, ut quicunque in causa fornicationis dimiserit, & aliam duxerit, non mœchetur, non videtur in hac causa par forma esse mariti & uxoris, quandoquidem etiamsi causa fornicationis discesserit a viro, & alii nupserit, mœchatur, vir autem si eadem causa uxorem dimiserit, & aliam duxerit, non mœchatur. At si par est forma in utroque, uterque mœchatur: si se alteri junxerit, etiam cum se a fornicante disjunxerit; parem vero esse formam in hac causa viri atque mulieris, ibi ostendit Apostolus, quod sæpe commemorandum est, ubi cum dixisset: Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir; adjecit atque ait: Similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Cur ergo, inquis, interposuit Dominus causam fornicationis, & non potius generaliter ait: Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur, si & ille mœchus est, qui dimissa fornicante muliere alteram ducit. Credo, quia illud quod majus est, hoc*

Dominus commemorare voluit. Majus enim adulterium esse quis negat, vxore non fornicante dimissa alteram ducere, quam si fornicantem quis dimiserit, & tunc alteram duxerit: non quia & hoc adulterium non est; sed quia minus est, vbi fornicante dimissa altera ducitur.

Septimus in ejusdem libri capite XXV. *His ita pro meo modulo pertractatis atque discussis, quæstionem tamen de conjugiis obscurissimam & implicatissimam esse non nescio. Nec audeo profiteri, omnes sinus ejus vel in hoc opere, vel in alio, me adhuc vel jam posse, si vrgeas, explicare.* Hæc notanda confessio.

Supersunt alia beati Augustini loca, quæ post interpositam Milevitanam Synodum referemus, cum in libris Synodum hanc subsequentibus existant.

XX. Milevitana Synodus secunda, quæ anno CCCCXVI. habita est in canone XVII. qui est centesimus secundus Africani codicis: *Placuit vt secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam neque dimissus ab vxore, neque dimissa a marito alteri conjungatur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur: quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendam promulgari.* Ad legem imperialem quod attinet, nondum annus erat centesimus, quod Imperator Constantinus legem de hac materia tulerat: eam in secunda parte tractatus art. II. cap. II. descripsimus. Miror cur Milevitani Patres legem illam non viderint; aut si viderint, quomodo recordati non fuerint. Digna lex erat, quæ attenderetur a Milevitanis Patribus, & ab Augustino maxime, qui in literis & libris, vbi de Donatistarum causa disputat, Imperatorem Constantinum tam frequenter laudat & prædicat. Locum vnum e pluribus, qui est in epistola CLXVI. ad Donatistas, objicio. *Scitote*, inquit, *quod primi majores vestri causam Cæciliani ad Imperatorem Constantinum detulerunt.* Et post alia: *Sed quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi judicare, eam discutiendam atque finiendam Episcopis delegavit: quod & factum est in vrbe Roma, præsidente Melchiade Episcopo illius Ecclesiæ cum multis collegis suis.* Et paullo post: *Iterum tamen clementissimus Imperator eos Episcopos judices dedit apud Arelatum Galliæ civitatem, & ab ipsis vestri ad ipsum*

ipsum Imperatorem appellarunt, donec ipse causam cognosceret, & Cæilianum innocentem, illos calumniosos pronuntiaret. Et paullo post : *Tunc Constantinus prior contra partem Donati severissimam legem dedit.*

Octavus Augustini locus est in libri I. Retractationum capite XIX. *Non quia omne peccatum fornicatio est. Neque enim omnem peccantem perdit Deus, qui quotidie Sanctos suos exaudit, dicentes : Dimitte nobis debita nostra, cum perdat omnem qui fornicatur ab eo. Sed quatenus intelligenda atque limitanda sit hæc fornicatio, & utrum etiam propter hanc liceat dimittere uxorem, latebrosissima quæstio est: licere tamen propter istam, quæ in stupris committitur, nulla quæstio est. Et ubi dixi hoc permissum esse, non jussum; non attendi aliam Scripturam dicentem : Qui tenet adulteram, stultus & impius est.*

Nonus in libri II. Retractationum capite LVII. *Scripsi duos libros de adulterinis conjugiis, quantum potui secundum Scripturas cupiens solvere difficillimam quæstionem : quod utrum enodatissime fecerim, nescio; imo vero non me pervenisse ad hujus rei perfectionem sentio, quamvis multos sinus ejus aperuerim : quod judicare poterit quisquis intelligenter legit.* Hæc duobus in his locis ille annis post Milevitanum Concilium decem, quod maxime considerandum est.

Decimus in tractatu IX. in Joannis Evangelium : *Futuri erant, de quibus dixit Apostolus: Prohibentes nubere, & dicentes, quod malum essent nuptiæ, & quod diabolus eas fecisset, cum idem Dominus dicat in Evangelio interrogatus, utrum liceat homini dimittere uxorem suam ex qualibet causa, non licere excepta causa fornicationis. In qua responsione, si meministis hoc ait: Quod Deus conjunxit, homo non separet. Et qui bene eruditi sunt in fide Catholica, noverunt quod Deus fecerit nuptias. Et sicut conjunctio a Deo, ita & divortium a diabolo fit; sed propterea in causa fornicationis licet uxorem dimittere, quia ipsa esse uxor prior noluit, quæ fidem conjugalem marito non servavit.* Hæc ille in tractatu, quem post editos Retractationum libros scripsit, ubi tractatuum in Joannis Evangelium mentionem nullam facit, facturus aliquam sine dubio, si eos ante scripsisset.

Undecimus in epistola LXXXIX. ad Hilarium quæst. IV.

An hoc eos movet quod ait Dominus: Quicunque dimiserit omnia sua propter me, accipiet in hoc sæculo centuplum, & in futuro vitam æternam possidebit. Aliud est, dimiserit; aliud est, vendiderit. Nam & in iis, quæ dimittenda mandavit, etiam vxor commemorata est, quam nullis humanis legibus licet vendere, Christi autem legibus nec dimittere, excepta causa fornicationis. Et paullo post: *Hic ille quid eligat, nisi Christum, & dimittat vxorem propter Christum. Ambobus quippe Christianis Dominus præcepit, ne quisquam dimittat vxorem, excepta causa fornicationis.* Mihi reipsa incompertum est, vtrum Augustinus epistolam ad Hilarium ante vel post libros Retractationum scripserit, necne. Post Retractationes scripsisse verisimilius est, cum epistolæ testimonium ad Augustini tractatum IX. in Joannem magis quam ad alia loca, quæ ex libris ante Milevitanam Synodum editis repetuntur, accedat.

Et primum quidem his omnibus Augustini testimoniis inter se collatis auctor sibi ipse videretur contrarius, & ob id minori fide dignus, nisi diversa spectentur tempora, quibus animum ad scribendum appulit. In prioribus testimoniis non loquitur, vt in decimo loquitur. *In causa fornicationis licet vxorem dimittere, quia ipsa esse vxor prior noluit, quæ fidem conjugalem marito non servavit.* Hæc clariora sunt iis, quæ ante Milevitanam Synodum exaravit.

Deinde hoc idem ipsum possumus recipere propter illa testimonia duo, quæ ex libro I. & II. Retractationum retulimus. Prius rem conficit: *Licere propter fornicationem, quæ in stupris continetur, dimittere vxorem, nulla quæstio est.*

Tum, vt ita loqueretur, adduci potuit ex Arelatensis & Elibetitani Concilii canonibus, quos ævi progressione vidisse & examinasse credibile est.

Postremo Milevitana Synodus non impedit quominus quæ ante illius celebrationem Augustinus tractaverat, retractaverit & emollierit: tantum abest vt relatum illius canonem, novis & auctoritatibus & rationibus communietit, & ab omni impetitione defenderit.

Bellarminus vt sorex suo ipsius petiit indicio, cum in

libro I. de Matrimonii sacramento cap. XVII. *Canones*, inquit, *Milevitani Concilii Augustino precipue auctore compositi editique fuerunt: quare cum Augustinus integris libris disputaverit, in nullo casu, ne fornicationis quidem, licitum esse, vivente conjuge, ad aliud transire conjugium; dubium esse non debet, quæ sit canonis illius sententia.* Omnino prodit se ne torvis quidem oculis aspexisse illos Augustini commentarios, ex quibus testimonia sat multa in medium adduximus.

XXI. Auctor Commentariorum in omnes beati Pauli epistolas apud Hieronymum: sic ille scribit in prioris ad Corinthios epistolæ caput VII. *Præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem a viro non discedere. Prohibet quacunque ex causa, ne aliis conjungantur secundum consuetudinem Iudæorum, quam Dominus interdixit, dicens: Quicunque dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur.* Appatet sermonem esse de vxoris dimissione, quam apud Judæos quacunque ex causa, & apud Christianos ex sola fornicationis causa sequitur aliarum nuptiarum celebratio. Hic sensus, velis nolis, vnicuique advolat ad pectus.

XXII. In Calchedonensis Concilii actione III. certus quidam libellus admittitur, quem Sophronius contra Dioscorum obtulit, & de eo sic conqueritur. *Hic* (Dioscorus) *conjugem meam, nomine Theodotam, ex qua & filios suscepi, neque repudio consequente, neque tristi aliquo commisso, sed in communi connubio constitutam, desiderio iniquo captus raptam apud se habuit.* Sermonem instituit de repudio propter adulterium, quo tunc de more solvebatur Matrimonium. Quo vero spectet triste aliquod commissum, edoceri vellem. Sed vsque dum edocear, dicam quod in mentem mihi venit: adnotat vtrumque vel alterutrum e duobus flagitiis, veneficio vel homicidio, quæ Constantinus Imperator lege *Placet mulieri* adulterio conjunxit. Hæc ad annum CCCCLI.

XXIII. Theodoretus, qui eidem Calchedonensi Concilio interfuit, in libri V. de hæreticis fabulis capite XVI. *Sic rursus*, inquit, *lex antiqua damnat adulterium; Evangelica vero etiam turpem concupiscentiam per lascivum aspectum ingredientem, adulterium vocat: antiqua eum, qui vxorem odio habeat, dimit-*

tere illam jussit: nova autem adulterum appellat repudium citra fornicationem. Qui enim, inquit, vxorem dimittit, excepta fornicationis causa, mœchari eam facit.

Deinde in ejusdem libri capite XXVI. de Matrimonio: *Ipse autem Dominus non solum non prohibuit Matrimonium, sed & in nuptiis convivatus est, & vinum sine cultura productum nuptiis donum dedit. Legem porro Matrimonii adeo confirmavit, vt eum, qui excepta fornicationis causa Matrimonium solvere velit, alia lege inhibeat. Quicunque, inquit, vxorem suam dimittit, nisi ob fornicationem, facit eam mœchari.* Sic Matrimonium solvi potest ob fornicationem. Quo sane soluto, id est, dimissa propter fornicationem vxore, potest alia duci.

Denique in sermone IX. de legibus. *At naturæ opifex, quia humanam creans naturam, vnum principio virum & fœminam vnam formavit, etiam Matrimonium solvi vetat, vnicamque hujus dirimendi causam assignavit eam, quæ maritalem copulam vere divellit. Omnis enim qui dimittit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Quibus verbis cetera vxoris vitia ferri jubet, seu loquax sit illa, seu temulenta, seu convitiosa: sin vero nuptiarum leges transiliat, in alium procax intendat; tunc denique copulam solvi jubet.* Hæc ille Græcorum Patrum eruditissimus, & in Scripturis sacris exercitatissimus. Quin autem Theodoreti verba sint omni luce clariora, nemo nisi sit disputator litigiosissimus, dubitare merito potest.

XXIV. Sanctus Patricius, qui alter est Hibernorum Apostolus, hac ætate claruit, & secundam habuit Synodum, in qua decernit cap. XXVI. quæ sequuntur: *Item non licet viro dimittere vxorem, nisi ob causam fornicationis, ac si dicat ob hanc causam. Unde si ducat alteram velut post mortem prioris, non vetant.* Hæc ille, qui a Celestino Pontifice Romano consecratus in Hiberniam abiit Evangelium Christi annunciaturus. Quis vero cum ratione diceret, Patricium disciplinam doctrinæ Sedis Apostolicæ contrariam regioni huic importasse?

XXV. Concilium Veneticum, quod anno circiter CCCCLXV. coactum est, in canone II. *Eos quoque, qui relictis vxo-*

ribus suis, sicut in Evangelio dicitur, excepta causa fornicationis, sine adulterii probatione, alias duxerint, statuimus a communione statim arcendos. Cautionem justam adhibet, ne quis vir abutatur Evangelio, quod ait virum ob vxoris adulterium, posse eam dimittere. Igitur statuit Synodus, ne vir dimissa vxore prius aliam ducat, quam probaverit, id peccati genus ab vxore commissum esse. Nam fieri poterat, & fortassis factum jam erat, vt vir ob fictum vxoris adulterium, vxorem dimisisset, & aliam duxisset. Id collegimus ex relato canone, quia ex malis moribus bonas ortas esse leges, nemo nescit.

XXVI. Agathense Concilium, quod anno MDVI. celebratum est, Venetici Concilii viam insistit, & quosdam viros Evangelio abutentes corrigit can. XXV. *Hi vero sæculares, qui conjugale consortium culpa graviore dimittunt, vel etiam dimiserunt, & nullas causas dissidii probabiliter proponentes, propterea sua Matrimonia dimittunt, vt aut illicita, aut aliena præsumant: si antequam apud Episcopos comprovinciales discidii causas dixerint, & prius vxores quam judicio damnentur, abjecerint, a communione Ecclesiæ & sancto populi cœtu, pro eo quod fidem & conjugia maculant, excludantur.* Agathensis Concilii Patres vsum, quo viri dimissis propter adulterium vxoribus alias ducunt, retinent: sed abusum, quo viri, dimissis ob fictum adulterium vel ob alias causas vxoribus, ducebant alias, tollunt, & prævaricatores Ecclesiasticis pœnis coercent, & modum præterea, quo tollatur abusus, constituunt.

XXVII. Avitus Viennensis Episcopus, qui ad annum DXV. claruit, in epistola XLIX. ad Ansemundum: *Deinde ex duobus eligat, vtrum velit, si primus in puellam carne peccavit, adhuc exspectat quod prædicit Apostolus: Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: si autem corruptionem, quam non inchoaverat, gravavit augmento, quid excogitari turpius, quid horribilius potest, quam vt illum nec hoc prohiberet a meretrice, propter quod solum Deus separari virum permittit a conjuge?* Jacobus Sirmondus veteris istius monetæ spectator oculatissimus, postrema verba sic intelligit in suis ad ea notis. *Hinc patet persuasum adhuc illis temporibus in Gallia fuisse, propter for-*

nicationem separari virum ab uxore, & aliam ducere Christi permissu licuisse. Quod ex Concilio quoque Venetico can. II. *manifestum est: Eos qui relictis uxoribus suis*, &c. vt supra num. XXV.

XXVIII. Ferrandus Diaconus circa annum DXL. in Paraenetico ad Reginum Comitem num. XIX. *Et quia in lege non licet occidere, non licebit in Evangelio vel irasci. In lege namque adulterium vetabatur: in Evangelio etiam videre ad concupiscendum mulierem pars esse perpetrati adulterii judicatur. In lege libellus repudii sufficiebat ad conjuges separandos: in Evangelio sine fornicationis crimine nulla Matrimonii dividendi causa permittitur.* Hæc plana & aperta sunt.

XXIX. Justinianus Imperator ad idem tempus in novella CXVII. *Si de adulterio maritus putaverit posse suam uxorem convinci, oportet prius virum inscribere mulierem, aut etiam adulterum; & si hujusmodi accusatio verax esse ostenditur, tunc repudio misso habere virum super ante nuptias donationem & dotem*, & cetera, quæ in parte II. tractatus art. II. cap. II. referuntur.

XXX. Primasius Uticensis in Africa Episcopus ad annum DL. in caput VII. prioris ad Corinthios epistolæ: *Hic proprie loquitur ad conjugatos, ne dimitterent vxores, & alias ducerent aut pulcras, aut divites, sicut Iudæi faciebant. Uxorem a viro non discedere: Si quis dimiserit vxorem, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari; quod si discesserit, manere innuptam, non ita discedere vt alii nubat: si ob aliquam causam discesserit, alii non nubat.* Non dicit: Si quis adulteram vxorem dimiserit, aliam ne ducat. Hoc, inquam, vt de vxore dimissa propter adulterium, dicit, alii non nubat. In ea fuit sententia, vt quidam alii fuere, conditionem viri vxorem propter adulterium dimittentis, & vxoris propter adulterium dimissæ, parem non esse.

XXXI. Gregorius I. qui ad annum DC. floruit in libri IX. epistola XLIV. ad Hadrianum Notarium: *Agathosa latrix præsentium questa est, maritum suum contra voluntatem suam in monasterio Urbici Abbatis esse conversum, quæ quia ad ejusdem Abbatis culpam & invidiam non est dubium pertinere, experientiæ tuæ præcipimus, vt diligenti inquisitione discutiat, ne forte cum*

ejus voluntate conversus sit, vel ipsa a se mutare promiserit. Et si hoc repererit, & illum in monasterio permanere provideat, & hanc, sicut promisit, mutare compellat. Si vero nihil horum est, nec quoddam fornicationis crimen, propter quod viro licet relinquere vxorem, prædictam mulierem commisisse cognoveris, ne illius conversio vxori relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio: volumus, vt maritum suum illi, etiamsi tonsuratus sit, reddere omni debeas excusatione cessante. Quia etsi mundana lex præcipit, conversionis gratia vtrolibet invito posse solvi conjugium: divina hoc tamen lex fieri non permittit. Nam, excepta fornicationis causa, vir vxorem dimittere nulla ratione conceditur: quia postquam copulatione viri atque mulieris vnum corpus efficitur, non potest ex parte converti, & ex parte in sæculo remanere. Ex epistolæ contextu apparet facile Romanam Ecclesiam in ea esse sententia, vt putet maritum posse vxorem suam propter admissum fornicationis crimen dimittere, & aliam si velit ducere: id postea confirmabunt alii Pontifices.

XXXII. Isidorus Hispalensis Episcopus, qui ad annum DCXXX. illustravit Hispaniam, in libri II. de Officiis capite XIX. *Prohibet Dominus dimitti vxorem quacunque ex causa, ne alii conjungatur secundum consuetudinem Iudæorum, quam Dominus interdicit, dicens: Qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, & aliam duxerit, mœchatur. Solum, vt ait Hieronymus, adulterium, quod vxoris vincat affectum, imo cum illa vnam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione separaverit a marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura: Qui adulteram tenet, stultus & impius est. Ubicunque est igitur fornicatio & fornicationis suspicio, libere vxor dimittitur. Quid ergo si sterilis, si deformis, si ætate vetula, si fœtida si temulenta, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si fatua, si vaga, si jurgatrix, si maledica, tenenda est, velis nolis, & qualiscunque accepta & tenenda.* Hieronymi sententiam probando suam facit. Præterea, quid sibi velit ex comparatione Judæorum & Christianorum, facile intelligitur. Judæi quacunque ex causa dimittebant vxores, & alias ducebant, Christiani non item: non enim dimittunt vxores, & alias ducunt, nisi vxores adulterio se pol-

luerint; & si alia de causa dimissis vxoribus ducunt alias, mœchantur. Hæc videtur Isidori sententia.

XXXIII. Eligius Noviomensis Episcopus ad annum DCLV. quæstionem hanc sic paucis absolvit: *Nec quisquam legitimam vxorem suam quacunque ex causa dimittere ausus sit, cum Dominus ipse dicat: Quicunque dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, eum facere illam mœchari.* Tunc ob tale crimen non dimittebatur vxor, nisi vt alia duceretur. Id notat Audoenus Rotomagensis Episcopus in libri II. de vita sancti Eligii capite XVI.

XXXIV. Toletanum Concilium XII. quod anno DCLXXXI. celebratum est, in canone VIII. *Præceptum*, inquit, *Domini est, vt excepta causa fornicationis vxor a viro dimitti non debeat; & ideo quicunque citra culpam criminis prædicti vxorem suam quacunque occasione reliquerit, quia quod Deus conjunxit, ille separare disposuit, tandiu ab Ecclesiastica communione, & a cœtu omnium Christianorum maneat alienus, quandiu, & ad societatem relictæ conjugis redeat, & partem sui corporis honesta lege conjugii sinceriter amplectatur & foveat. Ita tamen, vt qui jam admoniti a Sacerdote semel bis tertiò vt corrigerentur, ad torum suæ conjugis noluerint redire, & a palatinæ dignitatis efficio ipsi se separabunt, & insuper generosæ dignitatis testimonium, quandiu in culpa fuerint, amissuri sunt.* Sic castigabantur in Hispania, qui in vxoribus fingebant crimen adulterii, & lege Christi abutebantur, qua dimissa propter verum, non fictum adulterium vxore, aliam ducere licebat.

XXXV. Theodorus Cantuariensis Episcopus, qui ad annum DCLXXX. enituit, hæc habet inter suos canones: *Vt nulli liceat, nisi legitimum habere connubium, nullus incestum faciat, nullus conjugem propriam, nisi, vt sanctum Evangelium docet, fornicationis causa, relinquat. Quod si quisquam propriam expulerit conjugem legitimo sibi Matrimonio conjunctam, si Christianus esse recte voluerit, nulli alteri copuletur: sed ita permaneat, aut priori reconcilietur conjugi.* nempe si vxorem dimittat extra fornicationis causam. Id ita edixisse Theodorum Beda scribit duobus in locis. Primus est in libri quem de Theodori vita composuit capite V. Alter est in

libri

libri IV. Historiæ Anglorum capite V.

XXXVI. Venerabilis Beda, qui ad annum DCC. splenduit in Anglia, lib. II. in caput X. Marci, ad illud, *Quicunque dimiserit*, &c. *Una ergo solummodo causa est carnalis fornicatio, vna spiritalis timor Dei, vt vxor dimittatur, sicut multi religionis causa fecisse leguntur. Nulla autem causa est Dei lege præscripta, vt vivente ea quæ relicta erat, alia ducatur.* Fornicationis exceptionem, quæ a Marco non ponitur, ex Matthæo supplet. In postremis verbis libertas statuitur, vt vivente ea quæ relicta erat, alia ducatur, vel non ducatur. Deinde in expositione prioris ad Corinthios epistolæ, cap. VII. *His qui sunt in conjugio, præcipit per Apostolum Dominus, vxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Potest enim fieri vt discedat ea causa, qua Dominus permisit, aut si feminæ licet virum etiam dimittere præter causam fornicationis, & non licet viro, quid respondebimus? De hoc quod dicit posterius, & vir vxorem ne dimittat: quare non addidit, excepta causa fornicationis, quod & Dominus permittit, nisi quia similem formam vult intelligi, vt si dimiserit, quod causa fornicationis permittitur, maneat sine vxore?* Et paullo post: *Si Dominus dimittendæ conjugis solam causam fornicationis admittit, & paganum conjugium dimitti prohibet, consequens est vt paganismus fornicationi non deputetur: solam autem fornicationis causam exceptam facere Dominum, cum de dimittenda conjuge loquitur, in Evangelio manifestum est.*

XXXVII. Gregorius II. qui ad annum DCCXXVI. Sedi præsidebat Apostolicæ, quæstionem simpliciter decidit in ea ad Bonifacium Moguntinum Episcopum epistola, qua variis illius interrogationibus respondet. Responsio II. est hujusmodi: *Nam quod proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? bonum esset, si sic permaneret, vt abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, & non culpa detestabilis excludit.* Hic primo Matrimonium solvitur propter illam infirmitatem, quæ impedit, quominus vxor viro suo debitum possit reddere; tunc vir poterit aliam

ducere. Deinde Matrimonium solvitur propter adulterium, quod culpam detestabilem appellat; sed diligenter observandum est, quomodo Pontifex responsiones suas præmuniat in exordio epistolæ. *In iisdem*, inquit, *literis quædam subnexuisti capitula, sciscitando qualiter teneat vel doceat hæc Apostolica Romana Ecclesia. Bene satis, quia beatus Petrus Apostolus & Apostolatus & Episcopatus principium extitit, & consulenti tibi de statu Ecclesiæ, non ex nobis quasi ex nobis, sed ejus gratia, qui aperit os mutorum, & linguas infantium facit disertas, qualiter tenere debeas Apostolici vigoris doctrinam, dicimus.* Hoc autem ita posito dubitari non potest, quin quæ respondet Gregorius, hæc Apostolici vigoris & Romanæ Ecclesiæ doctrinam præ se ferat.

XXXVIII. Vetus Pœnitentiale Romanum, quod Antonius Augustinus edidit, vbi vxori adulteræ sic agenda pœnitentia præscribitur: *Contigit tibi vt vxor tua te conscio & hortante cum alio viro, illa autem nolente adulterium perpetraret, si fecisti, quadraginta dies in pane & aqua pœniteas, & septem annos, vnum ex his in pane & aqua, & nunquam sis sine pœnitentia: si autem vxor tua hoc probare potuerit, quod tua culpa & tuo jussu, se renuente & luctante adulterata sit, si se continere non potest, nubat cui voluerit, tantum in Domino. Tu autem sine vxoria spe in perpetuum maneas: illa, si consentiens fuerat, eadem jejunet quæ tibi proposita sunt, & sine spe conjugii maneat.* Hic de viro, qui dimissa propter adulterium vxore, aliam ducit, nihil statuitur: nullus præscribitur agendæ pœnitentiæ modus, quid ita? Sentiant alii quæ voluerint: videtur mihi vir ille extra culpam esse, quia quæsito sibi per Matthæi Evangelium jure vtitur. Porro autem vetus Pœnitentiale Romanum hujus, & posteriorum ætatum liber est, qui & auctoribus æquipollet quamplurimis.

XXXIX. Vermeriense Concilium, quod anno DCCLII. habitum est, in canone II. *Si quis cum filiastra sua manet, nec matrem, nec filiam ipsius potest habere, nec ille, nec illa aliis se poterunt conjungere vllo vnquam tempore: attamen vxor ejus, si ita voluerit, si se continere non potest, si posteaquam cognovit, quod cum filia sua vir ejus fuit in adulterio, carnale commercium*

cum eo non habet, nisi voluntate abstinet, potest alii nubere.

XL. Forojuliense Concilium, quod anno DCCXCI. factum est, Evangelii verba sic aliter interpretatur, in cap. X. *Item placuit ut resoluto fornicationis causa jugali vinculo, non liceat viro quandiu adultera vivit, aliam uxorem ducere, licet sit illa adultera; sed nec adulteræ, quæ pœnas gravissimas vel pœnitentiæ tormentum luere debet, alium accipere virum, nec vivente, nec mortuo, quem non erubuit defraudare, marito. Nam etsi legatur in sacris Evangelicis paginis sola fornicationis causa dixisse Dominum dimittere virum uxorem suam; non tamen legitur concessisse aliam vivente illa in conjugio sibi sociare: prohibuisse quidem modis omnibus non ambigitur. Ait enim: Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur: quæ ita definire prospeximus, ut juxta ejusdem Domini mellifluam vocem, nemo hæc interdicta violator inculcare præsumat. Sed quoniam in medio ambiguus interponitur sermo, id est, nisi ob fornicationem, quæri nimirum potest, utrum ad solam licentiam dimittendi uxorem, qui dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, an etiam ad utrumque dictum refertur? hoc est ad aliam vivente illa accipiendam, quasi dixerit: Qui dimiserit uxorem suam, & aliam, nisi ob fornicationem, duxerit, mœchatur; & idcirco peritissimi viri beati Hieronymi libellum commentariorum recenseri nobis studiose mandavimus, anxie utique cognoscere festinantes, qualiter idem famosissimus Doctor hæc sacrata Dominica verba juxta capacioris ingenii sui subtilitatem sensisse monstraretur. Cujus nimirum sensum sagaciter explorantes, in promptu nihilominus patuit, ad solam dimittendi uxorem licentiam pertinere. Nam cum more suo vir sanctus hujus capituli summatim seriem exponendam transcurreret, inter cetera & post pauca sic ait. Et quia poterat, inquit, sic accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem jubetur dimittere uxorem, ut secundam prima vivente non habeat. Non enim debet imitari malum adulteræ uxoris; & si illa duo, imo unam carnem per scissuras fornicationum divisit in tres, dividet in quatuor. Unde patenter debet intelligi, quandiu vivit adultera, non licet viro, nec potest impune secundas contrahere nuptias.*

1. Periodus prima capitis hujus videtur secum pugnare;

Nam si resolutum sit propter fornicationem jugale vinculum, nihil obstat, quominus vir dimissa ob fornicationem vxore, aliam ducat: non obstat adulterii committendi periculum, quia resolutum est prius jugale vinculum.

II. Si quæ suo loco ad Hieronymi loca quatuor annotavimus, Forojuliense annotasset Concilium, fortassis aliter sensisset ac sensit.

III. Si vir qui vxorem adulterii convictam dimisit, continere se non possit, quid faciet? Revocabit, inquiet, vxorem adulteram, etiamsi adulterium fini Matrimonii directe opponatur. Itane tantum pietatis, tantum justitiæ?

IV. Si mulier viris addicta pluribus liberos (quod tamen raro accidit) procreat, cujus erunt? an viri legitimi? an eorum qui adulteri esse non desierunt? an etiam eorum qui novi adulteri esse cœperunt? Item cujus heredes? Vide ac circumspice quanta in confusione & perturbatione Christiana versaretur respublica, si huic credatur Concilio, jubente cum primis Domino, quod dictu nefas esset.

V. Vir de mala fortuna se contristaret, & vxor adultera, cui pœnæ nihil imponitur, de bona gauderet. Quis hic æqualitatem inveniet?

VI. Ab hoc disciplinæ genere Romana Ecclesia per Gregorium II. & per suum vetus Pœnitentiale plurimum recedit. Historiam narro, nec præjudicare quidquam aut cuiquam volo. Non memini tamen legere me fuisse multos, qui tunc Concilii hujus placitum amplexi sint; fuisse vero, qui contra senserint, mihi pro comperto est.

XLI. Ad istud tempus spectare possunt formulæ veteres tunc irreprehensæ, in quibus propter alias causas, quam propter adulterium, libellus repudii datur. Nam si propter alias causas quam propter adulterium dabatur libellus ille, multo magis propter adulterium, cujus in Evangelio fit mentio, daretur. Marculfus Monachus in libello II. formularum, cap. XXX. hanc de libello repudii formulam præscribit: *Dum & inter illum & conjugem suam illam non caritas secundum Deum, sed discordia regnat, & ob hoc pariter conversare minime possunt: placuit vtriusque voluntatibus, vt se a consortio*

separare deberent : quod ita & fecerunt, & cetera, quæ supra relata in secunda parte tractatus art. II. cap. II.

Deinde inter veteres formulas, quæ secundum legem Romanam dicuntur, cap. XIX. vbi libellus hic repudii refertur. *Certis rebus & probatis causis inter maritum & vxorem repudiandi locus patet : idcirco quia inter illum & conjugem suam illam non caritas secundum Deum, sed discordia regnat, & illorum nulla est voluntas pariter conversandi ; placuit vtriusque voluntatibus, vt se a consortio conjugali separare deberent : quod ita & fecerunt*, &c.

XLII. Carolus Magnus, qui anno DCCC. Occidentis Imperator renuntiatus est, in libro V. Capitularium num. XIX. *Si quis homo*, inquit, *habens mulierem legitimam, si frater ejus adulteraverit cum ea, ille frater, vel illa femina, qui adulterium perpetrarunt, interim quod vivunt, nunquam amplius habeant conjugium ; ille vero, cujus vxor fuit, si vult, potestatem habet vxorem accipere aliam.*

XLIII. Adalardus Corbeiensis Abbas, qui Carolo Magno Imperatore claruit, & ei supervixit, suam ita dicit sententiam apud eum, qui illius res gestas memoriæ prodidit. *Unde factum est*, inquit, *cum idem Imperator Carolus Desideratam Desiderii Italorum Regis filiam repudiaret, quam sibi dudum etiam quorundam Francorum juramentis petierat in conjugium, vt nullo negotio beatus senex persuaderi posset, dum adhuc esset tiro palatii, vt ei quam vivente illa Rex acceperat, aliquo communicaret servitutis officio ; sed culpabat modis omnibus tale connubium, & gemebat puer beatæ indolis, quod & nonnulli Francorum eo essent perjuri, atque Rex illicito vteretur toro, propria sine aliquo crimine repulsa vxore.* Sic Adalardus & scriptor vitæ illius sibi sumunt, illicitum non fuisse torum, cujus mentionem faciunt, si propria vxor ob crimen fuisset dimissa.

XLIV. Romana Synodus, quam Eugenius II. habuit anno DCCCXXVI. in capite XXXVI. *Nulli liceat, excepta causa fornicationis, adhibitam vxorem relinquere, & aliam copulare ; alioqui transgressorem priori convenit sociari conjugio*, id est, si ob aliam causam vxorem repudiet.

XLV. Paschasius Radbertus Corbeiensis Abbas, qui ad

annum DCCCXL. floruit, libro IX. in Matthæum: *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi causa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur. Ecce de tam læta occasione, qua Iudæi male abutebantur in repudiandis conjugibus, quam brevis & absoluta Domini sententia est, qua sola fornicatio esse dicitur, quæ uxoris vincat affectum, quoniam & ipsa est quæ carnem prius dividit in duas.* Et paullo post: *Sic demum de divortio disputandum, quia non omne conjugium a Deo est, neque per Deum; alioqui quomodo Apostolus diceret: Infidelis si discedit, discedat: in quo nimirum ostendit non omne conjugium a Deo esse quod solvendum est: quapropter etsi adulteratur uxor aut vir, non est conjunctio Dei, cum quibus Dei lex non est, neque lex naturæ servatur. Quicunque ergo seu quæcunque contra Dei mandatum, mœchus est, jam ipse se a suo corpore separavit, & ab ea gratia, quæ est in legitimo Matrimonio; maxime quia se tulit membrum Christi, & factus est membrum meretricis, cum qua meretricatus est. Id ergo non æstimo leve esse, si meretrix retineatur, & alutatur se male duabus in partibus, cum jam quæ adultera est, nulli esse videtur legitima uxor. Unde sicut crudelis est & iniquus, qui castam dimittit qualibet ex causa uxorem, sic fatuus & injustus, qui retinet meretricem aut flagitiosam. Videtur namque patronus turpitudinis ejus esse, qui crimen celat & consentit uxori. Sicut e contrario præmium possidet nuptiarum e duabus, cum unam faceret castitas carnem.* Infra: *Verumtamen quia jam aliam vivente illa, quæ adultera est, non licet accipere, sicut nec viro alii nubere, si fuerit prior adulter & reprobatus ab ea:* Infra: *Quanquam enim licite dimittatur uxor ob causam fornicationis, seu a viro discedente uxore, manet tamen vinculum prioris conjugii, propter quod sit reus adulterii, qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis, aut vir dimissus, si aliam duxerit.* Radbertus hæc & alia scribit usus Augustini libro 1. de nuptiis & concupiscentia: qua de re rursus postea in Ivone Carnotensi. Porro a duabus Romanis Synodis, quæ illius celebratæ sunt tempore, dissentit.

XLVI. Christianus Drutmarus sua in Matthæum expositione cap. XI. *Ego autem dico vobis, quod omnis qui dimiserit uxo-*

rem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulteratur. Simplex Domini præceptum est, quod si & propter fornicationem dimiserit, nec ille debet aliam habere, quoadusque illa vivit, nec illa alium: si autem legaliter occiderit eam in judicio, tunc poterit alteram habere.

XLVII. Romana Synodus, quam Leo IV. anno DCCCLIII. habuit, in capite XXVI. *Nulli liceat, excepta causa fornicationis, adhibitam uxorem relinquere, & deinde aliam copulare; alioqui transgressorem convenit priori sociari conjugio.*

Luitprandus in vita Leonis IV. hoc ipsum tradit ab eo statutum num. XXXVI. *Ut nulli liceat, excepta causa fornicationis, uxorem relinquere, & aliam sibi copulare; alioqui convenit transgressorem priori sociari conjugio.* Sic anni sunt octingenti quinquaginta plus minus, quod de soluto ob adulterium Matrimonio, Romana ita sentiebat Ecclesia.

Utraque Synodus extat in Romana collectione bipartita, quam Franciscus Cardinalis Barberinus anno MDCLXII. Romæ edi curavit, approbante sacri palatii Magistro, & Alexandro VII. nuncupavit. In nuncupatione de contentis in hac collectione Synodis ita censet: *Concilia vetera novem cum duabus & quinquaginta epistolis Pontificum priscorum, aliquot item literis & constitutionibus Imperatorum, aliaque nonnulla Ecclesiasticæ antiquitatis monumenta pretiosa, quæ omnia Lucas Holstenius partim e Vaticana, cui custos erat appositus, partim ex aliis Bibliothecis aut archiis studiose collecta producere, dum viveret, in lucem jussu tuo, beatissime Pater, ac sumptu cœperat: ea ego adjectis, quæ deerant, integre excusa, ac quoad licuit e schedis editoris posthumis emendata & ornata offero ecce sanctitati tuæ, non uno ad id nomine adstrictus.* Et post alia: *Eruditorum qui hæc viderunt, concors opinio est, multa in hac collectione reperiri, quæ orthodoxum dogma sanciant, quæ jura vetera Sedis Apostolicæ illustrent.* Et post alia: *Fortunet utinam factum cæleste numen, & quem speravimus fructum vel eruditionis vel exempli salutaris, tum orthodoxi, tum errantes ex hisce percipiant.*

XLVIII. Isaacius Lingonensis Episcopus, in canone V. tit. III. de adulteris cap. I. *Si quis homo habens mulierem legiti-*

mam, si frater ejus adulteraverit cum ea, ille frater vel illa femina, qui adulterium perpetraverunt, interim quod vivunt, nunquam habeant amplius conjugium: ille vero, cujus uxor fuit, si vult, potestatem habet uxorem accipere aliam. Hoc caput ex Capitularibus Caroli Magni desumptum probando suum fecit.

XLIX. Nicolaus Papa I. in responsione ad consulta Bulgarorum, cap. XCVI. *Quidquid mulier tua contra te cogitaverit, aut fecerit, vel si te accusaverit, non est, excepta causa fornicationis, rejicienda.* Ad mentem Romanarum Synodorum, quarum canones mox relati sunt, ni fallor, respondet anno DCCCLXVI. cur enim aliter responderet?

L. Hincmarus Remensis, Nicolao æqualis, in opusc. XXXVII. num. IV. *Hujus proculdubio sacramenti* (Matrimonii) *res est, ut mas & femina connubio copulati, quandiu vivunt, inseparabiliter conjuncti perseverent, nec liceat excepta causa fornicationis a conjuge conjugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo & in Ecclesia, ut vivens cum vivente in æternum nullo negotio separetur in civitate Dei nostri & in monte sancto ejus.*

Deinde in libro de divortio Lotharii & Tetbergæ, interrogatione XXI. *Fit & interdum causa non contemnenda interveniente, quod erat illicitum, licitum, cum legaliter initum conjugium dissolvi permittitur causa infidelitatis. Unde Paulus dicit: Si quis frater, & post, vel cum causa fornicationis uxor relinquitur, de qua ibidem Paulus dicit: De his autem, qui Matrimonio juncti sunt*, &c. *Quod æqua lance pensatur, ut si dimiserit, in cælibatu permaneat. quæ disjunctio inter fideles post initum conjugium fieri non potest, nisi causa fornicationis & amore continentiæ.* Et post alia: *Hujus proculdubio sacramenti res est, ut mas & femina connubio copulati, quandiu vivunt, inseparabiliter perseverent, nec liceat excepta causa fornicationis a conjuge conjugem dirimi.* Hæc lumen ferunt secum, nec aliunde proculdubio requirunt.

LI. Joannes VIII. qui ab anno DCCCLXXIII. usque ad annum DCCCLXXXII. Romanam gubernavit Ecclesiam, in epistola LXV. ad Ederedum gentis Anglorum Archiepiscopum: *His autem quos asseris uxores proprias contra præceptum Domini*

Domini relinquere, præcipimus neque virum ab uxore, neque uxorem a viro, nisi causa fornicationis, discedere: quod si ob aliud discesserit, manere innuptum vel innuptam, aut sibi mutuo reconciliari, quoniam dicente Domino: Quod Deus conjunxit, homo non separet; & ideo cum priorem legitimo sibi Matrimonio junctam quisquam deserere nequeat, illi conceditur aliam vivente priore conducere. Quid clarius vel expressius?

LII. Nannetense Concilium, quod circa annum DCCCC. celebratum est, in canone XII. *Si cujus uxor adulterium perpetravit, & hoc a viro deprehensum fuerit & publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem; illa vero septem annis publice pœniteat: vir vero ejus illa vivente nullatenus accipiat aliam uxorem. Quod si voluerit adulteram sibi reconciliari, licentiam habeat: ita tamen ut pariter cum illa pœnitentiam agat, & exacta pœnitentia post septem annos ad communionem uterque accedat.* Si vir adulterio, quod commisit uxor, consenserit, facile capio, cur vir & uxor eandem agere pœnitentiam debeant. Si vero vir, ut appatet, in causa non fuit, cur uxor adulterium perpetraverit, non omnino capio, qua lege, quo jure, & qua æquitate vir & uxor innocens & nocens ad eandem agendam pœnitentiam adstringantur. Ut missum interim faciam repudium, quod viro tunc juxta Romanæ Ecclesiæ disciplinam licuit: quare ex his duobus capitibus insignite minuitur canonis hujus auctoritas.

LIII. Theophylactus Achridæ Archiepiscopus, qui ad annum MLX. eminuit, in Matthæi caput V. *Dare autem jubet dimissæ libellum absolutorium, quem vocant repudiarium, ita ut jam non ad ipsum accedat, & ex hoc fiat confusio, viro alteri cohabitante. Ego autem dico vobis, quod quisque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, mœchatur. Non solvit Mosaica lege, sed corrigit, exterrens virum, ut ne absque causa odio habeat uxorem. Nam si justa de causa dimiserit eam, nempe fornicantem, nulli condemnationi est obnoxium: quod si absque fornicationis causa, condemnandus est, cogit eam mœchari; sed qui etiam accipit eam, mœchus est. Nisi enim accepisset, rediisset utique, & subdita fuisset viro.* Deinde in caput XIX. *Ego autem dico vobis, inquit, quod bo-*

num est uxorem, quæ fornicata est, ejicere tanquam adulteram. Si quis autem ejecerit aliquam, quæ non est fornicata, auctor fuit illi adulterii.

LIV. OEcumenius Theophylacto proxime subjicitur, etiamsi qua ætate vixerit, incertum sit. Sic ergo scribit in caput VII. prioris ad Corinthios epistolæ, ad illud: *Uxor a viro non separetur. Quoniam legem manifeste a Domino positam dicturus est, propterea ait: Non ego, sed Dominus: quæ autem lex, ne fiat divisio, nisi in causa stupri.* Et paullo post: *Melius, inquit, est vt non separetur: quod si etiam separata fuerit, maneat habens virum, etsi non commixtione, tamen affectu: sic vt non adducat sibi alium virum. Uxor non dimittit, nisi quispiam accesserit in causa stupri; nam hæc Christi lex est.* Si quid autem in Theophylacto & OEcumenio difficultatis subesset, facile dilueretur ex disciplina, quæ hac in re inter Græcos servata est. Theodorus Balsamon, Joannes Zonaras, & Matthæus Blastares suppetias venirent.

LV. Turonense Concilium, quod anno MLX. Stephanus Cardinalis Presbyter & Nicolai II. Legatus habuit, in capite IX. *Qui suam vxorem sine Episcopali judicio dimittens, aliam duxit vel duxerit, donec se fructuosæ tradat pœnitentiæ, a corpore & sanguine Domini nostri* JESV CHRISTI, *& a liminibus Ecclesiæ sit exclusus & alienus.* Concilium eos, qui Christi verbis abutebantur, corrigit, scilicet vt non ante viri vxores suas propter adulterium ejiciant, & alias ducant, quam Episcopali judicio comprobatum fuerit adulterium.

LVI. Gregorius VII. qui anno MLXXIII. cœpit Apostolicæ Sedi præsidere, in libri V. epistola XLVIII. ad Hubertum Genuensem Episcopum: *Scriptum est quippe de conjugali vinculo: Quod Deus conjunxit homo non separet; & veritas omnino prohibet, ne vir vxorem suam, nisi forte causa fornicationis, relinquat.* Exceptionem ita proponit, vt inde significet maritum tunc aliam posse vxorem ducere. Pontifex, opinor, non ignorabat, quid Stephanus Nicolaii II. Legatus in Turonensi Concilio ante paucos annos statuerat.

LVII. Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus, qui ad annum MLXXX. fulgebat in Anglia, epistola X. ad Thomam

Eboracenſem Epiſcopum. *De his autem, qui vxores deſponſatas cauſa fornicationis relinquere, aliaſque ſibi conjungere volunt, (Hoc enim veſtra prudentia a me requiſivit) Dominus* JESVS CHRISTVS *quid ſentiendum ſit, in Evangelio ſecundum Marcum aperiſſime dicit: Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam; & ſi vxor dimiſerit virum ſuum, & alium duxerit, mœchatur. Item ſecundum Lucam: Omnis qui dimittit vxorem ſuam, & ducit alteram, mœchatur. Sunt etiam de hac re plurimæ ſanctorum Patrum auctoritates; ſed vbi ſol lucet, candelabrum ad proferendum lumen proferri minime oportet. In his verbis Dominicis luce clarius liquet, quia vivente viro vel vxore extraneam copulam quærere, nulli eorum licet.* Cur Lanfrancus quæſtionem per Marcum & Lucam ſolverit, nulla facta mentione Matthæi, a quo ponitur exceptio, vix aſſequi poſſum. Si hæc quæ retulimus, intelligantur, habito reſpectu ad id quod in prioris ad Corinthios epiſtolæ caput VIII. ita ſcribit: *Quod ſi diſceſſerit, diſcedere non poteſt, excepta cauſa fornicationis;* difficultatem patientur nullam. Sed ſi habito reſpectu nullo ad iſtud ſcripſit, difficultatem patientur maximam, quæ in eo conſiſtit, vt dicatur obreptum Lanfranco fuiſſe. Nam hic tacetur, quod apud Matthæum ſemel atque iterum exprimitur: ſemel in capite V. iterum in cap. XIX. Si poſterius hoc priori anteponitur, Lanfranci teſtimonium caducum & infirmum eſt; ſi vero prius poſteriori anteponitur, Lanfranci teſtimonium conſervandæ traditioni poterit inſervire.

LVIII. Anſelmus Lanfranci ſucceſſor, vel, vt alii volunt, Herveus Dolenſis Monachus, in caput V. Matthæi: *Hic autem præcipit non dimittere vxorem, niſi tantum excepta cauſa fornicationis: ſi enim ruperit legem conjugii, poteſt eam homo a ſe ſeparare, vt commixtionem illam auferat ſibi quam violavit; ſed tamen ſacramentum conjugii remanet, vt non aliam ducat.* Deinde in caput XIX. *Poſtquam mulier quæ eſt juncta viro, & vna in carnali copula, in aliam carnem illam vnitatem tranſmiſerit, & fornicatione illam diviſerit, non amittit quidem vinculum conjugii, ſed meretur non amplius carnaliter cum viro ſuo copulari, qui contra copulationem peccavit: & quia vinculum conjugii remanet,*

Qqq y

ideo addit : Et qui dimissam duxerit, mœchatur. Auctoris seu Anselmi, qui ad annum MC. claruit, seu Hervei, qui ad annum MCXV. vixit, mens est perspicua ; sed quam secum importat difficultatem, hæc diluenda fuit : nempe quid vir faciet, si se continere non possit. Deinde cum ait vxorem adulteram mereri, vt non amplius cum viro suo copuletur : quid inde mali vel pœnæ infertur vxori adulteræ, quæ perseverabit in adulterio, & aliis faciet copiam sui? Efficiendum fuit, vt difficultas hæc legislatoris sapientiæ non obesset.

LIX. Ivo Carnotensis Episcopus, qui circa idem tempus eluxit, in epistola CXXV. ad Daimbertum Senonensem Archiepiscopum : *De Hierosolymitanis ; quorum vxores fornicatæ sunt, bene mihi videtur sentire sanctitas vestra, quia secundum Evangelicam & Apostolicam doctrinam oportet eos, aut ad proprias vxores redire, aut eis viventibus sine vlla carnis commixtione manere; alioquin ii qui nunc adulteras mulieres abhorrent, adulteri reputabuntur, & adulterorum pœna apud Deum judicabuntur, secundum illud Apostoli : Fornicatores & adulteros judicabit Deus. Unde Augustinus in libro de decem chordis : Non adulterabis, id est, non ibis ad alienam aliquam preter vxorem tuam.* Item in libro de nuptiis & concupiscentia : *Usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, vt potius sint inter se conjuges etiam separati, quam cum his, quibus aliis adhæserunt.* Et paullo post : *Manet inter viventes quoddam conjugale, quod nec separatio, nec cum alio copulatio possit auferre. Inde etiam Hieronymus ad Oceanum : Præcepit Dominus vxorem non debere dimitti, excepta causa fornicationis, & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat ad feminas. Neque enim adultera vxor dimittenda est, & vir mœchus retinendus. His & aliis ejusmodi auctoritatibus freti, si quando apud nos causa fornicationis tale divortium contigerit, censura Ecclesiastica cogimus separatos vel sibi reconciliari, vel sine spe manere conjugii.*

1. Locus e libro de decem chordis ad institutum minime pertinet. Augustini verba sunt : *Dicitur : Fili, non mœchaberis, id est, non ibis ad aliquam aliam præter vxorem tuam.* Hæc quæstionem quid attinent?

11. Locus e libri 1. de nuptiis & concupiſcentia capite x. ſic ſe habet: *Quoniam ſane non tantum fœcunditas, cujus fructus in prole eſt, nec tantum pudicitia, cujus vinculum eſt fides; verumetiam quoddam ſacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis. Unde dicit Apoſtolus: Viri, diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam. Hujus proculdubio ſacramenti res eſt, vt mas & femina connubio copulati, quandiu vivunt, inſeparabiliter perſeverent, nec liceat excepta cauſa fornicationis a conjuge conjugem dirimi. Hoc enim cuſtoditur in Chriſto & Eccleſia, vt vivens cum vivente in æternum nullo negotio ſeparetur. Cujus ſacramenti tanta obſervatio eſt in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus, hoc eſt, in Eccleſia Chriſti, quibuſque fidelibus conjugatis, qui ſine dubio membra ſunt Chriſti, vt cum filiorum procreandorum cauſa vel nubant feminæ, vel ducantur uxores, nec ſterilem conjugem fas ſit relinquere, vt alia fœcunda ducatur: quod ſi quiſquam fecerit, non lege hujus ſæculi, vbi interveniente repudio ſine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia. Quod etiam ſanctum Moyſen Dominus propter duritiam cordis illorum Iſraelitis permiſiſſe teſtatur; ſed lege Evangelii reus eſt adulterii, ſicut etiam illa, ſi alteri nupſerit. Uſque adeo manent inter viventes ſemel inita jura nuptiarum, vt potius ſint inter ſe conjuges, qui ab alterutro ſeparati ſunt, quam cum his, quibus aliis adhæſerunt. Cum aliis quippe adulteri non eſſent, niſi ad alterutrum conjuges permanerent. Denique mortuo viro cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium poteſt cum quo prius adulterium fuit: ita inter viventes manet quoddam vinculum conjugale, quod nec ſeparatio, nec cum altero copulatio poſſit auferre.* At ſi Ivo teſtimonium hoc integrum, & cetera, quæ ſuo loco ſupra deſcripſimus, perlegiſſet, fortaſſis id non ſenſiſſet quod ſenſit, nec id feciſſet quod fecit. Ivonis conſilio tunc obſtitiſſent verba hæc: *Nec liceat excepta cauſa fornicationis a conjuge conjugem dirimi.*

Hic operæpretium eſt animadvertere Hieroſolymitanorum nomine Orientales intelligi, apud quos tunc propter fornicationem ſolvebatur Matrimonium, vt æqualis Ivoni Joannes Zonaras teſtatur. Sic Ivo & luculentum & pro ſe & pro Orientalibus teſtimonium præbet.

LX. Zacharias Chrysopolitanus Episcopus in libri III. in vnum ex quatuor capite XCX. ad illa verba: *Dico autem, quia quicunque dimiserit vxorem*, &c. *Ex hoc loco nonnulli æstimant, quod qui vxorem fornicariam dimiserit, illa vivente aliam legitime ducere possit. Si quis vero non ob fornicationem, sed propter aliud dimiserit vxorem, facit quod non licet; & si duxerit aliam vivente illa, constat quia mœchus est: quacunque autem ex causa dimissam quicunque duxerit, reatum adulterii incurrit. Etenim si vir repudiavit eam, non tamen ob fornicationem, manet ex vtraque parte conjugium; si fit ei violentia, fit repudium. Si vero vxor repudiata fuit, quia vnam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione a marito separaverit; culpa sua, vt autumant, a vinculo conjugii solvit, sed ipsa manet obligata. Hinc Ambrosius in primam epistolam ad Corinthios: Hoc vult Apostolus, vt si mulier discedat propter malam conversationem viri, aut innupta maneat, aut viro suo reconcilietur. Non enim permittitur mulieri vt nubat: si virum suum causa fornicationis dimiserit aut apostasiæ, aut si impellente lascivia vsum quærat vxoris invertere, quia inferior non hac lege omnino vtitur, qua potior: si tamen apostatet vir, aut vsum quærat vxoris invertere; nec alii potest nubere mulier, nec reverti ad illum. Et vir vxorem non dimittat, subauditur, excepta causa fornicationis; ideo non subjecit, sicut de muliere dicens: Quod si discesserit, manere*, &c. Hæc ille, qui Ivonis æqualis fuit, & ab Ivone in tantum dissentit, in quantum dissentire potest.

LXI. Rupertus Tuitiensis Abbas, Ivonis & Zachariæ æqualis, idem cum Zacharia censet: sic enim scribit libro V. in Matthæum: *Una dumtaxat causa est, propter quam dimittere liceat* (vxorem) *etiam invitam, & tecum habitare consentientem, scilicet fornicatio: sola enim causa ista te liberat, vt non judiceris fecisse illam mœchari, cum alius eam duxerit, quia prius illa mœchata est, quam tu illam dimiseris. Lex quoque vbi dixit antiquis dare libellum repudii, non omnino de isto judicio tacuit: quod scilicet & qui dimisit & qui duxit, vterque adulterii reus est. Quid ergo amplius hic dixit, quam dictum est antiquis; videlicet quod in Evangelio causa ista non recipienda sit, vt vxorem suam propter odium dimittat quis, nec aliam prorsus*

ob causam hoc licitum sit, nisi ob illam quam dixit causam fornicationis, quæ sola cum intercideerit, reatu mœchiæ non involvitur is qui dimisit. Hæc sunt perspicua.

LXII. Magister sententiarum, qui ad annum MCL. claruit, in quartum dist. XXXI. *Separatio autem gemina est, corporalis scilicet & sacramentalis. Corporaliter possunt separari causa fornicationis, vel ex communi consensu causa religionis, sive ad tempus, sive usque in finem. Sacramentaliter vero separari non possunt, dum vivunt, si legitimæ personæ sint. Manet enim vinculum conjugale inter eos, etiamsi aliis a se discedentes adhæserint. Unde Augustinus: Usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges etiam separati, quam cum aliis quibus adhæserunt*, & reliqua quæ habet Ivo Carnotensis.

LXIII. Alexander III. qui ad annum MCLXX. claruit, in appendice Lateranensis Concilii, part. V. de conjugatis & sponsis monasterium ingressis, cap. VIII. *Sane quod Dominus ait in Evangelio: Non licet viro uxorem suam nisi causa fornicationis dimittere; intelligendum est secundum interpretationem sacri eloquii, de his, quorum Matrimonium est carnali copula consummatum, sine qua consummari non potest; & ideo si prædicta non fuerit a viro suo cognita, licitum est ei ad religionem transire.* Deinde part. VI. cap. XXV. *Quia igitur nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere, & tunc eam vel sibi reconciliare debet, aut ipsa vivente se continere.* Tum part. XXXVII. cap. III. ad Baionensem Episcopum: *Quoniam ex multis auctoritatibus, præcipue ex Evangelica veritate apparet, nemini licere excepta causa fornicationis dimittere: constat, quod sive mulier lepra percussa fuerit, sive gravi aliqua infirmitate detenta, non est propterea a viro suo separanda.*

LXIV. Clemens III. qui ad annum MCXC. Romanam administravit Ecclesiam, ad hæresim extendit causam Judaismi seu paganismi. Id inter alios æqualis Clementi Robertus Corzon tradit in summa quæst. de impedimentis Matrimonii. *Uxor*, inquit, *relicta fide manet libera a Matrimonio: non enim uxor gentilis aut Iudæi debet esse melioris conditionis, ut possit libere transire ad secunda vota, quam uxor hæretici conversa*

ad fidem. Quod concessit Clemens III. in illa Decretali Laudabilem. *nec dicit hæc ad paria esse judicanda; sed Innocentius qui modo præsidet, hæc revocavit.* Ex MS. cod. cœnobii sancti Victoris ad Lutetiam.

Ea de re sic ipse Innocentius in lib. IV. decret. tit. XIX. de divortiis cap. VII. ad Ferrariensem Episcopum: *Quanto te novimus in canonico jure peritum . . . Sane tua F. intimavit, quod altero conjugum ad hæresim transeunte, qui relinquitur, ad secunda vota desiderat convolare: quod utrum fieri possit, per tuas nos duxisti literas consulendos. Nos igitur consultationi tuæ respondentes distinguimus, licet quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur, an ex duobus infidelibus alter ad fidem Catholicam convertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in hæresim, vel decidat in gentilitatis errorem.* Et paullo post: *Si vero alter fidelium conjugum vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu is qui relinquitur, vivente altero possit ad secundas nuptias convolare, licet in hoc casu major appareat contumelia Creatoris.* Bellarminus in libri IV. de Rom. Pont. capite XIV. hanc veluti Pontificum duorum ἀντινομίαν seu dissensionem ita diluit: *Nec Celestinum,* (Clementem dicere debuit) *nec Innocentium aliquid de ea re certi statuisse; sed utrumque respondisse, quod sibi probabilius videbatur. Id quod manifeste colligitur ex verbis Innocentii, qui cum dicit, prædecessorem suum aliter sensisse, indicat in opinione rem totam adhuc positam fuisse.* Si Clemens & Innocentius contendantur inter se, Clemens ad decessores suos magis, ut vidimus, accedit, quam Innocentius; & tamen apud homines rerum matrimonialium minus peritos, Innocentius sine dubio prævalet: usque adeo veritati nocet Ecclesiasticæ traditionis ignoratio. Quidquid id est, Bellarminus in opinione, quæ Clementi probabilior, Innocentio minus probabilis visa est, putat consistere: hoc autem non satis attendunt, qui controversiæ hujus decisionem non disciplinæ, sed dogmati accensent.

LXV. Innocentius III. qui ad annum MCCX. claruit, in lib. IV. decret. tit. XIX. de divortiis cap. VIII. ad Tiberiadensem Episcopum: *Sane veridica hæc sententia probatur, etiam*

iam de testimonio veritatis testantis in Evangelio: Quicunque dimiserit vxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur Si ergo vxore dimissa duci alia de jure non potest, fortius & ipsa retenta: per quod evidenter apparet, pluralitatem in vtroque sexu, cum non ad imparia judicentur, circa Matrimonium reprobandam. Pontifex hoc ratiocinando dixit, non habito respectu ad veterem Romanæ Ecclesiæ traditionem, quam Gregorius II. Eugenius II. Leo IV. Joannes VIII. & vetus Pœnitentiale Romanum exponunt. Quidquid id est, traditioni huic, quam Innocentius III. videtur ignorasse, nihil aut parum obest, si Bellarminus audiatur in libri IV. de Roman. Pontific. capite III. ita scribens: *Summus Pontifex cum totam Ecclesiam docet in his quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest.* At Innocentius cum variis privatorum hominum consultationibus respondet, privatos docet homines, non totam Ecclesiam. Hoc ipsum adhuc confirmat, si confirmandum esset, Melchior Canus, in libri VI. de locis capite VIII. cum ait: *Nicolaus eo loco, quod ad hanc quæstionem attinet, decrevit. Non enim illi proposita fuerat quæstio: An baptismus in nomine Christi collatus esset validus; sed an baptizatus a pagano vel Iudæo, verum baptismi sacramentum suscepisset. Aliter autem & in transcursu cum huic quæstioni propositæ responderet, de suo non interrogatus adjecit, baptisma in nomine Christi conferri: qua in re sine dubio falli potuit.* Sed ne sint ista, quæ Bellarminus & Canus tam audacter pronuntiant, duobus in locis Innocentius rem absolvit. Unus est in serm. II. de consecratione Romani Pontificis: *In tantum,* inquit, *mihi fides necessaria est, vt cum de ceteris peccatis Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.* Alter est in serm. III. de consecrat. ejusdem Pont. *Propter causam vero fornicationis Romana Ecclesia posset dimittere Romanum Pontificem, fornicationem non dico carnalem, sed spiritualem, quia non est carnale, sed spirituale conjugium, propter infidelitatis errorem.* Ceterum hæc adferenda necessatio fuerunt ad sufflaminandum in schola nonneminem, qui lente festinare non didicit.

LXVI. Sanctus Thomas, qui ad annum MCCL. floruit, in

ſupplemento quæſt. LXII. art. V. *Reſpondeo*, inquit, *dicendum, quod nihil adveniens ſupra Matrimonium poteſt ipſum diſſolvere; & ideo adulterium non facit, quin ſit verum Matrimonium: manet enim, vt Auguſtinus dicit, inter viventes conjugale vinculum*, & reliqua, quæ ſunt apud Magiſtrum ſent. & Ivonem.

LXVII. In Magiſtri & Thomæ ſententiam plerique conceſſerunt ſcholaſtici, de quibus judicium poſtea Cajetanus, vir tamen plane ſcholaſticus, feret: conceſſerunt, inquam, non auctoritate Scripturæ, ſed vno vnius Auguſtini teſtimonio. Sed quæ & qualis fuerit ſancti Patris opinio, ſat fuſe ſuo loco expoſuimus.

Ceterum hæc quæſtio, quæ beato Auguſtino ſemper viſa eſt difficillima, implicatiſſima, obſcuriſſima & latebroſiſſima, (ſunt illius verba) ſancto Thomæ & quibuſdam e Schola Theologis, nuſquam videtur niſi facillima, expeditiſſima, planiſſima, & latebrarum maxime expers omnium. Qua in re, quod mireris, ipſorum quam Auguſtini conditionem meliorem fecit vnum Auguſtini teſtimonium, idque breve, ſeu potius decurtatum.

LXVIII. Clemens IV. in fidei profeſſione, quam Græcis, vt Romanæ reconciliarentur Eccleſiæ, præſcripſit. Hæc autem de Matrimonio credenda tantum eſſe tradit ad annum MCCLXVII. *Tenet etiam & docet eadem Romana Eccleſia, ſeptem eſſe Eccleſiaſtica ſacramenta.* Infra: *De Matrimonio tenet, quod nec vnus vir ſemel plures vxores, nec vna mulier ſimul habere permittitur plures viros. Soluta vero lege Matrimonii per mortem alterutrius conjugum, ſecundas & tertias nuptias & deinceps ſucceſſive, licitas eſſe dicit, ſi impedimentum canonicum & alia cauſa non obſiſtat.* Hic de divortio vel de libello repudii ob adulterium, vel alias etiam cauſas, ne gry quidem. Ac in tali profeſſionis fidei formula, quæ fit ad inſtaurandam concordiam, quæ interrupta fuerat, nihil prætermittitur, quod tacite ſubintelligatur.

LXIX. Gregorius X. in Lugdunenſi Concilio, quod anno MCCLXXIV. celebratum eſt, novam fidei profeſſionem Græcis redire cum Latinis in concordiam volentibus non præſtituit. Eam præſtituit, quam Clemens IV. ante aliquot an-

nos præstituerat. Tunc ab Imperatore, & a Græcis qui aderant, edita professione, ii quæ sequuntur, subjiciunt : *Confitentes vero hæc & approbantes, acceptantes & promittentes observare, vt superius dictum est. Rogamus vero magnitudinem vestram, vt Ecclesia nostra dicat sanctum symbolum prout dicebat ante schisma vsque in hodiernum diem, & quod permaneamus in ritibus nostris, quibus vtebamur ante schisma : qui scilicet ritus non sunt contra supradictam fidem, nec contra divina præcepta, nec contra vetus & novum Testamentum, nec contra doctrinam sanctorum generalium Conciliorum, & Sanctorum receptorum per sancta Concilia, quæ celebrata sunt a spirituali dominatione Romanæ Ecclesiæ.* Hoc in tomo XIV. Ecclesiasticorum Annalium, quos Odericus Rainaldus conscripsit.

LXX. Guido Carmelita, qui ad annum MCCCXXX. floruit, in libro de Græcorum erroribus. *Decimus*, inquit, *error est Græcorum : dicunt enim quod divortia Matrimoniorum fieri possint justa de causa pro libito voluntatis.* Id minime dicunt, vt ex Matthæo Blastare satis aperte colligitur. Guidonis impostura est : nam Græci minime dicunt se Matrimonium *pro libito voluntatis* dissolvere.

Præterea hæc pugnant inter se, *justa de causa*, & *pro libito voluntatis*. Sed Guido pergit : *Item Græci in hoc contra Christi doctrinam expresse dicunt hæresim : nam Christus præcepit, vxorem a viro non dimitti, nisi ob solam causam fornicationis : nec tunc viro licet aliam ducere.* Id continuo probat ex cap. V. & XIX. Matthæi, & cap. VII. prioris ad Corinthios epistolæ : *Mulier alligata est viro*, & cetera. Primus, quod sciam, omnium Guido hæresim hanc detexit, & detectam ita probavit. Sic philosophari non didicisset in Romana Ecclesia, si quo tempore hanc Ecclesiam rexerunt Clemens IV. & Gregorius X. vixisset, & manum ferulæ Pontificum eruditione & pietate illustrium subduxisset : si quos videre potuit Pontifices Joannem XXI. & Nicolaum III. vidisset & allocutus fuisset. Joannes & Nicolaus in eo desudarunt & elaborarunt quamplurimum, vt Græcos ad ineundam cum Latinis concordiam pertraherent, atque illam fidei professionem, quam Clemens IV. composuerat, sincere emitterent. Tunc decimum erro-

rem seu hæresim Græcorum vel expunxisset e libro suo, vel Clementem in componenda fidei professione, & Gregorium X. Joannem XXI. & Nicolaum III. in ea comprobanda, Romanos Pontifices quatuor inertiæ & supinitatis accusasset. In summa, si hæresis est, quod hæresim esse dicit auctor, contraria propositio non potest non esse dogma Catholicum. At dogma Catholicum a Vincentio Lirinensi definitur: *Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* In Commonitorii I. contra novitates capite III. Hoc autem ab illis Pontificibus ignoratum fuisse probabit nusquam. Quæ hic a Guidone fit injuria Pontificibus, redundat in Lugdunense Concilium, cui Gregorius X. præfuit, & in quo de reducendis ad Latinorum communionem Græcis per memoratam fidei professionem vnice tractatum est.

LXXI. Florentinum Concilium in sessione XXV. postquam edita est fidei definitio, repræsentat quæ nostrum ad institutum conferunt, vbi Græcus homo sic loquitur: *Post hæc Latini quæsivere a nobis hæc*, id est, quæstiones fecerunt vndecim. Decima est. *Quare conjugia dirimitis, dicente Domino: Quos Deus conjunxit, homo non separet.* Infra: *Hæc a Latinis objecta Mitylenensis (Episcopus) canonice omnia legitimeque dissolvit, præterquam duo, de quibus Papa significavit Imperatori, cur scilicet Matrimonia dirimantur, & Patriarcha non eligatur: Latinis contradicentibus illis legem nihil valere adversus Domini vocem: Quos Deus conjunxit, homo non separet; & non esse conveniens abire hinc sine capite. Petivit ergo per nuntios Papa ab Imperatore, vt ex Metropolitis peritos aliquos ad se mitteret. Ille vero misit imperitos, proposuitque Papa duas hasce objectiones de separatione conjugiorum, & de promotione Patriarchæ. Illi vero se nullam dixerunt habere facultatem respondendi, nec respondere, sed ea relaturos Imperatori, qui responderet. Dum hæc fiunt, lapsi sunt dies. Die vero* XIV. *Iulii Papa omnes Orientales Præsules ad se convocavit, & cum aliquot ex iis profecti essent, talem secreto cum illis sermonem habuit. Nos fratres Dei beneficio sumus fide conjuncti. Quoniam ergo arcanis Dei judiciis ego sum inter vos membra caput, debeoque qualitercunque admonere, & consiliis instruere ad ea quæ videntur pietatem & Ecclesiam constabilire:*

Propono vobis aliqua, vt fratribus, vt membris, vt Ecclesiarum ductoribus, & primo dico omnes conqueri de separatione Matrimoniorum, idque correctione indiget. Et post alia: *Præsules ita responderunt: Æquissima sunt quæ beatitudo vestra dixit; sed nos ad hæc dare perfectam responsionem non possumus. Sunt enim & alii Præsules & Imperator noster: perfectè enim respondebimus cum illorum consensu. Privatim enim ex nobis respondemus ac dicimus, non esse hæc præsentis temporis, licet justa & necessaria sint. Nam dirimimus Matrimonia non sine justis causis.* At quæ causæ sint justæ, non explicant. Utut sit: primo quidem Eugenii IV. & Latinorum Antistitum; qui Florentiæ cum Græcis celebrarunt Concilium, judicio patet, Matrimoniorum dissolutionem quæ apud Orientales peragitur, ad fidei dogmata non pertinere. Nam postquam edita est fidei definitio circa eam controversiam, quæ in negotio fidei Græcos & Latinos inter se commissos tenebat, Eugenius Græcos sic allocutus est: *Nos fratres Dei beneficio sumus fide conjuncti.* Sic autem Græcos allocutus non esset Pontifex, si ille & reliqui Præsules Latini credidissent Matrimoniorum dissolutionem, quæ apud Orientalem fiebat Ecclesiam, in fidei dogmatibus vel reipsa collocari, vel posse collocari, servato ordine, qui generalibus in Conciliis hactenus servatus fuerat.

Deinde cum Eugenius & Latini Patres præ se ferunt, Matrimoniorum diremptionem illam, quæ apud Græcos frequentabatur, Ecclesiasticæ disciplinæ materiam esse, cum aiunt, illam *correctione indigere:* vt erant viri prudentes & docti, id sibi constituebant ante oculos, quod Tertullianus in libri de velandis virginibus capite 1. scribit: *Hac lege fidei manente*, (quam ante proposuerat, & eam omnino esse solam immobilem & irreformabilem dixerat,) *cetera jam disciplinæ & conversationis, admittunt novitatem correctionis, operante scilicet & proficiente vsque in finem gratia Dei.*

Tum Eugenius & Latini probe noverant, dirempta non fuisse tantum apud Græcos propter adulterium Matrimonia. Nam si apud eos dirempta tantum fuissent propter adulterium Matrimonia, Latini a Græcis eam disciplinæ hujus sibi reddi minime petivissent rationem, quam Græci vicissim a

Latinis sibi reddi petivissent. Nam Latini quondam & Romana potissimum Ecclesia dirimebant propter adulterium Matrimonia. Fuerunt igitur aliæ dissolutionis Matrimoniorum capita, quæ Latinos ad quærendam a Græcis disciplinæ suæ rationem commoverunt. Matthæus Blastares capita illa recenset, & nos supra recensuimus ex eo, qui & ex Justiniani novella CXVII. recensuerat.

Postremo ex actis Florentinæ Synodi non apparet Græcos Latinis reddidisse rationem ullam disciplinæ illius, quæ in Justiniani novella constituitur circa dissolutionem Matrimonii. Quidquid in causa, potuissent Græci Latinis non immerito dicere, mirari se, cur ab eo tempore quo edita fuit Justiniani novella, & usum in Orientali obtinuit Ecclesia, Latini a Græcis disciplinæ hujus rationem in sexta vel in septima Synodo non postulaverint. Cur cum Photius Occidentalem in certis quibusdam capitibus graviter perstrinxit Ecclesiam, Nicolaus I. & reliqui Occidentis Episcopi Matrimoniorum dissolutionem Photio non objecerint. Cur Latini de ista Græcorum disciplina conquesti non sint in octava Synodo. Cur Leo IX. ad Michaelem Cerularium scribens Constantinopolitanum Episcopum, de Matrimoniorum dissolutione tacuerit, & eam taciturnitate sua confoverit. Cur Innocentius III. tam perspicax Pontifex, & Latini Antistites Græcis in Lateranensi Concilio, cui ille præfuit, Matrimoniorum dissolutionem non exprobraverint, quinetiam opprobraverint. Cur Eugenius IV. & Florentini Patres anno MCCCCXXXVIII. in memoriam non revocaverint professionis fidei formulam, quam Clemens IV. anno MCCLXVII. Græcis præscripsit, quam Gregorius X. illis anno MCCLXXIV. in Lugdunensi Concilio proposuit, quam Joannes XXI. iisdem anno MCCLXXVII. & Nicolaus III. anno MCCLXXVIII. ut pax inter omnes redintegraretur Ecclesias, obtulerunt. Intercapedo annorum centum & sexaginta effecit, ut in oblivionem Eugenii & Florentinorum Patrum venerit memorata professionis fidei formula, sub cujus finem legitur: *Tenet etiam & docet eadem Romana Ecclesia, septem esse Ecclesiastica sacramenta.* Et quibusdam interpositis: *De Matrimonio.*

tenet, quod nec vnus vir ſimul plures vxores, nec vna mulier ſimul habere permittitur plures viros. Soluta vero lege Matrimonii per mortem alterutrius conjugum, ſecundas & tertias nuptias & deinceps ſucceſſive, licitas eſſe dicit, ſi impedimentum canonicum & alia cauſa non obſiſtat. Sic excluduntur cetera, quæ de Matrimonio in Scholis traduntur, nec in formula exprimuntur. Latinis tunc Latinorum opera ſatisfeciſſent Græci, ſi quod iſti noſſe debuerant, noviſſent, aut ſi noverant, ingenue & ſine tergiverſatione vlla dixiſſent. Latini vero a Græcis ea ſuper re poſtulaſſent nihil, ſi quod a Clemente IV. Gregorio X. Joanne XXI. & Nicolao III. factum fuerat non ante immenſum tempus, recordati fuiſſent, aut recordari potuiſſent. Atque ita non omnes qui Florentinum celebrarunt Concilium, de traditionibus armati, & de conſuetudine ſuccincti fuerunt.

LXXII. Eugenius, ſeu poſt pacificum Græcorum diſceſſum continuata Florentiæ Synodus in decreto, quod pro Armenorum inſtitutione & concordia edidit, hac de re ita cenſet: *Quamvis autem ex cauſa fornicationis liceat tori ſeparationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas eſt, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum ſit.* Quæ verba ex beati Thomæ opuſculo de ſeptem ſacramentis repetuntur, non ex profeſſionis fidei formula, cujus modo mentionem fecimus, nec ex antiquioribus Romanæ Eccleſiæ monumentis, quorum vades exhibuimus Gregorium I. Gregorium II. & Petrum per os Gregorii loquentem, Romanas Synodos duas, vnam ab Eugenio II. alteram ab Leone IV. celebratam, Joannem VIII. & vetus Pœnitentiale Romanum. Doleo beatum Thomam ad iſtorum monumentorum formam non exegiſſe ſuum de ſeptem ſacramentis opuſculum. Nam ſi exegiſſet Eugenius decretum ſuum, aliter ſine dubio condidiſſet. Sed, vt verum fateor, excuſandus mihi videtur hic Pontifex, ſi decretum ſuis omnibus numeris abſolutum non ſit. Quo enim tempore illud condidit, vehementer occupatus erat in retinendo Pontificatu ſuo, quem illi Baſilienſe Concilium nuper abſtulerat. In id incumbebat totus, quia de ſumma rerum agebatur.

LXXIII. Christophorus Marcellus, qui Romæ sub Leone X. claruit, & postea Corcyrensis Archiepiscopus fuit, in libri I. de auctoritate summi Pontificis contra Lutherum capite XIX. sectionis I. *Id vero*, inquit, *non solum dictu, sed etiam creditu longe difficilius est, quod divino jure Romana Ecclesia sit prima sedes, cum facile urgente causa alio transferri potuerit. Verum cum corporalis Matrimonii jura considero, ad spiritualis contemplationem meipsum converto. Et quemadmodum de illo scriptum est: Quod Deus conjunxit, homo non separet, Matthæi* XIX. *ita de hoc ipso sentire ac palam fateri non erubesco. Solvit homo ex causa conjugii nexum, quando adulterii facinus subesse deprehenditur. Solus plane, ait Dominus, honestæ voluptatis abusus, quem fornicationem appellant, in causa est, cur relinquatur uxor: sic legitima quædam majoris utilitatis Ecclesiæ causa subesse potest, quare hoc ipsum spiritale & divinitus institutum conjugium dissolvatur. Cumque id: Quod Deus junxit, homo non separet; objectatur, ita intelligendum est, ut valeat, cum ea, qua conjunctio facta fuerit, perstiterit causa: qua item deficiente, nexus ille dissolutionem facillime patiatur. Quo etiam fit, ut corporale conjugium a Deo propterea institutum sit, ut vir cum peculiari uxore certam honestæ voluptatis usu prolem suscipiat, qua cum abfuerit; incertæque suscipiendæ prolis periculum manserit, jam unius viri propria & peculiaris uxor amplius dici non potest. Idcirco legitime faciendum est utriusque divortium, ut quod Deus conjunxisse ex causa visus fit, ex illius etiam defectu, homo ipse se separare potuerit. Adde quæ solo divino consilio & dispensatione statuta sunt, hominum auctoritas nequaquam invertere potest. At si præter id destinatus quoque requiratur eorum consensus, non indecens quiddam aut absurdum videtur ex legitima causa mutari posse, & in melius suopte jure converti.* Hæc sola lectione indigent ut intelligantur.

LXXIV. Desiderius Erasmus in annotationibus ad caput XIX. Matthæi. *Iudæi putabant sibi licere quavis de causa quoties libuisset uxorem abjicere. Id Christus adstrinxit, unicam duntaxat causam excipiens, nempe stupri. Annotavit hujus dictionis ἔμφασιν is quisquis fuit, cujus extat homilia* XXXVIII. *inter mixtas Chrysostomi titulo.*

Deinde

Deinde in paraphrasi ad caput V. Matthæi : *Et quanquam lex optabat inter conjugatos amicitiam & concordiam esse perpetuam; tamen conscia duritiei cordis Iudaici, ne quid committeretur sceleratius, indulsit divortium, puta ne veneficium aut homicidium perpetraretur. At ego volo sanctius & inviolatius esse Matrimonium inter novæ legis professores. Quisquis enim dimiserit uxorem suam, nisi forte adulteram : jam enim uxor esse desiit, quæ se miscuit alteri.* Postrema verba hæc, quæ nonnullis apud Antonium Possevinum in apparatu sacro displicuerunt Censoribus, beati sunt Augustini tractatu IX. in Joannem. *Sed propterea*, inquit, *in causa fornicationis licet uxorem dimittere, quia ipsa esse uxor prior noluit, quæ fidem conjugalem marito non servavit.* Censores hoc nescierunt, nisi fortassis Augustinum in Erasmo corrigere voluerint.

Erasmus paullo post persequitur : *Quod si lex hoc agit, ut sanctum sit conjugium, neque passim concessa divortia, nos legem non solvimus, sed adjuvamus, qui nullum volumus esse divortium, excepta causa stupri.*

Tum in paraphrasi ad caput XIX. *Ego qui non irrito legem, sed absolutiorem reddo, plane dico vobis, nefas esse præter mentem Dei & voluntatem Mosis, quod vulgo facitis quavis de causa repudiantes uxores vestras. Nec ideo ratum est quod facitis, quia facitis impune. Multa sunt apud Deum flagitiosa, quæ legibus humanis non puniuntur. Proinde scitote quod quisquis ob quamlibet causam abjecerit uxorem, & alteram duxerit : ut adulterium committit ipse, ita & uxori præbet adulterii causam, nisi forte quam repudiat, adulterio commeruit repudium. Nam quæ alteri viro sui copiam fecit, jam uxor esse desiit, & Matrimonii jus ademit sibi, divisa carne, quam Deus unam & indivisam esse voluit.*

Denique in paraphrasi ad caput X. Marci : *Iudæus ob oris halitum graviorem, ob oculi lippitudinem, aut aliud simile vitium repudiat uxorem, cum inter Evangelicos una dumtaxat causa dirimat conjugium, hoc est, violata conjugii fides. Uxor enim, quæ sui corporis copiam fecit alteri, jam, etiamsi non repudietur, desiit esse uxor: & maritus, qui sui corporis copiam fecit alienæ, jam ante divortium maritus esse desiit.*

Parisienses Theologi, cum annus agebatur millesimus quingentesimus vicesimus sextus, propositiones illas hæreseos nota sic affecerunt.

Hæ propositiones quatenus per eas prætendi videtur, Matrimonium per adulterium dissolvi, quantum ad vinculum, hæreticæ sunt. Et sic probant: *Est enim vinculum Matrimonii jure divino indissolubile, ut ad Corinthios scribens Apostolus demonstrat: Cum, inquit, his qui Matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et rursum: Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, & eadem omnino est ratio de viro sicut de muliere, quia ejusdem beati Pauli sententia: Sicut mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; ita & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Tanta præterea est indissolubilitas Matrimonii, ut nec per hæresim (quæ fornicatio est spiritualis) dissolvatur.*

1. Sic brevi manu deciditur quæstio, quam beatus Augustinus post editos a se de illa tractatus complures obscurissimam, implicatissimam & latebrosissimam appellat. Beatus Paulus remittit ad Dominum, qui semel atque iterum permittit viro uxorem propter adulterium abjicere: semel in capite V. Matthæi, iterum in capite XIX.

Joannes Chrysostomus homilia XIX. in caput VII. prioris ad Corinthios epistolæ: *Quomodo enim quæ priori tempore eum dedecore affecit, & facta est alterius, & abolevit jus Matrimonii, poterit revocari eum, cui facta est injuria, & qui propterea manet ut sospes & peregrinus. Præterea illic quidem post fornicationem maritus non est maritus; sed mulier, licet cultrix idolorum, non amittit jus mariti.* Chrysostomus censuræ obesse potest, prodesse non potest.

Theodoretus locum Apostoli sic intelligit; nam postquam illius verba retulit, subjungit: *Evangelicam legem revocat in memoriam. Dominus enim in sacris Evangeliis dixit: Quicunque dimittit uxorem, præterquam causa fornicationis, facit eam mœchari. Propterea adjecit, non ego, sed Dominus. Hæc autem maneat innupta, vel viro reconcilietur. Non est contrarium illi. Nolite fraudare vos invicem, nisi forte ex consensu: illa enim dicta*

sunt iis, qui non propter aliam causam, sed propter solam continentiam separantur. Hic autem iis legem statuit, qui de aliis rebus contendunt; & conatur quidem infractum servare Matrimonii vinculum: condescendens autem imbecillitati, ei qui separatur, continentiam præcipit; hac etiam ratione prohibens Matrimonii disjunctionem. Cum enim alteri conjungi prohibet, vtramque partem ad prius Matrimonium redire compellit. Theodoretus cum ita Pauli locum interpretatur, censuræ obesse potest, prodesse non potest.

Theophylactus in idem caput: *Iis autem qui Matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, quia Dominus lege sancivit non debere fieri divortium, dempta fornicationis causa, propterea, non ego, inquit, sed Dominus.* Censores non ita interpretantur Pauli locum: & quia non ita interpretantur, ab antiquis Ecclesiæ tractatoribus dissentiunt: & quia dissentiunt, de vi & auctoritate censuræ mirum quantum detrahunt.

Arelatense Concilium primum, quod vniversam Occidentis repræsentabat Ecclesiam, a censura percellitur, vel censuram percellit in canone X. *De his qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, & ii sunt adolescentes & prohibentur nubere: placuit, vt in quantum potest, consilium eis detur, ne viventibus vxoribus, licet adulteris, alias accipiant.* Hic facit incontinentiæ periculum, vt viris adolescentibus non imponatur præceptum, sed detur consilium duntaxat, ne viventibus vxoribus adulteris mulieres alias sibi conjungant in Matrimonium. Aliud enimvero est præceptum, aliud consilium. Non exaggero, non argumentor: rei perspicuitas argumentatione elevaretur.

Concilia, Patres, tractatores, qui decurso Ecclesiasticæ traditionis spatio eduntur & proferuntur in lucem, per hanc censuram ferunt incommodum, alii gravius, alii minus grave. Gravius quidem ii, qui divortium propter fornicationem licere sentiunt, quia illorum sententia hæreseos notatur: minus vero grave, qui divortium propter fornicationem haud licere sentiunt, quia contrariam opinionem hæreseos nota non afficiunt, cum afficere deberent, ne sibi noceret talis

moderata diſputandi ratio. Pariſienſes Theologi quatuor, Joannes Major, Joannes Gagnæus, Joannes Arboreus, & Claudius Guillaudus; qui poſt annum MDXXVI. in Evangelia & beati Pauli epiſtolas ſcripſerunt commentarios, & in iis Eraſmi opinionem redarguunt; ſed abſtinent ſe a nota cenſoria, quæ hæreſim importet: ſic omnes, dempto vno Guidone Carmelita, cujuſcunque ſint ſententiæ, in cenſuram incurrunt; & hæc eſt certa atque indubitata cenſuræ pernicies. Auctores illos quatuor ſpreviſſe potius quam non vidiſſe Facultatis cenſuram, quia modum excedit, aſſerenti, quod reſponderem expreſſi nihil, ſolidi nihil habere me, ſincere fateor. Qui vero apte congruenterque reſponderet, ei aſſentirer ſine controverſia, & vt homini de Facultate & de me bene merito gratias agerem, acturus ſi poſſem immortales. Hic niſi hiſtorici potius quam diſſertatoris partes obirem, & ne κρίσεως argueret, timerem; lubenti prolixoque animo præteriiſſem cenſuram, & ejus probationem, quæ propter tenuitatem ſuam notæ cenſoriæ & cenſorum nomini hec reſpondet, nec reſpondere poteſt. Obverſabatur mihi ante oculos Joannes Roffenſis Epiſcopus, qui in libro de vnica Magdalena ſcite ait: *Qui rationes invalidas & inefficaces affert, perinde eſt ac ſi nullas attuliſſet, imo longe fuiſſet ei ſatius nullas adduxiſſe. Cum enim quis ſententiam aliquam nulla fultam ratione producit in medium, ſimpliciter & nudis eam verbis aſſerens, dubitare adhuc de illo poſſumus, num abditum aliquid ſoliditatis habeat cui innitatur: quod hactenus non explicuit. Verum qui ſuam opinionem rationibus munit, quæ palam ſunt invalidæ, nulliuſque extant roboris, profecto ſeipſum prodit hallucinatum fuiſſe, atque fallacibus inductum rationibus, vt ita opinaretur; ſuumque ita errorem ipſi manifeſtum facit, quando cunctis apertiſſime liquet, eum omni ſolida carere baſi.*

Quinetiam cum ad notæ cenſoriæ probationem, vt vidimus, nihil extra Scripturas eaſque breves adferatur, cenſores ſuam tacite faciunt propoſitionem, quam Eraſmus habet ſua in Hilarium præfatione. Hæc eſt ejuſmodi: *Hoc eruditionis Theologicæ eſt, nihil vltra quam ſacris literis proditum eſt, definire. Verum id quod proditum eſt, bona fide diſpenſare.* Pro-

positio sic ab illis configitur: *Non est eruditionis Theologicæ, nihil de iis quæ ad fidem spectant definire, quam quod in sacris literis formaliter & expresse habetur, aut quod ex illis clare deducitur; sed impietatis Witclevicæ aut Luteranæ: quandoquidem auctoribus Dionysio, Basilio, Augustino, & aliis multis Catholicis Doctoribus non minus credenda sunt, quæ a Christo ex Apostolorum traditione habemus de sacramentis & nonnullis aliis, quam quæ in Scripturis sanctis exprimuntur. Nec solis literarum monumentis jubet Apostolus fidem adhiberi, sed & traditionibus nudo sermone explicatis. Quare præscripta propositio est falsa, impia, & Witclevicæ atque Lutheranæ perfidiæ consentanea.* Et sane vt probaretur, Erasmi de divortio sententiam dignam esse nota, quæ omnium gravissima est, & simul dogma contrarium Catholica fide credendum, Scripturæ jungenda fuit, si jungi potuit Ecclesiæ traditio: non jungitur, sed in Scriptura sistitur, vt sistendum esse præ se fert Erasmi propositio, & sistendum non esse demonstrat censura Erasmicæ propositionis.

LXXV. Thomas Cardinalis Caietanus in Matthæi caput V. *Cura fuit legislatori, vt dimissionem vxoris, si qua fieret, adjuvaret. (Ego autem dico vobis) novi Testamenti tempore: Quod omnis qui dimiserit vxorem suam. Contextus invitat ad intelligendum de dimissione totali: quoniam de illa constat legem loqui dicentem: Qui dimiserit vxorem, det illi libellum repudii, & illam corrigit ad literam* JESVS. *(excepta fornicationis causa) Lex vetus latum relinquit campum causis dimittendi vxorem:* JESVS *restringit vsque adeo vt solam causam fornicationis (proculdubio carnalis, quæ sola directe contrariatur conjugali fidei) excipiat, (facit eam mœchari) dando dimissæ absque fornicatione occasionem mœchandi. (& qui dimissam) proculdubio absque fornicationis causa (duxerit in vxorem, adulterat) non maritus, sed adulter est. Ita quod dimittens vxorem absque causa fornicationis, causat duo mala; scilicet, quod dimissa mœchetur, & quod accipiens ipsam sit adulter. Hic est planus literæ sensus: nec hinc sequitur quod lex novi Testamenti concedat viro propter vxoris fornicationem dimittere illam totaliter: quoniam textus iste non est tota lex novi Testamenti. Sed bene sequitur, quod ex hoc textu non est pro-*

hibita, non est illicita dimissio uxoris propter ipsius fornicationem, cum quo stat, quod ex alio textu sit prohibita & illicita. Et rursus sequitur, quod dimittens totaliter uxorem propter ipsius fornicationem, non est causa, quod dimissa mœchetur, quoniam illa jam mœchata fuerat: sicut lex disponens, quod maritus occidens uxorem (nisi inventam in actu adulterii) decapitetur, non reddit occasionem uxoris in flagranti repertæ crimine licitam, sed impunem a decapitatione. Rursus sequitur, quod in hoc textu nihil disponitur de dimissa ob fornicationis causam, nec de ducente ipsam. Nec hoc est mirum, quia nec de ipsa dimissione, quæ fiebat per libellum repudii, disponitur, an fuerit licita; sed hoc alteri loco legis novæ reservatur, scilicet sequentibus, cap. XIX. *Considera, prudens lector, Evangelii textum, & teipsum Evangelio, non Evangelium tuo accommoda sensui.*

Deinde in cap. XIX. *Dico autem vobis (Quod quicunque dimiserit) totaliter. De tali enim dimissione erat sermo: nam uxorem dimittere absque additione aliqua, significat non dimittere secundum quid, puta quoad torum; sed simpliciter & absolute, quod est dimittere totaliter. Constatque de dimissione absolute motam esse quæstionem a Pharisæis & loqui Moysen. (Uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, in uxorem mœchatur.) Textus iste clare constituit mœchum facientem hæc duo: scilicet dimittere uxorem non fornicariam, & aliam ducere; & in promptu ratio mœchatus est, quia durat conjugium cum prima dimissa. Quid autem sit in dimittente uxorem fornicariam, & aliam ducente, textus iste nihil dicit. At si urgens objeceris verba* JESV *non esse superflua, & propter exceptionem fornicationis aliquid significare diversum ab aliis causis, fateor sic esse. Et si instes illud diversum nihil aliud esse, nisi quod propter fornicationem dimittens uxorem, & aliam ducens, non mœchatur: respondeo sic sonare textum, secundum planum literæ sensum. Sed quoniam non audeo apponere me contra torrentem Doctorum & judiciorum Ecclesiasticorum, ideo dixi textum nihil disponere de dimittente fornicariam. Intelligo igitur ex hac Domini* JESV CHRISTI *lege, licitum esse Christiano dimittere uxorem ob fornicationem carnalem ipsius uxoris, & posse ducere aliam uxorem, salva semper Ecclesiæ definitione, quæ hactenus non apparet. Nam decretales Pontificiæ de hac mate-*

ria non sunt definitivæ fidei, sed judiciales facti: profitentur autem ipsimet Pontifices, vt patet in C. quarto de divortiis, & in C. Licet de spons. duorum, Romanos Pontifices aliquando in his judiciis Matrimoniorum errasse.

Tum in caput x. Marci: *Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam, pro in eam. Adverte quod Marcus non refert omnia, quæ* JESVS *dixit, omittens exceptionem, quam* JESVS *apposuit, scilicet excepta fornicationis causa, vt clare patet Matth.* XIX.

Denique in prioris ad Corinthios epistolæ caput VII. *Non solum miror, sed stupeo, quod Christo clare excipiente causam fornicationis, torrens Doctorum non admittit illam mariti libertatem.*

Hæc ille qui Romæ floruit ad annum MDXXV. & qui postea commentarios suos Clementi VII. dedicavit.

Ego satis memini legere me, fuisse qui Caietanum generatim & per aversionem redarguerint; sed non memini legere me, fuisse qui quæ ex Caietani commentariis retulimus, referentes sigillatim & καθ' ἕκαστα redarguerint. Cur autem id ita contigerit, nescio. Præstitisset tamen Caietani dicta posteriori, quam priori dumtaxat modo redarguere, idque servatis pro Scripturæ intelligentia & interpretatione regulis, quas Joannes Chrysostomus & Cyrillus Alexandrinus tradiderunt. Hic in assertione xx. thesauri: *Primum quidem oportet eum, qui ad investigationem sacrarum Scripturarum accedit, observare tempus, quo aliquid dicitur, & persona a qua dicitur, propter quid & de quo dicitur. Ita enim qui recte sentire volunt, citra vllum errorem quæ scripta sunt intelligent.* Ille in homilia super illud Hieremiæ: *Non est in homine via ejus. Contextus* (Scripturæ) *omnem seriem, & pro quibus dicta sunt illa, a quo vel ad quem, quam ob causam, quando & quomodo expendamus. Non enim dicere sufficit, aliquid in Scriptura scriptum reperiri, neque temere avulsa ac discerpta divinitus inspiratæ Scripturæ membra nuda, & a reliquo contextu seriequе sermonis sejuncta sumere, ac nimia licentia confidentiaque ipsis illudere: sic enim prava dogmata multa in nostram hanc ætatem invecta sunt, dum negligentioribus persuasit diabolus, vt oblique distorta testimonia*

Scripturæ proferrent, vel additis subtractisque nonnullis tenebras veritati offunderent.

LXXVI. Provinciale Concilium Moguntinum, quod anno MDXLIX. celebratum est, capite XXXVI. *Quod si*, inquit, *ob fornicationem, quæ sola illis separandi causa a Domino permissa est, conjuges se invicem diviserint, manere debere innuptos, aut dimisso conjugi reconciliari, & neutri eorum, donec vixerit prior conjux, ad secunda transire Matrimonia potestatem esse.*

LXXVII. Ambrosius Catharinus Compsæ Archiepiscopus, qui Tridentino Concilio interfuit, in tractatu de Matrimonio, qui cum aliis tractatoribus prodiit anno MDLII. cum privilegio Julii III. *Suscipiam primum partes eorum, qui in viro etiam quoad vinculum dicunt Matrimonium dirimi, ut possit aliam ducere. Stat sententia Domini apud Matthæum his verbis: Quicunque uxorem suam, nisi ob fornicationem, dimiserit, & aliam duxerit, mœchatur. Hæc una oratio, nisi vim literæ afferamus, profecto duarum orationum vim habet. Una est affirmativa continens hujusmodi regulam: Si quis uxorem suam absque causa fornicationis dimiserit, & aliam duxerit, mœchatur. Altera est negativa, quæ continet exceptionem a regula propter particulam illam* nisi, *& est: Si quis uxorem suam ob fornicationem dimiserit, & aliam duxerit, mœchatur. Si igitur sic intelligitur hæc Domini sententia, ut verba ipsa, quam manifestissime videntur porrigere, jam decisa est quæstio.*

Objiciunt illud ex beato Marco, quod ait Dominus: Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, committit adulterium super eam. Deinde ex beato Luca, ubi ait: Omnis qui dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur. Loquuntur sine exceptione, sed facile respondetur. Nam beatus Lucas & Marcus, quod erat regulare tradiderunt absque præjudicio jam datæ exceptionis apud Matthæum. Non est enim novum, aliud exemplum per aliud declarari, & in alio poni regulam, in alio tradi exceptionem. Marcus porro, ut ostenderet se loqui extra casum adulterii, dicit: Quod si quis dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur super eam, hoc est, in illam, seu in ejus injuriam. Quod si factum esset ex causa adulterii, non sane diceretur in illam, id est, in ejus injuriam factum: quandoquidem prius ipsa mœcha fuisset,

sit, & amisisset jus suum super viri corpus. Dices ex Augustino, per illa signa universalia, quicunque & omnis, homo includitur. Omnem autem causam includi non est necesse. Unde & Dominus excipiens causam adulterii, usus est illa voce, quicunque, dum ait: Dico vobis: Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ex causa fornicationis, &c. Quamobrem ipsemet beatus Augustinus in libro 11. *Retractationum non perfecte se rem explicasse, ingenue fatetur. Ceterum non potest homo separare quod a Deo conjunctum est; sed ipse qui conjunxit, potest etiam separationem permittere. Quod ergo se vir ab adultera separaret, a Christi sententia habet, qui est legislator, non ab ullius hominis auctoritate: & cum ab ea separatus sit, quid vetat quominus aliam ducere possit?*

11. *Licita est dimissio uxoris ex causa adulterii, per quam tamen dimissionem illud proculdubio fit, ne sint duo in carnem unam, & tollatur ex parte viri obligatio adhaerendi uxori suae: ita ut solvatur vinculum Matrimonii, saltem ex parte viri, & hoc auctoritate Dei. Quid ergo mirum, si eadem auctoritate concedatur, aut potius expresse concessum sustineatur, posse novum iniri conjugium cum adultera, quae jus suum suo crimine perdiderit. Ex hoc tollitur argumentum ex horum vi verborum: Adhaerebit uxori suae, & erunt duo in carnem unam. Unde ex causa adulterii sublata est illa obligatio adhaerendi uxori suae, cum ipsa carnem illam unam disciderit, & fecerit ad unam carnem non esse duos, sed plures; unde & marito jus suum perdidit, & revera sacramenti significationem destruxit.*

Dices ex Paulo, si donec vivit vir, mulier alligata est, casus adulterii, videlicet si vir adulterium commiserit, non liberat eam a viro, seu a lege viri. Igitur nec e contra liberatur vir a jure mulieris, si illa fuerit adultera: sed dicitur, quod posita per adulterum regula non praejudicat exceptioni jam a Christo positae; alioqui non posset virum in casu adulterii dimittere, & debitum carnis illi adultero denegare, secundum communem Doctorum sententiam. Beatus Ambrosius aut alius dat disparitatem: sic ut viro quidem liceat propter uxoris adulterium repudium dare, & aliam ducere; non sic autem e converso mulieri per adulterium viri.

III. *Si Matrimonium ſolvatur in cauſa adulterii, deſtruetur ſacramenti ratio ſeu ſignificatio, quia ſignificat conjugium illam conjunctionem, quæ eſt inter Chriſtum & Eccleſiam. At hæc eſt inſolubilis. Sed dicatur: Quomodo Matrimonium eſt inſolubile, cum morte ſolvatur id quod non eſt in conjunctione Chriſti & Eccleſiæ? Reſpondebunt forte, hoc quidem eſſe per accidens, ſed per ſe, & ex natura ſacramenti eſſe vt diſſolutionem non ferat. Idem ergo verſa vice reſpondebo, quod ſicut morte accedente ſolvitur Matrimonium per accidens, ita per adulterium ſolvi per accidens: at ſolvi tamen.*

IV. *Chriſtus nullo modo ſeparatur ab Eccleſia neque ſecundum torum, neque ſecundum vinculum. At hic concedunt ſeparationem propter adulterium, ſaltem ſecundum torum: quanquam revera hæc ſeparatio tori eſt etiam diſſolutio vinculi, ſaltem ex parte. Etenim conjux propter adulterium alterius conjugis liberatur a vinculo, quo ea antea tenebatur: ita vt non habeat vlterius poteſtatem corporis illius. Ubi eſt ergo illa ſignificatio indiſſolubilitatis Matrimonii?*

V. *Solvitur conjugium non conſummatum per ingreſſum religionis: poteſt inſuper, vt plures dicunt, ſeparari conjugium per ſeparationem Papæ: vbi ergo eſt hæc ſignificatio? Sed comminiſcuntur, conjugium ante copulam non ſignificare conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, ſed Chriſti cum anima. Si ergo ponitur, quod ante copulam mulier committat adulterium, tunc vir poterit licite illam dimittere, & aliam ducere, quia ſignificatio non obſtat: quod tamen neſcio an illi concedant.*

VI. *Si viro non liceret alteri nubere, ne ſignificatio ſacramenti violetur, nec licebit illi dimittere adulteram, & ſeparare ſeipſum perpetuo a toro, quia & in ejuſmodi ſejunctione violatur vinculum ſingulare, quod eſt vnam carnem eſſe, & hærere conjugi ſuæ; & ideo violatur ſignificatio, quia Chriſtus nunquam ab Eccleſia ſua ſeparatur. Quocirca neſcio quo pacto defendi poſſit, & non ſolvi vinculum per adulterium; ſed ſolummodo torum, quaſi vinculum tantum in hoc conſiſtat: vt alter ſcilicet non poſſit alteri jungi, & non in hoc videlicet ita conjuges eſſe carnem vnam, vt in ea quilibet eorum jus habeat. quod in hoc caſu non eſt. Adultera enim perdidit jus ſuum, vt omnes fatentur, ſi maritus eam dimittat.*

Ceterum indissolubilitas Matrimonii non proficiscitur a ratione significationis, sed a natura rei & a verbo Domini, & ab ipso facto, id est, ab ipsa carnali copula. Nam ipse Dominus Deus, qui fidelium Matrimoniis assistit, indissolubili vinculo conjungens eos, dicens: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, &c. *Quæ Domini verba omnino per adulterium violantur, quoniam non jam sunt duo ad unam carnem, sed plures. Denique propter mala, quæ ex hoc evenire possunt, æquum non est legem alioqui rectam aboleri.* Hæc Catharinus, qui videtur difficultates universas, quæ a ratione petuntur, exhausisse.

LXXVIII. Tridentinum Concilium in sessione XXIV. quæ anno MDLXIII. habita est, in canone VII. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit & docet juxta evangelicam & apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit; & eam quæ dimisso adultero alii nupserit; anathema sit.*

At quomodo canon iste conditus fuerit ex libro XXII. Tridentinæ historiæ, quam Sforza Cardinalis Pallavicinus composuit, discendum est. Sic enim in cap. IV. scribit: *Canon quoque paratus fuerat cum anathemate in eum, qui diceret, Matrimonia consummata ob adulterium dissolvi. Sed Oratores Veneti die* XI. *Augusti, cum ipsis posterior modulus ostensus est, solenniter exposuerunt Conventui, Venetam Rempublicam semper conjunctissimam fuisse Apostolicæ Sedi, & Conciliis œcumenicis ejus auctoritate celebratis, pioque semper studio amplexam ac veneratam decreta sanctionesque inde profecta, utpote divinam gloriam, animarum salutem, pacemque Christianorum promoventia. Verum ab eo, quod septimo canone parabatur, nisi moderatione aliqua reformaretur, inferri posse non modicam offensionem Orientis Ecclesiæ; præsertim vero Venetorum insulis, Cretæ, Cypro, Corcyræ, Hacyntho, Cephaleniæ, & aliis multis, non solum cum publicæ quietis, sed cum Ecclesiæ Catholicæ detrimento. Compertum esse Patribus, tametsi Græca Ecclesia a Romana ex parte dissentiret; non tamen eo desperationis deventum esse, ut meliora sperari non possent: præsertim cum Græci in subjectis Reipublicæ locis degentes,*

quamvis suo ritu viverent; tamen Præsulibus a Romano Pontifice assumptis obtemperarent. Eapropter tum rerum convenientia, tum Oratorum munere se compelli, ne ipsi eos populos percuti sinerent ejusmodi anathemate, quo ad tumultum integramque a Sede Apostolica secessionem provocarentur. Satis constare, in more positum apud Græcos, vt vxorem adulteram deserant, & aliam ducant, vetertimam majorum consuetudinem, vt ipsi dicunt, secuti: nec idcirco illos damnatos, aut anathemate perculsos fuisse ab vlla Synodo œcumenica, etiamsi Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ hujusmodi mos liquido innotuisset. Existimare igitur Oratores, sui esse muneris, quam efficacissime possent, postulare vt voces illæ canonis adeo moderate lenirentur, ne Græcis detrimentum inferrent; præsertim intentato anathemate, quod dubium non erat confici posse, non solum nulla parta Ecclesiæ Catholicæ indignitate, sed fortasse retenta plurimorum Doctorum reverentia. Posse quantum ipsi rebantur, & obtineri quod Synodus intendebat, & Reipublicæ satisfieri, canone ejusmodi verbis conflato: Anathema sit, si quis dixerit, sacrosanctam Romanam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quæ mater & magistra aliarum est, errasse aut errare, cum docuit & docet propter adulterium alterius conjugum Matrimonium non posse dissolvi, nec vtrumque, vel etiam innocentem conjugem, qui causam adulterio non dedit, debere novum Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera alteram duxerit, & eam, quæ dimisso altero alii nupserit. Propterea rogari Patres ab Oratoribus, vt vel ea, vel alia meliori ratione pro ipsorum prudentissimo arbitratu vellent in eo gratificari serenissimæ Reipublicæ, quæ semper sacrosanctæ Sedi Apostolicæ obsecuta plane fuerat, & erat obsecutura.

Hic sisto tantisper, vbi de Sede Apostolica sermo instituitur. Oratores hi noverant Curiam tempori sæpe, sed Sedem Apostolicam veritati semper servire. Curiam privatis sæpe, Sedem vero Apostolicam publicis commodis semper studere, nisi forte, quod vitari aliquatenus vix potest, subreptio vel obreptio interveniat. Sed cum intervenit, notum est illud beati Bernardi in epistola CLXXX. ad Innocentium II. *Hoc solet habere præcipuum Apostolica Sedes, vt non pigeat revocare, quod a se forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.*

Res plena æquitate & laude digna, vt de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam & summam Sedem. Pallavicinus continuo pergit.

Hoc exemplar ab Oratoribus propositum videbatur alicui ex ipsis, aut ex ipsorum Consiliariis notam hæresis haud inusturum opinioni contrariæ, sed vim duntaxat habiturum ad infligendum anathema temerariis in eo vituperatoribus Ecclesiæ, quæ optimis nixa fundamentis, eam doctrinam, tametsi non tanquam fidei dogma, tradebat. Aliud fortasse ab aliis considerabatur, nimirum per eam sanctionem non damnari tanquam hæreticam sententiam oppositam, nisi posita Ecclesiæ auctoritate, & non quasi divinis literis evidenter id repugnaret: adeoque parci dignitati sancti Ambrosii, qui, vt ipsi arbitrabantur, id scripserat; & etiam Græcorum nomini, donec illis in comperto non esset ab Ecclesia oppositum doceri, & donec ejus auctoritati contumaciter iidem haud refragarentur. Et paullo post: *Postea cum super ea re sententiæ dicerentur, Andreas Evesta Episcopus Legionensis, postulatum rejecit, affirmans ab Ecclesia non vsurpari eam damnandi formulam: Si quis dixerit, Ecclesiam errasse. Hanc veritatem esse certam ac firmatam in Synodo Milevitana cap.* XIII. *in sexta œcumenica & in Florentina, adduxitque ex Patribus Græcis Clementem Alexandrinum & Basilium. Quod si quis ex aliis deerraverat contrarium opinatus; complures tamen eorum qui adducebantur, alio sensu locutos fuisse: quod ille palam fecit, eorum dictis expensis. Et sane creditum est, si Evesta loquendi locus inter primos obtigisset, sicut inter postremos debebatur in Conventu, tantum ab eo numerum asseclarum pertractum iri, quantus ad refellendam petitionem satis fuisset. Verum reipsa plura suffragia consenserant, vt Oratoribus satisfieret.* Hæc Pallavicinus.

I. Venetorum Oratores magna quidem suis ad Tridentinos Patres admonitionibus consecuti sunt, majora consecuturi sine dubio, si Orientalis Ecclesiæ opportunitatibus Romanæ & Occidentalis Ecclesiæ opportunitates admiscuissent. Occidentalis & Romana Ecclesia in Arelatensi Concilio I. *Viris adolescentibus consulunt, vt dimissis propter adulterium vxoribus, non ducant alias:* haud consulturæ tantum, sed etiam prohibituræ, si juxta evangelicam & apostolicam doctri-

nam prohiberi potuisse credidissent.

II. Hispaniensis Ecclesia, quæ Occidentalis pars est non minima, id in Eliberitano Concilio fecit, quod Venetorum causam adjuvisset, & Andreæ Evestæ Legionensi Episcopo linguam occlusisset. Joannes Maldonatus, & ipse Hispanus, Concilium hoc a Venetorum partibus stare fatetur ingenue in caput XIX. Matthæi, licet ab eo Concilio dissentiat.

III. Romana Ecclesia iterum in responsionibus, quas intertoganti Bonifacio Moguntinensi Episcopo per Gregorium II. dedit, pro Venetis nervose dixisset, sed in duabus Synodis, quas Eugenius II. & Leo IV. habuerunt, & in vetere Pœnitentiali suo, quod publicam disciplinam exhibet, & quod multorum instar est auctorum & librorum, omnino perorasset.

IV. Perorationi huic vt cumulus accessissent duo. Unum est fidei professio, quam Romani Pontifices quatuor, Clemens IV. Gregorius X. Joannes XXI. & Nicolaus III. Orientalibus, vt eam in signum initæ cum Occidentalibus concordiæ ederent, obtulerunt. Hæc fidei professio relata est supra num. LXVIII.

Alterum familiarissima illa de Matrimoniorum dissolutione collocutio, in quam Eugenius IV. & Latini cum Græcis edita jam fidei definitione Florentiæ venerunt. Repetitam ex propriis monumentis collocutionem supra num. LXXI. proposuimus. Admissa collocutione Legati Venetorum suis infetuissent commodis; rejecta, Romana incommodi multum cepisset Ecclesia.

V. Evesta Legionensis Episcopus de Milevitanæ Synodi canone XIII. non ita locutus esset, vt locutus est, si beatum Augustinum qui Synodo interfuit, de hac materia in libro de fide & operibus cap. XIX. in libro I. de sermone Domini cap. XV. in libro I. de conjugiis adulterinis cap. VIII. & XXV. in libro I. Retract. cap. XV. & in libro II. earumdem Retract. cap. LVII. in tractatu IX. in Joannem, & in epistola LXXXIX. ad Hilarium quæst. IV. differentem vel legisset, vel audivisset.

VI. Evesta non laudasset Synodum sextam pro Quinisexta,

si sextam nullos edidisse canones novisset: non novit, quod imperfectæ scientiæ indicium est certissimum. Expetientia vero rerum magistra constat, scientiam minus perfecte comparatam in eo, qui præfervidi & tortuosi est ingenii, mala multa, sed bona pauca efficere posse; & si quæ bona efficiat, id casui & fortunæ deputandum est.

VII. Evesta non laudasset quoque Synodum Quinisextam seu Trullanam, si editos a Balsamone & Zonara in illius Synodi canones commentarios perlegisset.

VIII. Evesta Florentinam Synodum laudasset sincerius quam laudavit, si scivisset absolutam fuisse Synodum hanc, cui Græci Patres interfuerant, cum quod citare voluit, & sub nomine Florentinæ Synodi citavit, confectum est; scilicet decretum pro concordia Armenorum. Quidquid id est, supra exposuimus num. LXXII.

IX. Cum Evesta Clementem Alexandrinum adduxit, Origenem Clementis discipulum magistro longe superiorem ac doctiorem adducere omisit, & Constantinum Imperatorem, qui convenienter tractatui Otigenis legem tulit anno CCCXXXI.

X. Basilium quoque non adduxisset, si Basilii canonem IX. & Balsamonis ac Zonaræ in eum commentarios legendo percurrisset.

Porro autem Pallavicinus, vt sancti Ambrosii auctoritatem, qua vtebantur Oratores Venetorum, elevet, Joannis Maldonati & Philippi Labbæi opinionem, vt in margine indicat, secutus, dicit commentarios in epistolas beati Pauli non esse Ambrosii; sed vel Remigii, vel Hilarii Romanæ *Ecclesiæ Diaconi schismatici. At si sint Remigii seu Lugdunensis, seu Remensis, inde liquet horum commentariorum doctrinam Gallicanæ Ecclesiæ moribus non repugnasse. Remigius, vt ea ferebat ætas, vir erat doctissimus. Si vero sint Hilarii Romanæ Ecclesiæ Diaconi, inde quoque liquet, horum commentariorum doctrinam ab Romana non abhorrere Ecclesia, dummodo non fuerit alia tunc in ea, alia tempore Gregorii II. Eugenii II. & Leonis IV. doctrina de solvendis ob adulterium Mattimoniis.

Hilarii ſchiſma a ferendo hac de re teſtimonio non excludet apud eos, qui noverint Hieronymum Catholicos & hæreticos Antiſtites in vnam aggregaſſe ſententiam, cum certus quidam epiſtolæ ad Galatas locus eundem Hieronymum & Auguſtinum inter ſe commiſſos acriter teneret: qui noverint, Hieronymum & Theodoretum in explicandis Scripturis Theodotionem, Symmachum & Aquilam citare, quamvis illi ab Chriſtiana religione defeciſſent: qui noverint Catholicis tractatoribus agnoſcentes duas in Chriſto voluntatés hæreticos in ſexta Synodo adjungi: qui tandem noverint Stephanum I. Rom. Pont. vt ſuum de non rebaptizandis quibuſlibet hæreticis decretum confirmaret, ſic vſum fuiſſe diſciplina hæreticorum: *Si quis ergo a quacunque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, vt manus illi imponatur in pœnitentiam*, CUM IPSI HÆRETICI PROPRIE ALTERUTRUM AD SE VENIENTES NON BAPTIZENT, SED COMMUNICENT TANTUM.

Nunc ſupereſt, vt de vtroque canone, quem Pallavicinus exhibet, nonnihil dicamus. Si canon prior inter vulgatos Tridentini Concilii canones extaret, quinam ſubjicerentur anathemati, replicata traditionis memoria facile dijudicaretur; ſed quia non extat in dijudicanda re, tempus male collocaretur: abuti eſſet otio & literis, vt contentioſus funis duceretur. De poſteriori canone agendum eſt, qui inter vulgatos Tridentini Concilii canones extat, & quem Pallavicinus in Venetorum gratiam adornatum & emollitum eſſe ſignificat. In eo percutiuntur anathemate, qui dicunt *Eccleſiam errare*. Sűnt, opinor, heterodoxi. Sed quid ibi nomine Eccleſiæ intelligatur, non eſt facile ſuſpicari. Nam quo tempore Florentina habebatur Synodus, Orientalis Eccleſia certa quædam dirimebat Matrimonia, nec illa dicebat Occidentalem Eccleſiam errare, quod non ſimiliter Matrimonium dirimeret, & viciſſim Occidentalis Eccleſia non dirimebat Matrimonia, nec illa dicebat Orientalem errare, quod illa dirimeret Matrimonia.

An autem canonis iſtius argumentum diſciplinæ ſit vel dogmatis, haud difficile conſtabit ei, qui derivatæ ab initio

Eccle-

Ecclesiæ circa Matrimonii dissolutionem traditionis monumenta primum revolvet. Deinde revoluta monumenta illis aptabit regulis, quas Tridentinum Concilium ad sanciendum dogma vel disciplinam sess. IV. V. VII. XIV. cap. I. & V. sess. XXI. cap. IV. sess. XXIII. cap. I sess. XXIV. in doctrina de sacramento Matrimonii, præscripsit. Addendus est articulus ex forma juramenti professionis fidei. *Item sacram Scripturam* (puta Matthæi cap. V. versu XXXIII. cap. XIX. versu IX. Marci X. versu XI Lucæ cap. XVI. versu XVIII. cap. VII. prioris ad Corinthios epistolæ versu X. & XI.) *juxta eum sensum quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.*

Nunc ad finem decursæ traditionis observatione nova confirmandum est, quod in parte II. tractatus art. II. cap. II. statui, & argumentis VII. asserui, quæ videntur impedire, quominus facilitate tanta Constantini lex & Justiniani novella CXVII. de Matrimonio damnentur a quibusdam recentioribus, quanta damnari solent. Igitur in decursa traditione offendi neminem, qui Constantini legem vel Justiniani novellam ad examen revocaret & redargueret. Fuerunt quidam, qui ad caput V. vel XIX. Matthæi contra Judæos de libello repudii & de divortio varie disputaverint; sed qui cum Constantino vel Justiniano de ea re manum conseruerint, & Imperatores ex jure manu consertos ad Christum vocaverint, non fuerunt.

Imperator Zeno novam fidei formulam ita varie conscriptam, ut in eam hæretici perinde ac Catholici consentirent, edidit, & Henoticum appellavit: Illud Catholici Antistites rejecerunt, & inter alios Felix III. statim atque in Simplicii locum suffectus est. Nec Silvester Papa, nec alii Episcopi Constantino restiterunt ferenti legem, cujus initium est: *Placuit mulieri non licere.*

Gregorius Mauritio restitit ferenti legem, qua *ne milites in monasterio susciperentur*, prohibuerat, Imperatoremque eo adduxit, ut legem suam emolliret. Æquales Justiniani

Vvu

Pontifices ei non restiterunt ferenti legem, quæ est de diversis caussis divortiorum.

Clemens IV. Gregorius X. Joannes XXI. & Nicolaus III. cum fidei formulam obtulerint Orientalibus, vt cum Occidentalibus redirent in gratiam, Orientales a servandis Constantini & Justiniani legibus non absterruerunt. Non absterrere in tali rerum circunstantia, quid aliud est, quæso, quam illorum disciplinam asserere, & Venetorum caussam apud Tridentinos Patres fortiter orare?

Eugenius IV. Græcorum circa Matrimonii dissolutionem disciplinæ, quæ Imperatorum edictis asseritur, non restitit, ratus eam ad fidei dogma non pertinere: sed disciplinæ tantum rationem petiit, non petiturus tamen omni ex parte, si vetus illi occurrisset Romanæ & Occidentalis Ecclesiæ disciplina. Non repetam, quæ suo loco in hanc rem disseruimus, etiamsi digna sint quæ repetantur, infigantur & inculcentur.

Porro autem quidquid pro defensione Imperatorum & Clementis III. dici potest, breviter complector. Imperatores & Clemens III. πορνείας seu fornicationis nomen, quo Christus apud Matthæum vtitur, non solum pro stupro, sed etiam pro quibusdam aliis criminibus in Scriptura expressis acceperunt, eoque sic accepto suas de divortio leges condiderunt: nec Sacerdotes qui per orbem præsidebant Ecclesiis, repugnarunt, coram repugnaturi sine dubio vel omnes, vel aliqui certe, si per leges hujusmodi Christiana fides seu religio in periculum venisset. Quinetiam si quid peccatum esset ab Imperatoribus, tunc & regnum agendo & sacerdotium patiendo, parem culpam suscepissent, aut oppido quam falluntur Romani Pontifices octo, Celestinus I. Leo I. Hilarus, Felix III. Gregorius I. Leo II. Gregorius VII. & Paschalis II. quorum auctoritates in prima parte tractatus art. 1 cap. XI. descriptæ sunt, & vt murus aheneus objectæ volentibus condemnare, quæ vetus non condemnavit Ecclesia; & ideo minus congruenter pronuntiare, cum ad pauca respiciunt.

CAPUT VI.

Sub Ludovico Germaniæ Rege regia in Matrimonium potestas retenta.

VIDEAMVS modo an deterior sit Regum Germaniæ, vel Imperatorum Occidentis, quam Orientis conditio. Non commemoro hic, vt jam præmonui, quæ de causis impedimentisque Matrimonii edixerunt Imperatores, qui vna Galliæ Reges fuerunt. De iis jam actum est in altera tractatus parte. Quod autem de Ludovico Germaniæ Rege, qui ab anno DCCCXL. vsque ad annum DCCCLXXVI. claruit, proponimus, narratur in chronico, quod in monasterio sancti Bertini fuisse scriptum videtur. *Ludovicus Germaniarum Rex hostem suam contra Vinedos directam, & prospere agentem recepit, cujus filius & æquivocus contra patris voluntatem filiam Adalardi despondit; vnde satis animum patris offendit. Carolus obviam fratri suo Ludovico ejus colloquio fruiturus Coloniam pergit, & in talia collocutionum suarum verba patrem & filium de jam dicta præsumptione pacificat ea conditione, vt jam Adalardi filiæ non copuletur.* Sic igitur dissolutum fuit illud conjugium, quia contra civiles leges initum, quibus, ne filii contra parentum voluntatem inirent, cautum est.

CAPUT VII.

Sub Henrico III. Imperatore regia in Matrimonium potestas retenta.

QUÆ pro conservando suo in Matrimonium jure Henricus, qui ab anno MXLVII. vixit vsque ad annum MLVI. gessit, ea sic se habent lib. III. Annalium Flandriæ

ad annum MLIX. quibus consentiunt Annales Hannoviæ manuscripti in Bibliotheca Navarrici in Parisiensi Academia Collegii : *Balduinus Insulensis Flandriæ Comes, defuncto Hermanno Montensi Comite, magnis viribus invasit Hannoviam & Richildem Hermanni viduam, quæ Montensem Comitatum & omnem Hannoviæ terram & jure dotis & procuratione liberorum possidebat, rapuit, filioque in Matrimonium collocavit. Tunc Leo IX. cujus neptis erat Richildis, & Henricus III. pro suo quisque jure, adversus Balduinum & viduam acerrime pugnarunt: ille dirarum fulmine, hic bellorum acerbitate. Dirarum causa fuit, quod Apostolicam Sedem de prohibitis gradibus non consuluerat: bellorum causa, quod Hannovia imperialis juris esset.* Vel, vt Annalibus Hannoviæ scribitur: *Cujus* (Matrimonii) *ratione Imperator Henricus commovit bella contra dictum Balduinum, ex eo quod viduam, quæ erat sub Imperatoris tutela, sine cujus licentia rapuerat, & Matrimonio conjunxerat.* Matrimonium itaque, quod duplex rescindebat caput, raptus & Imperatoris dissensus, pœna duplex excepit. Porro diuturnior fuit pugna Cæsaris, quam Pontificis, qui quod suum esse credebat, liberaliter concessit. Nonnulli tamen dixerunt, non esse indictum ab Leone decretum anathematis, nisi ea lege, vt adempto sociali jure tori in perpetuum postea secubarent. Utut sit de Leonis facto, successor illius Victor II. in Agrippinensi Synodo, & Henricus I. Rex Francorum, dicuntur auctores fuisse pacis, quæ Cæsarem inter & Comitem subsecuta est. Itaque Imperator de suo jure decessit: & sic Matrimonium, quod dissentiente Cæsare nullum erat, eo postea consentiente ratum habitum est.

Ab hoc Imperatore aliud sumamus exemplum, quod Antonius Bonfinius lib. 11. decadis 11. rerum Hungaricarum ita refert: *Sophiam filiam forma spectatissimam, quam paulo ante Philippo Franciæ Regis filio sacra asseveratione spoponderat, rescissa affinitate conjugaturum in arctissimum æternæ pacis vinculum: quonam modo desponsatam filio Regis Galliæ gnatam rescissa præstantissima affinitate Andreæ filio spopondisset, nisi aliqua vehementi necessitate adactus ad eas conditiones descendisset.* Ex hoc certe videre licet, quousque in rescindendis aut curandis sponsalibus,

progrediatur ratio publicæ ſalutis. Hoc eſt, vt diuturnum graveque bellum, quod Germanos inter & Hungaros ardebat, extingueretur.

CAPUT VIII.

Sub Henrico IV. Imperatore regia in Matrimonium poteſtas retenta.

HENRICVS IV. Henrici III. ſucceſſor, quam a majoribus impediendi pro bono Reipublicæ conjugia procerum auctoritatem acceperat, ita conteſtatus eſt apud Guillelmum Neubrigenſem lib. IV. de rebus Anglicis cap. XXXII. Res ſic ſe habet: Philippus Auguſtus Rex Galliæ poſtridie nuptiarum facti velut pertæſus, maleficorum artibus ab vxore avertitur, eam repudiare cogitat, conſilio favent Bellovacorum & Carnutum Præſules, Comitis Palatini filiam, quæ conſobrina Imperatoris erat, expetiit, Imperator Francorum amantiſſimus vt Regi ſatisfaceret, Palatinum virum, vt ferebatur, in Imperio ſummæ poſt Cæſarem amplitudinis accerſivit: novi conjugii nuntius ad aures matris pervenit, hæc filiam de regio toro convenit, cum ea diligentius agit, ambæ præſumptum Iſburgic Reginæ divortium expendunt: ac tandem illud exemplum verita puella Regis nuptias abhorret, alium appetit conjugem, Henricum ſcilicet Saxonici Ducis filium; mater vero ad animum filiæ inclinata ei dicit: *Confide, filia, quia per maternam operam formidato liberata exemplo, optato potieris connubio. Mox eundem Henricum elegantiſſimum & ſtrenuiſſimum juvenem Regis Anglorum ex ſorore nepotem, virago mirabilis ſecretis literis advocavit. Ille feſtinus accurrit, filiam tradente matre accepit, & confeſtim ſolennis nuptiarum ritus peractus eſt. Interea*, inquit auctor, *novæ nuptæ pater ab Imperatore inductus, vt regiis filiam nuptiis honeſtaret, actæ rei repente famam accepit: Imperator quoque rem audiens, credenſque hoc præter ejus conſcientiam fieri minime potuiſſe, acri contra eum*

Vuu iij

motu excanduit, & ad se vocatum mordaciter increpavit: tum quia juvenem oderat; tum quia factum erat aliter quam volebat; tum quia stomachanti atque objurganti satisfaciens: Per salutem, inquit, tuam, Imperator, mea hoc neque voluntate, neque conscientia actum est. Sed conjugem meam consobrinam tuam contemplatione juramenti olim a me & illa felicis memoriæ patri tuo Imperatori Duci Saxoniæ præstiti absentem me credo patrasse. Unde tua mihi celsitudo succenset? Tum Imperator: Vade, inquit, & nebulone illo expulso rescinde quod actum est. Et ille: Noli, ait, sic loqui, Imperator. Nam eousque, vt dicitur, res processit, vt absque sempiterno filiæ meæ dedecore rescindi non possit. Hic primum advertatur, quid juris penes se esse Imperator agnoscat, ratus hoc Matrimonium præter suam conscientiam fieri minime potuisse. Deinde quid pro excusatione adferat Palatinus Comes. Non dicit Principis hac in re necessarium non esse consensum, aut jure impediendi conjugia procerum carere, immo ei tacite consentit. Quomodo igitur excusat sese? *Filia*, inquit, *jam nupsit alteri.* Sed qua id ratione factum? Volente quidem matre, & clam se; sed Imperatore conscio, qui nuper fatis concesserat. Postremo dum audita Comitis purgatione, inquit: *Vade, & nebulone illo expulso rescinde quod actum est.* Supponit profecto Matrimonium fuisse rescissioni obnoxium: de facto quippe, non de jure contractum, quia defuerat illius consensus. Neque vero ab Imperatoris consilio recedit Comes. Sic Imperatori modeste respondens: *Noli sic loqui, Imperator. nam eousque res processit, vt absque sempiterno filiæ meæ dedecore rescindi non possit.* Id est, si Matrimonium, quod jam consummatum est, solvatur, filia mea jam pro concubina habeatur necesse est. Ne tamen deinceps falso causetur quis, Imperatori Comitem haud paruisse, audi cur res aliter ac primum voluit Imperator, evenerit sine vllo juris sui damno. Desiit ille rescissionem vrgere, seu quia desiit Rex Galliæ filiam Comitis expetere, (compertum enim tunc est legitimum Regis cum Isburge connubium,) seu quia paternæ postea voluntati suam accommodaverit, atque ita legitimum evaserit Matrimonium.

CAPUT IX.

Sub Ludovico IV. regia in Matrimonium potestas retenta.

LUDOVICUS contractum inter Joannem Regis Bohemiæ filium, & Margaretam Karinthiæ Ducissam, Matrimonium dissolvit, quod Joannes ad opus Matrimonii foret inhabilis. En Ludovici diploma : *Ludovicus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, universis Christi fidelibus, quorum interest vel interesse poterit, in futurum manifestum esse volumus & facimus per præsentes. Quod in judicio coram nobis per se, seu per certos nuncios seu procuratores exposuit illustris Margareta Ducissa Karinthiæ & Tyrolis Comitissa, quod vir nobilis Ioannes Regis Bohemiæ filius, jamdudum sibi Matrimonio copulatus, & postmodum in ætate debita constitutus, ac per tanta temporum spatia secum habitans, quanta sufficiunt ac sufficere debent secundum statuta tam divinæ quam humanæ legis ad debitum carnalis copulæ per virum sive maritum suæ uxori reddendum; eadem Margareta in ætate sufficienti similiter constituta, & seipsam, ut conveniens fuerat, præbente & exhibente ad præfatam copulam carnalem explendam, non potuit dictus Ioannes neque valuit, sicuti neque valet, aut potest, nec unquam posse creditur in futurum, eandem carnaliter cognoscere sibi conjugem Margaretam, quemadmodum multis, & quasi omnibus possibilibus modis hoc tentans, eundem Ioannem impotentem, & omnino inhabilem ad opus præfatum se dicit expertam, ac adversus eundem Ioannem, filique præfatum defectum inexistere coram nobis in judicio se reddidit per experimenta sufficientia & testimonia qualibet ad hoc necessaria probaturam. Quare super hoc habito maturo & deliberato consilio suorum procerum & consiliariorum omnium, nostram clementiam atque justitiam una cum præfatis imploravit & requisivit instanter, ut eidem super hoc providere de convenienti remedio dignaremur, & taliter etiam, quod per jus sive sententiam nostram li-*

cite posset a supradicto Ioanne jam vocato marito sive conjuge suo, de Matrimonio separari propter casum. sive impedimentum prædictum, & ab eodem Ioanne totaliter sic absolvi. vt eidem de cetero ad nullum Matrimonii debitum teneretur; sed posset de seipsa & suis omnibus ordinare, secundum quod sibi expediens videretur. Nos vero, cujus debitum est omnibus ac singulis reddere justum ex officio & auctoritate, qua fungimur, præfatam Margaretam cum præfatis suis omnibus justitiam instantissime requirentibus & supplicantibus nostris dignum duximus exaudire, & nihilominus absque offensa juris præfati Ioannis jam vocati conjugis sui, si jus aliquod in contrarium habuisset, ad expeditionem seu terminationem litis præmissæ inter vocatos conjuges præfatos processimus. In hac forma videlicet, quod vocatos conjuges præfatos citari fecimus atque vocavimus in judicio coram nobis, assignantes eisdem secundum formam juris debitum atque tutum locum & temporis spatium, infra quod possent & deberent in judicio coram nobis comparere ad agendum & defensandum, & cetera faciendum, quæ necessaria forent pro inquirenda veritate super lite præfata Verum & Margareta jam dicta per se, seu per suos certos nuncios, sive procuratores sufficienter comparuit in judicio coram nobis per omnes terminos sibi assignatos, & cum omnibus probationibus & testimoniis sufficientibus ad convincendum sæpedictum Ioannem impotentem esse atque privatum naturali potentia ipsam carnaliter cognoscendi, aut quamvis aliam mulierem, seipsam quoque virginem vsque in tempus & diem datæ præsentis rescripti per sufficientia testimonia demonstravit. Supradictus vero Ioannes in præfatum judicium coram nobis impositi sibi defectus per præfatam Margaretam verisimiliter conscius, nec per se, nec per aliquem legitimum nuncium, sive procuratorem comparuit, tempore debito, sive statuto, nec quicquam in contrarium impositi sibi defectus per Margaretam præfatam per se vel per alium allegavit; sed contumax ex natura se convictum reddidit, atque confessum de his omnibus, quæ sibi per prædictam Margaretam fuerant tam imposita, quam probata, sufficientia quidem ad Matrimonii divortium inter ipsam & præfatum Ioannem per sententiam consummandum. Nec potest, nec vnquam cum veritate poterit sæpedictus Ioannes, aut quivis alter pro ipso judicem vel locum comparendi

per

per nos sibi assignatum allegare suspectum. Nam hactenus retroactis temporibus, tam Ioanni Regi Bohemiæ patri suo, quam etiam Carolo de Bohemia fratri suo, pluries & locis pluribus nostræ coactivæ potestati subjectis, fidum ac tutum placitandi nobiscum assignavimus locum, in quo personaliter affuerunt, & cum omni tranquillitate manserunt; ac inde absque molestia qualibet secundum ipsum beneplacitum recesserunt: quod & ante dicto Ioanni benigne offerri fecimus, & acceptare contempsit, vt supra jam diximus. Per auctoritatem ergo nobis rite debitam & concessam, & legi divinæ conformiter, sicuti certum est, & asserunt sacræ Scripturæ, sive divinæ leges atque civiles sententiæ sufficientes, ac comprobati Doctores, ad divortium sive separationem Matrimonii faciendam inter vocatos conjuges Ioannem & Margaretam prædictos procedere volentes atque debentes, infra scriptam sententiam tulimus in hæc verba: Nos Ludovicus IV. Dei gratia Romanorum Imperator Augustus pro tribunali judice sedentes in causa sive lite divortii seu separationis Matrimonii, quæ vertebatur inter illustres personas, Ioannem Regis Bohemiæ filium, requisitum parte ex vna, & Margaretam Ducissam Karinthiæ, & Tyrolis Comitissam, ex altera parte tanquam actricem, ac requirentem a dicto Ioanne jam vocato conjuge suo de Matrimonio separari. Visis & intellectis tam per nos quam præfatos Doctores juribus, rationibus, probationibus & testimoniis Margaretæ præfatæ, necnon contumacia jam dicti Ioannis: dicimus, diffinimus & determinamus, præfatam Margaretam separari debere seu posse de Matrimonio a sæpedicto Ioanne, eque converso, cum iisdem, vel ipsorum alteri id videbitur expedire. Ipsam quoque Margaretam hoc requirentem instanter, vt supra, separamus, absolvimus, & separatam esse judicamus in Matrimonio a jam dicto Ioanne, per hanc nostram sententiam diffinitivam. Simili quoque modo supradictum Ioannem a præfata Margareta in Matrimonio per auctoritatem & per nostram sententiam diffinitivam separantes. Ita videlicet quod de cætero præfatus Ioannes supradictæ Margaretæ in nullo Matrimonii debito teneatur, neque similiter præfata Margareta supradicto Ioanni; sed liberum sit vtrique de corpore proprio sive persona & omnibus bonis propriis, juribus ac rebus tam mobilibus quam immobilibus facere vel disponere, & quodlibet ordinare pro suæ propriæ libito voluntatis.

Ludovicus post dissolutum istud Matrimonium, Margaretæ veniam fecit, vt Carolo Marchioni Brandeburgensi consanguineo suo nuberet. Diplomatis verba sunt: *Nos Ludovicus IV. Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, universis Christi fidelibus, quorum interest, aut poterit interesse, notum esse volumus & facimus per seriem infra scriptam, quod in nostra præsentia personaliter constituti illustres, Ludovicus Marchio Brandeburgensis, & Margareta Ducissa Carinthiæ ac Tyrolis Comitissa, post habitum ipsorum maturum ac deliberatum consilium, animum atque actualem voluntatem habentes se invicem in Matrimonio legitime copulandi: dubitante tamen præfato Ludovico & Margareta, ne aliquo gradu affinitatis sanguinis tale conjugium sive Matrimonium humanarum legum aut Romanorum Principum statuto, decreto vel ordinatione alia quomodolibet appellata, impedimentum aliquod pateretur: supplicaverunt ac petiverunt instanter, tale impedimentum consanguinitatis, si quod inter ipsos affuerit vel adesset, per dispensationem nostram relaxari, ac per nostram auctoritatem atque sententiam totaliter amoveri. Nos vero propter communem & evidentem Reipublicæ vtilitatem manifeste visam sequi, ad conjugium supradictum præfatum impedimentum affinitatis sanguinis, si quod inter ipsos adesset, judicamus esse tollendum, & simpliciter amovendum. Cum gradus affinitatis sanguinis, præsertim infra sorores & fratres, Matrimonium non impediat, divinæ seu Christianæ legis statuto aliquo vel præcepto, quemadmodum certitudinaliter novimus tam per eos, quam per supradictæ legis divinæ idoneos ac probatos Doctores: idque etiam asserente beato Augustino lib.* XV. *de civitate cap.* XVI. *dum de talibus affinitatis sanguinis gradibus tractans inquit, quod hoc videtur Matrimonium licitum fieri inter affines & consanguineos, nec lex divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Quibus siquidem verbis duas sententias expressit Augustinus: vnam videlicet supradictam, quod lege divina legitimum Matrimonium fieri non est prohibitum inter personas sanguinis affinitate conjunctas. Secundam vero sententiam scire fecit; videlicet, quod talis prohibitio Matrimonii inter consanguineos fieri habeat auctoritate legislatoris humani, aut ejus principantis, supremi Principis Romanorum. Idem quoque concedere atque fateri convenit Romanum Epi-*

scopum, Papam vocatum, cum suorum Clericorum cœtu, quos Cardinales appellant, veritate cogente. Nam præfatus Papa Romanus super impedimento affinitatis sanguinis per dispensationem tollendo a sanguinis affinitate conjunctis, invicemque Matrimonium contrahentibus, ad suam auctoritatem asserit pertinere, ac in talibus Matrimoniis pluries dispensaverunt de facto præteriti quidam Pontifices Romanorum. Quod si talis gradus affinitatis sanguinis Matrimonium legitimum impediret, legis divinæ seu Christianæ præcepto, non posset aliquis hominum, quinimo neque angelus de cælo, dictum impedimentum per dispensationem aliquo modo amovere, hoc Christo testante: Facilius est cælum & terram transire, quam unum apicem a lege cadere. Rursusque idem Dominus dixit: Cælum & terra transibunt, verba autem mea permanebunt in æternum. Ex quibus manifeste apparet, ac fateri cogitur Romanus Episcopus, & per factum confirmatur ipsius, quod gradus affinitatis sanguinis non impediet Matrimonium fieri legis divinæ vel Christianæ præcepto: & quod si gradus affinitatis sanguinis quamquam licitum Matrimonium impediat fieri, hoc totum factum esset præcepto sive statuto legis humanæ. De cujus siquidem legis præceptis sive statutis dispensare solummodo pertinet ad auctoritatem Imperatoris seu Principis Romanorum. Nec obstat dicere, præfata Matrimonia esse prohibita lege divina, eo quod mali moris sunt: & propterea etiam peccata mortalia fore prohibita, ac proinde obligantia contrahentes ad damnationem æternam: & contrariam dispensationem in his ad ministrum solummodo Ecclesiasticum, Episcopum sive Presbyterum pertinere. Hic enim sermo rhetoricus sive apparens, sophisticus est: falsum namque recipit, quoniam præfata Matrimonia non sunt mali moris, præsertim in aliquo casu. Nam & ipsa, tamquam in casu licita, fieri concedit Romanus Episcopus. Nec etiam rursus mali moris sunt absolute loquendo, quoniam non sunt cum malitia convoluta confestim, veluti furtum & crimina reliqua: & propterea nec sunt lege divina prohibita, quemadmodum dixit beatus Augustinus. Non syllogizatur autem, neque concluditur propterea, dispensationem de talibus ad Episcopum quemquam sive Presbyterum pertinere. Esto quod sint absolute prohibita lege divina, & sub pœna damnationis æternæ: quoniam de his prohibitis nullus hominum, quinimo nec angelus de cælo, dispensare

posset vel ordinare sive concedere quod licite fierent, ut deductum est supra. Unde etiam juxta prædicta, de præceptis sacræ Scripturæ sive mandatis loquens Apostolus, inquit: Et si angelus de cælo evangelizaret vobis aliud præter id, id est, contra id quod evangelizatum est a nobis, anathema sit. Nec propter aliud, nisi quod evangelizata erant per Apostolum divina prohibita vel præcepta. Rursus, quoniam præfata Matrimonia non fuerunt mali moris, neque prohibita secundum legem veterem, quamvis aliquando peccata fiant, sive fuerunt in antiqua lege, non quod sunt absolute, sive confestim cum malitia convoluta, neque mali moris, sed solummodo, quod lege prohibita fuerant: veluti carnes porcinas & bestias non ruminantes comedere, quod ideo peccatum effectum est, quia prohibitum fuerat in lege Mosaica; non tamen propter malum, aut mali moris ex se, quemadmodum furtum, homicidium, falsum testimonium, & hujusmodi reliqua, quæ prohibita sunt legibus divinis & humanis, eoquod ex se mala sunt, & mali moris, confestim cum malitia convoluta. Ex his igitur omnibus jam prædictis manifeste apparet, cuilibet non corrupto ignorantia vel malitia, vel utraque, auctoritatem dispensandi atque tollendi a Matrimonio impedimentum inter personas, & a personis sanguinis affinitate conjunctis, ad Romanum Principem pertinere. Propter quod nos Ludovicus IV. Romanorum Imperator Augustus præfatum affinitatis sanguinis impedimentum, si quod esset inter præfatos Ludovicum & Margaretam, quominus possent aut prohiberentur per humanæ legis aut Romanorum Principum statuta seu decreta, vel alias ordinationes quomodolibet appellatas, in Matrimonio copulari, tollimus, & per nostram auctoritatem atque sententiam tenore præsentium totaliter amovemus. Concedentes eisdem ac cuilibet ipsorum, ut absque offensa cujuslibet juris humani, statuti vel ordinationis alterius quomodolibet nominatorum licite se possint ac valeant in Matrimonio copulari. Absolventes etiam eosdem, ipsorumque legitimos filios & filias ac heredes nunc & in perpetuum a pœna qualibet reali, personali & infamiæ, & alia quavis quomodolibet nominata, si qua foret imposita contrahentibus Matrimonium infra consanguinitatis gradus aliquos nominatos per quemquam Principem, Romanum etiam, vel per leges, aut communitatem aliquam, collegium vel singularem personam, cujuscunque auctoritatis vel dignitatis

existant. Quibus omnibus & singulis, & a quibus excipimus casum prædictum, de præfatis videlicet personis, Ludovicum & Margaretam jam dictos, & in quantum huic nostro rescripto sive dispositioni & concessioni nostræ contradicunt, totaliter aut in parte, per hoc ipsum præsens nostrum rescriptum derogamus, & volumus derogari, eodem nihilominus semper in suo robore duraturo. Hæc apud Bzovium tomo XIV. ad ann. MCCCXL. num. VIII.

Ludovicus Romanorum Imperator, qui tam potuit in Occidentali imperio, quam Græcus in Orientali subditis veniam dare, vt in prohibito consanguinitatis gradu Matrimonia contraherent, aut quam olim potuerunt in Italia Reges, quos nullus vnquam Pontifex de vsurpato Ecclesiæ jure postulavit. Etenim cum major non sit in dispensatione, quam in legum latione potestas: quidni dispensaret Imperator in lege, quæ ab aliis Imperatoribus jam tum primum instituta est? Non sum nescius gravissimas inter Ludovicum & tres continenter Pontifices intercessisse inimicitias: sed id vulnus refricare nec animus est, nec ad institutum quicquam confert. Fuerit licet Imperator in aliis rebus aut iniquus, aut perduellis: hac in re non prius damnari poterit, quam alii Principes, qui pari vsi sunt potestate, damnentur: quam Theologi omnes illi, qui jus ferendarum legum Matrimonia dirimentium tribuunt Principibus, damnentur: quam antiqui Pontifices, qui jus illud in Regibus & Imperatoribus agnoverunt, damnentur. Hic tamen scopulus est, ad quem ne allidant incauti, paucis præmonendum fuit.

Clemens VI. in sententia, qua Ludovicum Imperio privatum denuntiavit, inter septem damnationis capita recenset istud, quod nonnullos in prohibitis gradibus conjunxisset. Sed id fecit doctissimus Pontifex, non quod crederet legitimos Principes gradus affinitatis solo civili jure vetitos relaxare non posse: sed quod Ludovicum Bavarum verum ac legitimum Imperatorem non esse, persuasum haberet. Qua in re Pontifex illatam legitimis Principibus injuriam vindicavit potius, quam vllum civili potestati, regiæ vel imperatoriæ, detrimentum attulit. Clemens enim cum Ludovicum pro Imperii invasore duceret, non vltra quam alieni juris

invaſorem in data diſpenſatione damnavit. Contra vero cum Ludovicus de facto (quod vti & jus Deo judicandum relinquimus) ſe pro vero Imperatore gereret, in concedenda illa conjugii licentia, civilis poteſtatis fines non tranſilivit, nec quod alienum erat, vſurpavit aut ſuo, aut aliquo Pontificis, qui rem ſuis momentis expenderit, ſenſu.

ARTICULUS II.

Quæ in cauſis impedimentiſque Matrimonii plerique Occidentalium partium Reges & Principes egerint, attinguntur.

IN hac tertia parte breviores erimus quam in ſecunda, quæ ſolos Galliæ Reges occupavit: brevitatis hujus cauſæ ſunt omnino duæ. Et primum quidem, quod Galliæ regnum cetera Occidentis regna & principatus diuturnitate temporis antecedat, eamque ob rem plura ſui in Matrimonium Principum & aliorum ſubditorum juris monimenta ſuppeditet. Deinde, quod non licuerit pleroſque aliarum Occidentis nationum libros & annales evolvere, in quibus quid Principes juris in Matrimonium procerum & aliorum retinuerint ſemper, contineri poteſt. Quæ tamen daturi ſumus, cordatis hominibus ſufficient, ſi illa præſertim prima tractatus parte ſuſtententur.

CAPUT I.

Sub Reccaredo Gothorum in Hiſpania Rege regia in Matrimonium poteſtas retenta.

RECCAREDUS qui Gregorio I. Pontifice eminuit, ſuam in Matrimonium poteſtatem declarare non po-

tuit manifestius, quam statuere leges, quibus subditorum conjugia disponantur, impediantur vel permittantur. Hic ergo Rex in lib. III. legum Wisigothorum cap. I. tit. I. edixit, vt tam Gotho Romanam, quam Romano Gotham Matrimonio sociari liceat : *Sollicita cura in Principe esse dignoscitur, cum pro futuris vtilitatibus beneficia populorum providentur : nec parum exultare debet libertas ingenita, cum fractas vires habuerit priscæ legis abolitæ sententia, quæ incongrue dividere maluit personas in conjuges, quas dignitas compares æquaverit in genere : ab hoc meliori proposito salubriter censentes, priscæ legis remota sententia, hac in posterum valitura lege sancimus, vt tam Gothus Romanam, quam etiam Gotham Romanus, si sibi conjugem habere voluerit, præmissa petitione dignissima facultas eis nubendi subjaceat, liberumque sit libero liberam quam voluerit, honesta conjunctione consulta, perquirendo prosapiæ solenniter consensu, Comite permittente, percipere conjugem.* Huic legi Pontificum nemo restitit, aut de vsurpato Sacerdotum jure conquestus est.

Deinde in lib. III. cap. I. tit. III. hanc de adulteriis incestivis legem tulit : *Nullus præsumat de genere patris vel matris, avi quoque vel aviæ, seu parentum, vxoris, fratris etiam desponsatam, aut viduam, vel propinquorum suorum relictam, sibi in Matrimonio copulare, vel adulterio polluere. Ita vt vsque ad sextum generis gradum nulli liceat sanguinis propinquitatem libidinose fœdare, vel in conjugio appetere, exceptis illis personis, quas per ordinationem atque consensum Principum ante hanc legem constat adeptas fuisse conjugium, quæ nequaquam per legis hujus edictum teneri poterunt ad reatum. Similis & de mulieribus ordo servandus est. Qui vero contra hanc constitutionem præsumpserint facere, judex eos non differat separare, vt a tam nefanda pollutione divisi juxta qualitatem sexus in monasteriis delegentur, illic jugiter permansuri.* An potuit, quæso, Rex explicatius loqui, vel nervosius ? Qui contra Regis edictum Matrimonia contrahunt, ab judice (ni fallor, sæculari) separantur, & in monasteria relegantur perpetuo mansuri.

CAPUT II.

Sub Ervigio & Egicane regia in Matrimonium potestas retenta.

HOc jus regium, qua secundas Reginarum Hispaniæ nuptias attinet, in duobus confirmatum est Conciliis, quorum vnum est Toletanum XIII. quod anno DCLXXXII. coactum est Ervigio Rege, cap. V. *Ne defuncto Rege, relictam ejus conjugem, aut in conjugio sibi quisquam, aut in adulterio audeat copulare. Non hoc securis Regibus licitum, non cuiquam hominum licebit esse permissum. Qui hanc sententiam violare præsumpserit, sit ab omni Christianorum communione seclusus, & sulphureis cum diabolo contradendus ignibus exurendus.*

Alterum est Cæsaraugustanum III. quod anno DCXCI. Egicanis Regis jussu habitum est, de quo hæc Spondanus in Epitome Baronii: *Inter alia vero cum jam antea Toletanum decimum-tertium statuisset de vxoribus Regum, ne post eorum obitum ad secunda vota transirent, (ne videlicet occasione nuptiarum Reginæ daretur alicui animus invadendæ tyrannidis) in præsenti nunc Cæsaraugustano, quo facilius ejusmodi pericula evitarentur, additum præterea est, vt relicta Regis post ejus obitum vestem regiam deponeret, religiosamque induens cum monialibus in monasterio vitam transigeret.* Hic notanda sunt duo. Primum est, legem hanc, quæ secundas Reginarum Hispaniæ nuptias prohibet, ab Ervigio Rege conditam esse. Unde in Concilio Toletano dicitur obtulisse tomum, in quo indicat se velle leges constituere. Et sane nulla lex est, cujus argumentum ad regiam auctoritatem magis referri debeat, quam quæ secunda Reginarum vota spectat.

Alterum, hanc legem ab Episcopis, qui hæc duo celebrarunt Concilia, duplici modo confirmatam esse: vno quidem, qua politicæ societatis membra sunt, & civilem personam sustinent, dum ne Reginæ post obitum mariti nubant, tanta

cum

cum severitate decernitur. Altero vero, qua Clericorum duces & capita, Ecclesiasticamque personam gerunt, dum legem, quæ Hispaniæ saluti, civium incolumitati & quieti plurimum consulit, & a Rege, & a seipsis tanquam præcipuis regni partibus institutam anathemate communiunt, & illius violatores ab omni Christianorum communione secludunt, & sulphureis ignibus cum diabolo exutendos tradunt: quo ex supplicii genere legem justissima de causa sancitam esse persuadent. Quod autem Episcopi qua Episcopi hanc legem non tulerint, confirmari potest ex iis, quæ prima tractatus parte art. IV. cap. III. disputavimus.

CAPUT III.

Sub Henrico I. Castellæ Rege regia in Matrimonium potestas retenta.

NUNC ad exempla veniendum est, quamvis ubi tam illustres sunt leges, exempla non desiderentur. Sub Henrico I. qui ad annum MCCXIV. regnabat, unum suppeditat Rodericus Sanctius Palentinus Episcopus lib. III. Hist. Hispanicæ cap. XXXVIII. *Henricus hujus nominis I. cum esset puer annorum undecim, statim mortuo Alfonso VIII. patre suo in regnum assumitur: matre ejus defuncta, regni gubernationem suscepit nobilissima Domina Berengaria soror sua.* Et post alia: *Alvarus Comes filius Nunii Comitis specialem curam Regis suscepit.* Et post alia: *Tentaverat Alvarus Henricum Regem puerum filiæ Regis Portugalliæ nuptui tradere, Regina & magnatibus invitis, idque de facto obtinuit. Et quia se contingebant consanguinitatis gradu, nec ad quietem regni expediebat, ab Innocentio III. celebratum est inter eos legitimum divortium, super quo emanavit illa famosa Decretalis Etsi. de donationibus inter virum & uxorem.* Duo ex hac narratione colligimus. Primum quidem, Henricum cum filia Regis Portugalliæ, Regina & magnatibus invitis, Matrimonium contraxisse. Alterum vero, duas ob

causas factum fuisse divortium, tum quod sese consanguinitatis gradu contingerent, tum quod ejusmodi conjugium publicæ tranquillitati multum incommodaret. Prima causa licet ad divortium sufficeret, secundam tamen minus habuisse virium, nemo est qui merito repugnet; quod facilius primæ quam secundæ potuisset remedium adhiberi. Quæ gratia proletariis hominibus quotidie conceditur, Regibus ac Principibus cur denegaretur? vt interim ab ipsis Regibus impedimentum consanguinitatis manasse taceamus.

Ceterum, si Sanctius, si Mariana, si alii Hispanicarum rerum scriptores Decretalem Innocentii repræsentassent integram, plurimum ex ea lucis huic rei affulsisset. Videsis illius Decretalis fragmentum, quod inter Innocentii Papæ constitutiones extat; sed nihil vel ad propinquitatis gradum, vel ad regni quietem comperies.

CAPUT IV.

Sub Ferdinando V. vel ejus successore regia in Matrimonium potestas retenta.

NON adferimus exemplum, quo quidem Matrimonium dirimi probetur; sed quo ne illud contra regni pacem contrahatur, provisum constat. Isabella Ferdinandi, qui anno MCCCCLXXV. regnare cœpit, filia, cum a tribus potentissimis Principibus, Alfonso Lusitaniæ Rege, Ferdinando Arragoniæ Principe, & Carolo Aquitaniæ Duce, Regis Gallorum fratre, ad nuptias expeteretur: *Rem*, inquit Lucius Marinæus lib. XIX. Hist. Hisp. *illa detulit ad consiliarios & regni proceres atque Pontifices, quos sibi benevolos fidelesque cognoverat: qui prudenter omnia cogitantes, demum pensitatis omnibus competitorum partibus, & regni paci quietique futuræ consulentes, Isabellæ consortium Ferdinandi Siciliæ Regis maxime convenire dixerunt.* Seu, vt refert Nebrissensis lib. I. decad. I. rerum gestarum a Ferdinando & Isabella: (postquam Cardinalis Al-

biensis orationem præmisit, & Isabellam se erga Regem Galliæ excusantem sic induxit) *Simul etiam dicebat se agere Ludovico Regi gratias immortales pro eo animo, quem erga se resque suas ostendebat, quodque dignam existimaret, cui fratrem Matrimonio conjungi peteret; sed ea de re omnem curam in regni proceres optimatesque rejecisse, quandoquidem sibi non esset pater qui patrimonium fundaret, neque frater qui vtriusque parentis curam sustineret. Rogabat praterea Cardinalem, vt se apud Regem excusaret, quod non fuerit in potestate sua, vt illius voluntati obsequeretur, quoniam hæc deliberatio jam non ex sua, sed ex optimatum consultatione pendebat.* Quod pridem evenerat in Henrico, ne in se eveniret, Isabella timuit. At cur timuit, nisi publica regni pax foret regula, ad cujus amussim contrahenda procerum Matrimonia exigerentur?

CAPUT V.

Sub Philippo II. regia in Matrimonium potestas retenta.

QUIBUS in literis Philippus II. anno MDXCVIII. die VI. Maii omne jus Belgicarum provinciarum transscripsit Isabellæ filiæ, dum Archiduci Alberto nupsit, statuitur, regii sanguinis mulieres, & alias hujus loci Principes feminas non posse cuiquam nubere, quin idem Rex Philippus, vel ejus heredes, atque in regno Hispaniæ successores consentiant. Transscriptionis articulus hic est: *Item transscriptio seu cessio ea facta est conditione, vt Principes & domini harum provinciarum teneantur liberos consilio & assensu ejusdem Hispaniæ Regis, heredum, & in Hispania successorum in Matrimonio collocare.* Hac autem transscriptione ii, de quorum Matrimonio agitur, ad contrahendum Matrimonium redduntur inhabiles, nec habiles fiunt, nisi transscriptio servetur.

CAPUT VI.

Sub Alamannis & Bajuvariis regia in Matrimonium potestas retenta.

QUID Alamanni & Bajuvarii de caufis impedimentifque Matrimonii fenferint, aliunde fciri melius nequit, quam ex eorum legibus, quarum fpecimina quædam fubjicimus ex titulo XXXIX. de illicitis nuptiis tit. VI. cap. I. *Nuptias prohibemus inceftas: itaque uxorem habere non liceat focrum, nurum, privignam, novercam, filiam fratris, filiam fororis, fratris uxorem, uxoris fororem: filii fratrum, filii fororum inter fe nulla præfumptione jungantur. Si quis contra hæc fecerit, a loci judicibus feparetur, & omnes facultates amittat, quas fifcus acquirat: fi minores perfonæ funt, quæ fe illicita conjunctione polluerunt, careant libertate, & fervis fifcalibus aggregentur.* Hæ communes funt Alamannis & Bajuvariis leges, ex quibus & quomodo, & inter quas perfonas, & a quibus judicibus Matrimonia dirimerentur, apparet.

CAPUT VII.

Sub Longobardorum Regibus regia in Matrimonium poteftas retenta.

INTER Alamannorum, Bajuvariorum & Longobardorum leges reperiuntur iftæ, quas Luitprandus Rex, qui anno DCCXII. regnare cœpit, tulit, lib. VII. cap. IV. *Hoc autem Deo annuente ftatuere prævidimus, ut amodo nullus præfumat relictam de confobrino, aut fobrino fuo uxorem ducere. Si quis autem hoc quod illicitum eft, amodo facere præfumpferit, amittat fubftantiam fuam; & qui de tali conjugio nati fuerint, legitimi heredes non*

existant, nisi parentes, propinqui; & si parentes & propinqui non fuerint, curtis regia succedat. Hoc autem ideo affiximus, quia teste Deo & Papa urbis Romæ, qui in omni mundo caput Ecclesiarum Dei & Sacerdotum est, per suam epistolam nos adhortatus est, ut tale conjugium fieri nullatenus permitteremus. O illustre Pontificis exemplum! quicquid juris Regum est, ille non vendicat sibi: sed Reges ad sancienda Matrimonii impedimenta paterna benignitate cohortatur.

Idem Luitprandus cap. V. *Item hoc censemus atque præcipimus, ut nullus præsumat commatrem suam ducere uxorem; sed nec filiam, quam de sacro fonte levaverit, neque filius ejusdem præsumat filiam illius uxorem ducere, qui eum de fonte suscepit, qui spirituales germani esse noscuntur: & qui hoc malum facere tentaverit, perdat omnem suam substantiam; & filii, qui de tali illicito Matrimonio nascuntur, heredes esse non debent, nisi propinqui, parentes; & si propinqui & parentes non fuerint, curtis regia succedat ei. Ubi autem inventi fuerint, qui suprascripta illicita conjugia contraxerint, de præsenti separentur, & pœnæ suprascriptæ subjaceant.* Hac lege Luitprandus spiritualem cognationem in impedimentum dirimens instituit, & natos ex contracto adversus legem suam conjugio spurios, & ad paternam hereditatem ineptos decernit.

CAPUT VIII.

Sub Rogerio Siculorum Rege regia in Matrimonium potestas retenta.

INTER Siculas constitutiones lib. III. cap. I. Rogerius, qui regnare cœpit anno MXC. sic edicit: *Sancimus lege præsenti volentibus omnibus contrahere Matrimonium, necessitatem imponi universis hominibus regni nostri, & nobilibus maxime, post sponsalia celebrata, solennitate debita, & sacerdotali benedictione præmissis, Matrimonium solenniter & publice celebrari, alioqui noverunt amodo morientes contra nostrum regale edictum,*

neque ex testamento, neque ab intestato se habiturum heredes legitimos ex clandestino Matrimonio & illicito contra nostram sanctionem procreatos: mulieres etiam dotes aliis nubentibus legitime debitas non habere, rigorem cujus sanctionis omnibus illis remittimus, qui promulgationis hujus tempore jam Matrimonium contraxerunt: viduis autem volentibus ducere uxorem, hujus necessitatis vinculum relaxamus. Ecce tibi Matrimonium clandestinum apud Siculos politicis legibus irritum.

Ceterum æquales Rogerio quinam Romani fuere Pontifices? Viri fortasse languidi, ignavi, debilitata virtute & fracto animo? Minime vero: fuere viri fortissimi, & acerrimi sacerdotalis auctoritatis, & rerum ad eam spectantium defensores ac vindices, Urbanus II. Paschalis & Callistus II. successores Gregorii VII. qui primus deturbandorum e solio Principum potestatem sibi arrogavit. Pontifices illi tres, eorum quæ contra Henricum Imperatorem egerat Gregorius, confirmatores accesserunt. Urbanus II. Philippum Francorum Regem ab Ecclesia segregavit in Claromontensi Concilio. Hos ergo Pontifices, Urbanum, Paschalem & Callistum, qui noverit, hos in vindicandis sacerdotalis ordinis juribus tardos ac remissos fuisse dicturus est nunquam, nisi mentiri velit impudentissime. Rogerium leges quas retulimus ferentem viderunt, & suo silentio comprobarunt: idque Gregorius VII. duobus in locis testatur. Prior est in libri II. epistola v. ad plures Archiepiscopos & Episcopos, vbi ita scribit: *Vos fratres in culpa estis, quia dum perditissimis factis sacerdotali vigore non resistitis, proculdubio nequitiam consentiendo fovetis.* Posterior in libri III. epistola I. ad Episcopos, Abbates & Duces Romani Imperii: *Melius est nobis debitam mortem carnis per tyrannos si oportuerit subire, quam nostro silentio, timore vel commodo, Christianæ legis destructioni consentire; sanctos quippe Patres nostros dixisse scimus: Qui pravis hominibus sui consideratione officii non contradicit, consentit; & qui resecanda non aufert, committit.* Igitur conticuerunt Urbanus, Paschalis & Callistus, quia jure suo vtebatur Rex Siciliæ, nec eum extra sæcularis potestatis metas excurrere judicarunt. Sic partici-

pes non fuerunt criminis, quod ex silentio Gregorius VII. impendere significat.

Hugo Falcandus in Historia Siciliæ meminit Rogerii constitutionum, quas Guillelmus successor vltra modum protenderat. *Enimvero*, inquit, *Regem, si sua facta discutiat, magis debuisse mirari, quod regni proceres velut in servitutem se redigi tandiu sustinuerint, quam quod adversus eam multis injuriis provocati, vix tandem impatientia doloris exarserint. Ut enim cetera quæ perpessi fuerant, omittantur, miserrimum esse, vel apud servilis conditionis homines, filias suas innuptas domi toto vitæ tempore permanere: nec enim inter eos absque permissione Curiæ Matrimonia posse contrahi, adeoque difficile permissionem hanc hactenus impetratam, vt alias quidem tunc demum liceret nuptui dari, cum jam omnem spem sobolis Senatus ingruens sustulisset; alias vero perpetua virginitate damnatas sine spe conjugii decessisse. Nunc autem totius regni viros nobiles, seque cum illis hoc Regem postulare, hoc requirere, vt de his aliisque perniciosis legibus antiquatis eas restituat consuetudines, quas avus ejus Regerius Comes a Roberto Guiscardo prius introductas observaverit, & observari præceperit: alioqui si contra antecessorum statuta niti voluerit, hoc eos minime diutius perpessuros.* Sic apud Siculos in more positum erat, vt viri nobiles non ante contraherent Matrimonium, quam Rex in illud consentiret. Et quamvis Guillelmus I. Siciliæ Rex in vsu juris sui modum haud servaret, & cum viris nobilibus hac in re paullo inhumanius ageret; tamen Pontifex, qui tunc Sedi præsidebat Apostolicæ, illum jure suo adeo non privavit, vt non correxerit, aut corrigendum susceperit, quod corrigendum fuit. Tunc antiquatæ non sunt, (vt viri nobiles postulabant) leges quibus Rex vtebatur immoderatius: sed vsus retentus est commodior, & modus servatus convenienter edictis, quæ majores sanxerant. Id cum in aliis, tum in eo quoque liquet, quod auctor postea hoc modo narrat: *Per idem tempus Richardus de Sagio Panormum veniens vxorem suam sororem Bartholomæi Perisini secum adduxerat, vt ea dimissa neptem Archiepiscopi Capuani nobilissimam meretricem, cujus amore dudum captus fuerat, Matrimonio sibi conjungeret. Hic cum Apuliæ diu Capitaneus & Magi-*

ster Comestabulus extitisset, toties aliis rebellantibus fidem inconcussam retinens, nunquam ab Rege defecit. Quem Regina benigne suscipiens, dedit ei comitatum Richardi de Aquila Fundani Comitis, qui sine spe reditus in Romanorum finibus exulabat. De solvendo quoque Matrimonio præcepit Curiæ familiaribus, vt convocatis Episcopis aliisque personis, & auditis vtriusque partis allegationibus, quod inde dictaret æquitas, expedirent. At illi rogaverunt Cardinales, vt ejusdem interessent examinationi negotii, eo quod ipsi promptiorem harum rerum haberent notitiam, cum Romana Curia frequenter super hujusmodi causis cognosceret. Ioannes ergo Neapolitanus eorum facile petitioni consensit. Episcopus autem Hostiensis viro honestatis non dubiæ, cum socium suum vidisset muneribus & gratia esse corruptum, eoque ipso recte judicandi libertatem sublatam, nullis precibus adduci potuit, vt eorum vellet judiciis interesse. Causa vero propter quam prædictus Richardus putabat oportere dissolvi conjugium, hæc erat, quod se dudum ante contractum Matrimonium, cum quadam vxoris suæ consobrina rem habuisse dicebat. Cujus rei testes processerunt milites duo, hoc se vidisse certissime protestantes. Quod cum adversa pars denegaret, essentque qui falsum eos perhibere testimonium probaturi assererent, causam ejusmodi crederent; & si constaret, ad solvendum Matrimonium posse sufficere. Sed vt objecti consanguinitatis suæ criminis injuriam propulsarent, Cardinalis rem breviter satagens definire, prædictos testes jurare præcepit: inde soluto Matrimonio, & ab vtriusque parte de non coeundo deinceps præstito sacramento, Richardo potestatem dedit ad secundas nuptias licite transeundi.
Ex his apparet non Romanum Pontificem, sed Reginam præcepisse, vt matrimonialis causa, qua de agitur, a familiaribus Curiæ, ab Episcopis & Cardinalibus dijudicaretur.



CAPVT

CAPUT IX.

Sub Frederico II. Imperatore regia apud Siculos in Matrimonium poteſtas retenta.

QUÆ de Comitibus, Baronibus, & aliis Matrimonium contrahentibus ſtatuit Fredericus Imperator, hæc ſunt tit. XXI. cap. I. *Honorem diadematis noſtri debitum conſervantes, præſenti conſtitutione ſancimus ubique per regnum, ut nullus Comes, Baro, vel miles, vel quilibet alius, qui baronias, caſtra, vel feuda in capite a nobis tenet, vel ab alio, quæ in quaternionibus Doanæ noſtræ inveniuntur in ſcriptis, ſine permiſſione noſtra uxorem ducere, aut maritare filias, ſorores aut neptes, vel quaſlibet alias, quas ipſi poſſent aut debeant maritare, aut filios uxorare cum immobilibus aut mobilibus præſumat, huic legi conſuetudine, quæ in aliquibus regni partibus obtinuiſſe dicitur, nonobſtante.* In hâc lege, tum ex illius fine, tum ex rei & pœnæ gravitate, non aliud præter impedimentum dirimens ſtatui aptiſſime colligitur.

Deinde aliam edidit conſtitutionem, qua vetat, ne ſine ſua vel Curiæ permiſſione cum alienigenis Matrimonium contrahatur. *Cum hereditarium regnum noſtrum Siciliæ, cujus præclara nobis hereditas laudabiles mores ſuorum incolarum conſueverit enutrire, ac proceſſu temporis habitatores ipſius ſervitii, & fidei exhibitione claruerunt. In neceſſitatibus dominorum ſæpe tam contigiſſe dolemus, quod poſt diverſarum mixturam gentium paſſa eſt ex alienis moribus regni ſinceritas corruptelam. Itaque ex quo homines regni Siciliæ ſe cum alienarum filiis miſcuerunt, denigrata eſt puritas hominum, & excreſcente dierum malitia, & infirmitate mentium inquinata, converſationibus & uſibus ceterorum veritas decrevit in populis, & ab illorum fermento grex eſt fidelium maculatus. Ne timeatur ergo deinceps cohabitantium in regno diverſitas nationum, magna illatura diſcrimina, vel ad regni magna incommoda progreſſura: volentes hominum diverſitatibus competens*

adhibere remedium, præsertim ne in regno nostro gentium infirmitas nutriatur, edicto generali solenniter duximus statuendum, vniversis de regno & singulis inhibendo, vt nulli liceat amodo de filiis & filiabus regni Matrimonium cum exteris & alienigenis, qui, vel quæ non sunt de regno, absque speciali requisitione & mandato ac consensu nostræ Curiæ contrahere; eo videlicet modo, vt nec aliqua regno nubere alienigenis audeat, nec aliqui filias alienigenarum ducere in vxores: eos qui contra præsumpserint, bonorum omnium spoliatione multamus. Hæc ex legibus regni Siciliæ & Neapolis, quæ in vnum collectæ & promulgatæ fuerunt ab Imperatore Frederico ad annum MCCXXI. Sic Principes variis modis publicæ tranquillitati consulunt, nunc impedimentis, quæ Matrimonia dirimant; nunc fortunarum abdicatione, quæ subditos nonnumquam ferit potentius.

CAPUT X.

Sub Haroldo Anglorum Rege regia in Matrimonium potestas retenta.

QUo tempore Haroldus Anglorum Rex erat, eo vel maxime regiam in Matrimonium procerum auctoritatem viguisse docet Eadmerus in historia Novorum, vbi res Guillelmi Normanniæ Ducis, & Haroldi Regis Anglorum sic persequitur: *Dein venit nuncius in Angliam a præfato Willelmo directus, expetens sororem Haroldi, juxta quod convenerat Willelmo & illi. ad quæ Haroldus hæc respondisse fertur: Soror mea, quam juxta condictum expetis, mortua est.* Et post pauca: *Si de filia sua, quam debui in vxorem, vt asserit, ducere, agit super Regem Angliæ, mulierem extraneam, inconsultis Principibus, me nec debere, nec sine grandi injuria posse adducere noverit.* Hæc commentariis non indigent. Haroldus ab anno MXXXVI. ad annum MXL. regnavit. Verum quomodo David Alexandri Scotorum Regis frater vxorem habuit Matildem Comitis Valdeni filiam, tradit Hector Boethius lib.

XII. Hist. Scotorum. *His*, inquit, *rebus imminente Alexandro in Anglia David germanus ejus cum sorore Matilde Regina degens, Matildem filiam heredem Voldiosi, alias Valdeni Comitis Hunditoniæ Northumbriæque, & Iudith neptis Guillelmi Nothi uxorem beneficio Regis duxit, qua de re Northumbriæ Comes effectus est.* In quo ergo stat Regis beneficium, nisi ea in gratia, qua Princeps ad contrahendum Matrimonium habilis efficitur?

CAPUT XI.

Sub Joanne Rege regia in Matrimonium potestas retenta.

PONTIFICUM nemo Joannem Angliæ Regem accusavit, quod primogenitam Gaufridi fratris sui primogeniti filiam captivam tenuerit, veritus ne si potentiori Principi nuberet, ipse ab eo de regno dejiceretur, paxque publica turbaretur. Illud sic accidisse tradit Rigordus in gestis Philippi Augusti ad annum MCCXIII. *Elienordis primogenita filia Gaufridi, quondam Armoricæ Ducis, fratris Ioannis Regis primogeniti, tenebatur capta ab ipso Ioanne, & incarcerata in Anglia: qui verens per eam amittere regni jura, eam Matrimonium contrahere cum aliquo non sinebat; & sic annis XVIII. elapsis postquam eam ceperat, sub arcta custodia conservabat.* Argutabuntur forsan hic difficiles quidam magistri, hæc esse facta Regum, non jura. At respondemus facta quidem esse, sed quæ ex certo jure trahi docuimus prima tractatus parte.



CAPUT XII.

Sub Richardo II. regia in Matrimonium potestas retenta.

JOANNES Foresterius in Chronico Angliæ nondum edito ad annum MCCCXCVIII. narrat illustre facinus, quo Richardus II. suam in Matrimonium auctoritatem confirmavit. Illud sic se habet: *Richardus Angliæ Rex II. cum a Norfolcio Duce certior factus esset, Comitem Lecestriæ, postea Henricum Regem hujus nominis IV. clam dixisse sibi, eundem Richardum indignum esse qui regnaret, utrumque regno extorrem fecit, Ducem in perpetuum, Lecestriæ Comitem ad decem annos. Comes in Galliam se recepit ad Carolum VI. Regem, ubi quo certius suis consiliis præsidium quæreret, Mariæ Ioannis Bituricensis Ducis filiæ, & Philippi Atrebatensis, Comitis Augensis & Equitum Franciæ Magistri viduæ connubium ambivit. Angliæ Rex ambiti connubii monitus ubi fuit, ad Carolum VI. Regem misit Saresberiensem Comitem, qui ei causas exilii Comitis Lecestriæ exponeret, precareturque, ut huic Matrimonio non consentiret, & sua illud auctoritate impediret. Ea super re in Consilio Regis deliberatum est, ut per Ioannem Burgundiæ Ducem Comiti Lecestrio diceretur, Regem consobrinam suam proditori non elocaturum.* Sic Rex Angliæ in Rege Galliæ, & Rex Galliæ in Angliæ Rege impediendi Matrimonia procerum auctoritatem agnoscit.



CAPUT XIII.

Sub Henrico VI. regia in Matrimonium potestas retenta.

HENRICVS VI. Angliæ Rex anno MCCCCXXVII. legem tulit, qua vetuit ne vllus cujuscunque dignitatis sit, cum femina regii generis Principe vel extranea, Matrimonium contrahere audeat, quin ante Rex consentiat.

CAPUT XIV.

Sub Elizabetha regia in Matrimonium potestas retenta.

GUILLELMVS Camdenus in Historia Elizabethæ Reginæ ad annum MDLXII. & MDLXIII. narrat quomodo impedierit ne Maria Scotiæ Regina Carolo Archiduci Austriæ nuberet. Sic autem scribit: *Verum cum Cardinalis Lotharingus eodem tempore ageret cum Ferdinando Imperatore, vt illa nuberet Carolo Archiduci filio, qui Elizabethæ nuptias tunc ambivit, Elizabetha per Thomam Randolphum denuntiavit, si Cardinali (capitali Anglorum hosti) de illis nuptiis auscultaret, & amicitiam inter Angliam & Scotiam posse dissolvi, & forsitan spem regni intercludi, qua ne excideret, amice monuit, vt ejusmodi maritum in Anglia deligeret, in quo ipsi sibi imprimis placeret: deinde suis & Anglis in pace colenda satisfaceret, sibique viam ad successionem certam in Anglia præmuniret, quæ declarari non possit, nisi prius constaret, quem in maritum illa adscisceret.* Et post alia: *Cum bello civili in Gallia flagrante Guisius Reginæ Scotorum avunculus occiuisset, dotalis pecunia e Gallia non solve-*

retur, Hamiltonius Dux Castri Heraldi Ducatu exueretur, & Scoti praefectura satellitii in Gallia excluderentur, illa sane aegerrime tulit Cardinalis Lotharingus, alter ex avunculis, veritus ne hinc illa Gallis relictis ad Anglorum amicitiam se applicaret. Per Crocum iterum nuptias cum Carolo Austriaco, Comitatu Tyroli in dotem oblato, proponit: illa rem Elizabethae impertit, quae per Randolphum eadem quae prius dixi, de marito adsciscendo monuit. Quibus monitis obtemperans, non Carolo Archiduci filio, sed Henrico Stuarto Andlei domino nupsit, ex quo Jacobum magnae Britanniae Regem suscepit.

Praeterea Camdenus ad annum MDLXII. refert quomodo dissolutum sit conjugium, quod Eduardus Seimorus Hertfordiae Comes cum Catharina Greia contraxerat, inconsulta Regina. *At severe, ut multi existimarunt, cum Catharina Greia Henrici Greii Ducis Suffolciae filia, quae Reginae agnatione multo propinquior, actum. Illa enim Henrici VIII. ex altera sorore proneptis, Henrico filio natu maximo Comitis Penbrochiae enupta, & mox legitime repudiata, diu neglecta, jam gravida, & ad pariendum vicina, in arcem Londinensem conjicitur, professa se cum Eduardo Seimoro Hertfordiae Comite legitimo Matrimonii nexu conjunctam esse, & ab eo gravidatam. Ille e Gallia revocatus, quo animi gratia bona cum Reginae venia profectus erat, idem palam professus, in eadem arce conditur.*

Archiepiscopus Cantuariensis & alii ad cognoscendam causam & determinandam omni appellatione remota delegantur. Cumque testes Matrimonii intra praescriptum tempus producere non posset, definitiva sententia ab Archiepiscopo pronuntiatur, illum illicitam & illegitimam carnalem copulam cum illa habuisse, & pro illo excessu illum & illam debite puniendos. Hanc sententiam, ut injustam, iniquam & nullam Ioannes Halesius, homo opiniosissimus, sed eruditione multiplici impugnavit, eos legitimos esse conjuges ex solo ipsorum consensu argumentatus; unde & ille in custodiam datus.

Illa mox filium primogenitum in carcere peperit, posteaque & alterum corruptis custodibus ex Hertfordio progenuit. Quod Eduardus Warnerus arcis Praefectus quasi conscius luit, loco emotus, custodiaeque traditus, & ipse Hertfordius in camera stel-

lata triplici de crimine accusatur, quod virginem regia stirpe natam in regia vitiarat, carcerem effregerat, & iterum compresserat. Ille protestatus se Matrimonium cum ea legitime contraxisse, non dissimulavit, quin per fores carceris patentes eam adierat, ut de sententia pronuntiata mœrentem solaretur, debitumque conjugale solvisse. Unde pro singulis criminibus quinque millibus librarum multatus, & novem annis in custodia detentus. Non destitit tamen a Iurisconsultis persuasus contra Archiepiscopi sententiam appellationem interponere, & clandestino continuare; quam tamen his temporibus sponte ac publice renuntiavit. Illa post aliquot annos, ut quæ tempore disparata hic semel conjungam, gravi morbo correpta, coram Heptono arcis Præfecto culpam a Regina, quod Matrimonium ea inconsulta contraxerat, deprecata, liberosque & Hertfordii libertatem ejus fidei obtestando commendans, pie & placide in Domino obdormivit. Et quamvis Ecclesiæ Romanæ communionem tenuisset Elizabetha: non aliter tamen, aut certe vix aliter pro consuetudine regni patriæque salute fecisset. Quod autem Jurisconsulti quidam legitimum esse Matrimonium illud docuerint, id ex falso principio docuerunt, quo nulla dirimentia Matrimonium impedimenta reciperent, iisque insuperhabitis solo conjugum consensu fieri vellent. Sed homines falso delusi principio veræ de impedimentis dirimentibus doctrinæ, vel legitimis procurandæ salutis publicæ rationibus, nihil quicquam adferunt detrimenti.

CAPUT XV.

Asserta breviter in impediendis dirigendisque procerum Matrimoniis consuetudo Angliæ.

HANC porro Anglorum in impediendis dirigendisque procerum Matrimoniis consuetudinem observavit Michael Castelnaus, cum esset Galliæ Regis in Anglia Legatus. Eum igitur hac de re in suis commentariis disserentem audiamus. *Si in Anglia*, inquit, *Matrimonii contractus vel scri-*

pto vel testibus ratus non habeatur, seu, vt aiunt, verificetur ante ipsius consummationem, liberi ante contractum nati, spurii censentur, nec possunt subsequenti conjugio legitimi fieri. Sed si partes contrahant Matrimonium, vxore jam prægnante, etiam partui vicina, modo nondum parturierit, in legitimis habebuntur, exceptis, vt dicitur, Principibus ex sanguine regio procreatis, qui sine Regis assensu nequeunt sibi feminam in Matrimonium collocare: alias hac illi pœna multantur, quod nimirum filii declarentur spurii, & conjugium nullum Hæc ille Gallice, quæ in Latinum convertimus. Expende modo quem morem habeant Angli in dirimendis Matrimoniis, atque iis potissimum, quæ sine Regum voluntate contrahuntur.

Caput XVI.

Sub Maccabæo Scotorum Rege regia in Matrimonium potestas retenta.

Affines Anglis Scoti suppeditant nobis leges & exempla, quibus Matrimonia suorum ad publicum ordinarunt bonum, nec ab hoc per vllam sacramenti rationem viri catholicæ religionis professores revocati fuere. Quia vero bonæ leges ex malis oriuntur moribus, duas id generis a Maccabæo Rege, qui ad annum MXL. regnavit, latas referemus ex Boethio lib. XII. Hist. Scotorum. Una lex est hæc: *Capitis damnantur primates, qui alicujus regionis inter se affinitatem contraxerint.* Nonne supplicii genus illud aperit, a primatibus seu Principibus aliquando in regiam auctoritatem regnique pacem graviter peccatum fuisse, dum inconsulto Rege Matrimonia contraxerant? Quod autem regionum proceres & optimates Matrimonii rescissionem & exheredationem fortassis haud timuerint, inde factum est, vt Rex capitis supplicium decerneret, quo in paribus causis nullum esse certius dirimens impedimentum Matrimonii credidit. Quis enimvero ignorat, dum leve supplicium spernitur, gravius

vius a ſapienti Magiſtratu decerni poſſe?

Altera lex eſt iſta: *Præfectus ſi intra ditionis ſuæ fines, aut vrbanis, aut ruſticis filium filiamque Matrimonio dederit, præfectura abdicator.* Hic officio ſeu munere privat hominem, qui contra impedimentum dirimens vxorem duceret, niſi velis relicto conjugio ſola præfectura ſpoliari, Regemque hic ea non vti poteſtate, qua Matrimonium ejuſmodi potuiſſet dirimere.

CAPUT XVII.

Sub Alexandro III. Rege regia in Matrimonium poteſtas retenta.

QUOD iſto capite relaturi ſumus exemplum, memoriæ prodidit Georgius Buchananus lib. VIII. rerum Scoticarum. *Martha*, inquit, *Carictæ Comes jam nubilis, & patris, qui in bello ſacro deceſſerat, vnica heres, cum forte inter venandum conſpexiſſet Robertum Braſſium omnium æqualium adoleſcentium longe formoſiſſimum, eum in arcem ſuam propinquam benigne invitat, ac renuentem prope invitum ducit. Ibi cum ætas, forma, mores, genus facile mutuum amorem conciliaſſent, paucis conſciis Matrimonio copulantur. Id cum Rex, cui jus erat puellæ collocandæ, reſciſſet, licet vtrique graviter ſuccenſeret, tamen per amicos placatus fuit.* Hoc loco attendimus duo. Unum, penes Regem eſſe jus collocandæ puellæ: quod quia violatum eſt, Rex graviſſime ſuccenſuit. Alterum, per amicos placatum fuiſſe Regem, qui Matrimonium alioqui reſcindere potuiſſet; ſed interveniente Regis gratia, legitimum illud habitum eſt. Quare, vt Rex ſe & placatum eſſe, & ratum habere Matrimonium ſignificaret, paternam quam abſtulerat hereditatem, reſtituit, vt teſtatur Boethius lib. XIII. Hiſtoriæ Scotorum.

CAPUT XVIII.

Sub Roberto Rege regia in Matrimonium potestas retenta.

ALTERUM exemplum præbet idem Boethius lib. XVI. Historiæ Scotorum: *Sed priusquam eam* (Euphemiam) *Robertus* (Stuartus nomine II.) *duxisset uxorem, consuetudinem cum Elizabetha filia Adæ Muir Equitis aurati habuerat, quæ tres illi filios peperit, & duas filias, quarum cum altera Ioannes Doumbar, frater Georgii Comitis Merchiarum, priusquam pater puellæ regnum adeptus esset, clandestinos congressus habuit, atque uxorem, patre ignorante, duxit. Ceterum in consilio Perthi celebrato fuere nonnulli, qui Robertum instigarent, ad Ioannem Doumbar capitis arcessendum propter læsæ majestatis crimen, quod inscio patre filiam seduxisset, uti aiebant. Ad ea Georgius Doumbar fratris agens causam respondit, Ioannem Doumbar fratrem suum filiam ejus voluntate ipsius uxorem duxisse, nondum Regis, sed Comitis duntaxat, ac domini Kothisài, Bothæ, Kamfrou, Boukil, & Stuarthrum, quæ loca, antequam Rex erat, possidebat. Ceterum Robertus memor, quantum Georgius in disceptatione regni pro ipso contendisset, non modo illius injuriæ oblitus fuit, sed Moraviæ quoque Comitatu generum suum Ioannem Doumbar comiter appellans donavit.* Quibus tria notari necesse est. Unum, Joannem Doumbarium accusari crimine majestatis, quod inscio Roberto filiam ejus duxerat vxorem. Alterum, Georgii ad eam accusationem responsum ejusmodi esse, quo neget a fratre id commissum; quod scilicet Roberti filiam nondum Regis, sed Comitis tantum habuerat in Matrimonio. Unde ponit in tali casu potuisse crimen majestatis inveniri: quod tamen non inveniretur, nisi lex aut recepta consuetudo ita obtinuisset, vt Principes clam Rege non contraherent. Tertium, Regem propter accepta ab vtroque Doumbario obsequia & officia consensisse in Matrimonium, suoque consensu fecisse

legitimum, immo & filiæ maritum Moraviæ Comitatu auxisse.

Aliud exemplum suggerit idem auctor lib. xiv. qua parte Marioræ Roberti Regis filiæ connubium describit: *Ad hæc, ut Mariora ex magnatum consilio elocetur, cui id videbitur ex usu regni fore quam opportunissimum, nec eam rem diuturna accepit dilatio. Marioram etenim communi omnium suffragio nobilissimo viro Waltero Stuart regni Senechallo pater Matrimonio copulavit.* Videsis, lector, his in exemplis regni Scotorum usum, an patri Regi, an filiæ liberum fuerit cui voluisset nubere, quo consilio, quove fine, & a quibus Matrimonium decretum.

Caput XIX.

Apud Polonos regia in Matrimonium potestas retenta & vindicata.

Historicos inter alios selegimus Martinum Cromerum Warmiensem Episcopum, qui gentis suæ sensum & usum in causis impedimentisque connubialibus aperiret; sed imprimis ex lib. 11. de rebus Polonorum hanc legem desumimus: *Primaria regni lex est, ut Senatu inconsulto Rex fœdus cum quoquam icere non possit.* At certe inter omnia fœdera nullum gravius vel majus est conjugali, quod si bene, multorum bonorum; si male fiat, infinitorum malorum uberrima seges esse consuevit. Deinde lex generalibus concepta verbis usu sic obtinuit ab eo tempore, quo regnum Christi religionem suscepit, ut ex libro 111. de rebus Polonorum colligitur. Miezislaus quippe factus Christianus priores uxores, quæ erant numero septem, dimisit: *Dambrowacamque Christianam Boleslai I. Boemorum Ducis filiam, virginem de Consilii sententia novo Matrimonio sibi junxit.* Sic & Waldislaus lib. v. rerum Polonicarum: *De amplissimi Consilii sententia duxit Iuditham Wratislai Boemorum Principis filiam, ex Adheleida Andreæ Ungarorum Regis filia susceptam.*

CAPUT XX.

Sub Jagellone Polonorum Rege regia in Matrimonium potestas elucet maxime.

EXEMPLUM vero omnium testatissimum est conjugium, quod inter Jagellonem & Hedvigim initum est, quodque ita narratur a Cromero in lib. XIV. de rebus Polonorum. Ludovico Ungarorum & Polonorum Rege mortuo, a proceribus itum est ad Comitia de creando Rege novo deliberaturis. Concilia diversis in locis instituuntur tria. Unum apud Rodomiscos, vbi decernitur, vt Poloni pactorum cum Ludovico initorum, & jurisjurandi sui memores essent, neque Ludovici progeniem a regno excluderent. Alterum apud Vilnam, vbi Sigismundus Marchio Brandeburgensis Rex antea designatus, & Oratores ab Elizabetha Ludovici vidua missi interfuerunt, ibique confirmatum, quod data Ludovico de filiabus ad regnum admittendis fides servaretur. Tertium apud Siradiam, vbi ad Reginam Elizabetham decernuntur Legati, vt Hedvigim filiam primo quoque tempore ad Polonos mitteret, diadema solenni ritu suscepturam, & viro sibi Polonisque gratissimo nupturam. *Cui decreto adjectum est, vt Hedvigis adveniens, si Regina esse vellet, reciperet se de consilio Polonorum nupturam.* Et paullo post: *Pacta cum Regina inita sunt, nimirum vt ad tertium Idus Novembris (quæ dies divi Martini Episcopi memoriæ sacra est) Hedvigis in Poloniam veniret, ac de sententia amplissimi Senatus Matrimonium iniret.* Et propositis conditionibus nonnullis, Legati destinantur ad Jagellonem, vt eum ad contrahendum cum Hedvige Matrimonium, & capessendum regnum vocarent, si quæ propositæ conditiones fuerant, has vellet accipere. Ex his autem facile colligitur, quæ & qualis Polonorum fuerit in Regum suorum ac Reginarum Matrimonia potestas. Consentiunt Poloni, vt Jagello Hedvigim in vxo-

rem ducat: ſed ea lege, vt Hedvigis adveniens, ſi Regina eſſe velit, recipiat ſe de Polonorum conſilio nupturam.

CAPUT XXI.

Apud Ungaros regia in Matrimonium poteſtas retenta, & maxime ſub ſancto Stephano primo Rege.

QUEM Ungari in cauſis impedimentiſque Matrimonii ſenſum & vſum habuerunt, dabit ſanctus Stephanus I. gentis ſuæ Rex Chriſtianus, & Evangelicæ legis nuncius. Et primo quidem in lib. II. Decretorum ſuorum cap. XXV. *Si quis militum impudicitia fœdatus puellam aliquam ſine conceſſione parentum ſibi in vxorem rapuerit, decernimus puellam parentibus reddi, etiamſi ab illo aliqua vis ſibi illata ſit, & raptor decem ſolvat juvenculos pro raptu, licet poſtea reconcilietur parentibus puellæ.* En impedimentum raptus. Deinde in eodem lib. cap. XXVIII. *De his, qui extra regnum ſuas fugiunt vxores, vt genus vtriuſque ſexus certa lege & abſque injuriis maneat & vigeat, in hoc regali Decreto ſtatutum eſt, vt ſi quis protervitate præditus propter abominationem vxoris patriam effugerit, vxor cuncta, quæ in poteſtate mariti habebantur, poſſideat, dum velit exſpectare virum, vt nemo in aliud conjugium cogere præſumat: & ſi ſponte nubere velit, liceat ſibi ſumptis congruis veſtimentis, & dimiſſis ceteris bonis, ad connubium ire; & ſi vir hoc audito redierit, ne liceat ſibi aliam ducere præter ſuam, niſi cum licentia Epiſcopi* Sanctus Rex eſt, qui ad annum MXLVII. vixit, & qui talia decrevit, & Decreti ſui executionem ad judicium Epiſcopi remittit. Non memini me legere vllum Pontificem violatæ religionis accuſaſſe Stephanum, vel vſurpatæ Sacerdotum poteſtatis.



Caput XXII.

Sub Ladislao, Colomanno & Alberto regia in Matrimonium potestas retenta.

Sanctvs Ladislaus, qui ad annum MXC. claruit, in lib. I. Decretorum cap. XIII. de interfectione adulteræ, hæc statuit: *Si quis uxorem suam cum altero viro adulterantem invenerit, sponte puniat, de se rationem reddat; & si voluerit, aliam ducat.*

Idem cap. XX. *Si quis uxorem suam in adulterio deprehenderit, & in judicium statuerit, secundum instituta canonum, pœnitentia imponatur: & peracta pœnitentia, si maritus voluerit, iterum recipiat; sin autem non, quandiu ambo vixerint, innupti permaneant.*

Disciplina hæc Colomanno placuit lib. II. Decretorum: postea tamen aliter ei visum est cum Synodo Laurentii Strigoniensis Metropolitæ & comprovincialium, vbi de mulieribus a maritis fugientibus sic constituitur: *Si qua mulier a viro fugerit suo, reddatur marito suo semel & bis; tertia vero vice, si nobilis est, adjiciatur pœnitentia sine spe conjugii; si de plebe venundetur, sine spe libertatis. Si quis vltro uxorem suam adulteram proclamaverit, si voluerit, maritetur: eodem modo, qui cum alterius vxore, vel qui cum marito alterius peccat, judicetur. Si quis puellam rapuerit vel violaverit, si nobilis est, canonicæ pœnitentiæ compositioni subjaceat: qui vero hoc persolvere noluerit, vel non potuerit, tonso capite, secundum judicium Regis Ladislai, venundetur. Si quis sponsam rapuerit alterius, si illa non consenserit, reddatur proprio sponso. Raptor vero, si nobilis est, compositionem canonicam faciat, & sine spe conjugii pœniteat; si non potuit compositionem dare, sine spe libertatis venundetur. Si quis vxorem fugiens, se sponte debitorem fecerit, vnde se expedire noluit propter odium quod in vxorem habet, semper in servitute permaneat: & si vnquam liber videatur, iterum venundetur; vxor*

vero ejus cui velit nubat. Scio quidem, non eandem fuisse olim apud omnes Ecclesias Matrimonii disciplinam; sed hæc Decreta ideo protuli a nullo tunc, quod legerim, Romano Pontifice reprehensa, ut sanctorum Regum in disponendis conjugiis eluceret auctoritas.

Ceterum in eadem Synodo Strigoniensi clandestini Matrimonii statuitur impedimentum: *De desponsatione conjugali placuit sanctæ Synodo, ut omnis conjugalis desponsatio in conspectu Ecclesiæ, præsente Sacerdote, coram idoneis testibus aliquo sensu subarrhationis & consensu utriusque fieret, aliter non conjugium, sed opus fornicationis reputetur.* Sic qui hanc non servant legem, ad contrahendum Matrimonium inhabiles redduntur, cum a Rege, tum a Synodo, qua politicam hac in parte personam gerit. Hoc enim impedimentum cum civilis lex sit, ab aliis fieri non debet quam ab iis, qui civilem principatum habent, vel certe ratum haberi debet.

Idem Colomannus lib. I. Decretorum de Matrimonio Ismaelitarum: *Ismaelitarum vero nullus audeat filiam suam jungere Matrimonio alicujus de gente sua, sed nostra.*

Albertus in suis Decretis ad annum MCCCCXIX. hæc sanxit: *De maritationibus filiarum regiæ majestatis. Item quod de maritatione filiarum nostrarum agemus cum consilio Prælatorum & Baronum, ac nobilium regni nostri Ungarici, necnon cognatorum & proximorum, atque subditorum regnorum ac Ducatuum nostrorum.* At contracta adversus hanc legem a filiabus Regum Matrimonia valuisse quis crederet? Hæc de legibus, nunc ad exempla veniendum est.

CAPUT XXIII.

Certis quibusdam exemplis apud Ungaros regia seu civilis in Matrimonium potestas retenta confirmatur.

ANTONIUS Bonfinius quædam memoriæ prodidit exempla, in quibus alii ad Matrimonium coguntur,

alii ex Principum assensu contrahunt, alii quid sit juris penes Rempublicam in matrimonialibus caussis declarant.

Imprimis ex lib. 1. Decadis 11. *Post hæc pater, vt publicæ saluti de successore consuleret, Emericum parandis liberis haud intempestivum, digno conjugio obligandum esse censuit, ratus, neminem regno commodiorem futurum, si viveret: sin minus sanctissimam hinc prolem sperari posse, & regendis Ungaris accommodatissimam. Quare excellentissimam forma & virtute virginem, ac regali genere natam, huic desponsat pater, operamque liberis quandoque dandam edocet, ne legitimus idemque optimus, Pannoniæ regno successor desit. Quamvis hoc haud facile efficere potuit, quando non sine multis eo precibus filium redegerat: ipsum tamen obtemperantissimum, & decenti conjugio jam obstrictum, nunquam cum vxore rem patrasse, sed majorem, quam antea, si dici potest, castitatem servasse comperit.* Hæc duo sancti, pater & filius, Stephanus & Emericus.

Deinde ex lib. VI. Decadis 11. de Stephano II. *De optanda Regis vxore inter optimates agi cœptum est, cum celibatum suum intemperantissime duceret: quare cum precibus, tum publici periculi ratione eum ad vxorem ducendam impulerunt.* Non est, cur hoc in loco iteremus eandem esse ad Matrimonium cogendi, atque ab eo prohibendi rationem.

Tum ex lib. 1. Decadis 111. *Maria Ludovici filia veluti pater testamento caverat: Sigismundo Brandeburgensi Caroli Imperatoris filio, & adhuc puero, ex compacto ita nupserat, vt ad maturas vsque nuptias virum non duceret, consummatis nuptiis, Sigismundum regni consortem pariter admitteret. Hanc vltro conditionem universa tunc Ungaria acceperat, cum immortalia Ludovici Regis beneficia omnes pariter obstrinxerint.* Quibus verbis quid potest esse clarius? conditionem enim illam, si respuissent Ungari, nullum Matrimonium secutum fuisset, nullaque regni successio.

Postremo ex Decadis V. libro 1. vbi Bonfinius narrat quam ardentissime Beatrix, quæ Matthiæ Regis vxor fuerat, Uladislai Matrimonio jungi percuperet. *Accedebat præterea non levissimi momenti res, quod Beatrix, quæ Matthiæ Regis fuerat vxor, Uladislai Matrimonium prope impatienti animo appetebat, vt in pristina dignitate maneret: quæ si mulier despiceretur, haud*

cuique

cuique dubium erat, quin quorum se partibus adjunxisset, eisdem regnum etiam opibus & copiis suis conciliatura esset. Quinetiam Ioannis Corvini adolescentia timorem non mediocrem faciebat, quem Maximilianus per Iacobum Sekellium quotidie praemiis & pollicitationibus ad defectionem sollicitabat. Cujus rei Legati quoque assidue missi suspicionem augebant. Igitur Rex his tantis subito difficultatibus objectis, omnibus mature quoad posset, sibi occurrendum ratus, Sigismundum Quinqueecclesiarum Antistitem, qui secum Budam accesserat, quod eum multum apud Corvinum valere auctoritate intelligebat, Tatam ad retinendum in officio adolescentem evestigio mittit, Reginae vero nuptias in dies acrius flagitanti, easque nisi assequatur, exitium prope regno Ungariae minitanti: quod tandem responsum det, etiam atque etiam consultandum cum Patribus putat. Cum autem de ea re consilium agitaretur, nemo reperiebatur praeter paucos, quos pecuniis & praefecturis ipsa sibi devinxerat, cui conjugium ejusmodi probaretur. Regem mulieris imprimis aetas, ac nota sterilitas deterrebat: Patres, quod timendum putabant, ne peregrinis gentibus regnum communicatum, brevi ad nominis interitum perveniret: Boemi praeter cetera decretum etiam publicum proferebant, quo cautum erat, ne cui Boemiae Regi viduam ducere liceret. Quia vero si postulantis Reginae conditio aperte respueretur, nemini dubitandum videbatur, quin statim bellum illa esset maximum, tum suis, tum aliorum opibus conflatura, haud quaquam sponsalium spe dejiciendam eam existimabant, quoad regnum esset abs tot imminentium bellorum fervoribus exolutum. Rex autem instante vehementius in dies muliere, atque procerum, quos poterat, animos muneribus & pecuniis corrumpente, veritus, ne si consilium Patrum secutus falsis Reginam promissis tenuisset, parum sincera fide rexisse tandem videretur, IV. Nonas Octobris, Patribus procerumque principibus secreto accitis, ita omnes est allocutus: Cum me Regem declaratum Ungarorum nonnulli hortati essent, ut Beatricem Aragoniam mihi desponderem uxorem, eorum haudquaquam, ut vere dicam, ab initio consilium improbavi: sic enim fore videbam, ut ducentis aureorum millibus ab ea nomine dotis acceptis, & trecentis millibus, quae ex dote & sortis ei jure debentur, quemadmodum ipsa pollicebatur, regno remissis, non Boemico solum exercitui, cui Matthias Rex multa stipendia

BBbb

debebat satisfacere, sed Polonis etiam & Germanis, qui regnum prope ex composito invaserunt, facilius possem occurrere. Post autem cum eadem nullis talibus promissis expletis, meum tamen adhuc Matrimonium affectaret, meque, si suam conditionem abnuerem, bello prosecuturam, atque ad hostes nostros accessuram, eisque Zolium, Dyosgyurum, ac Strigonium tradituram se ostenderet: neque externos jam solum Principes, amicos ac necessarios suos ad belli societatem alliceret; sed qui mihi studerent, meque ab eo Matrimonio deterrent, hostium prope omnes numero duceret: fateor me cum tanta rei indignitate, tum multo magis perspecta mulieris sterilitate commotum, a pristina omnino sententia destitisse. Et si quam spem nuptiarum objeci, me idipsum communis salutis causa, vel auctoribus vobis egisse, cum dimissis omnibus Boemicis copiis, nullo alio modo infesta Reginæ arma mihi ac regno meo imminentia propulsare commodius possem. Nunc vero cum vos in eadem perstare sententia videam, vt quo facilius mulieris potentissimæ insidiæ declinentur, ejus sponsalia simulentur, atque ars arte quodammodo deludatur, faciam: quod vobis placere sentio. Si illud autem apud vos testatum relinquo, me non tam judicio meo, quam auctoritate vestra ad hanc consilii rationem accedere, id quod vobis prædictum volo, ne quis me fortassis contra dignitatem regiam vt perfidiosum aliquando insimulare, aut hujus me consilii si quid præterea durius accidisset, auctorem reprehendere juste possit. Cum omnes assensi essent, haud ita multo post instante muliere, sponsalia in hæc verba paucis adhibitis testibus paciscitur, vt diceret, spondere se Reginam ex Antistitum procerumque voluntate ducturum. Hæc paullo longiora descripsimus, quo facilius constarent duo. Et primum quidem, quod apud Boemos decretum erat publicum, quo cavebatur, ne cui Boemiæ Regi viduam ducere liceret. Deinde regnorum pax & tranquillitas est tanti, vt cum illa ex procerum Matrimoniis pendeat vel maxime, procerum Matrimonia fieri nec debeant, nec possint, quin iis Respublicæ consentiant, aut qui Respublicas gubernant. Ceterum in Uladislao & Beatrice factum est aliquid, quod auctore me non fieret; sed hoc non agitur, sed publica Boemiæ pax & tranquillitas, cui, vt apparet, aliter consuli ac provideri non potuit, quam quo modo consultum & provisum

est. Attamen fuisse tunc qui vllam e rebus Matrimonium circumstantibus Theologica ratione coarguerit, legere me non memini. Theologicam rationem intelligo, quæ ex suis principiis Scriptura & Catholicæ Ecclesiæ traditione ducatur. Fortassis hic audiri potest illud Tertullianicum e libri de baptismo capite XVII. *Sufficiat scilicet in necessitatibus vt vtaris, sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum vrget circumstantia periclitantis.*

CAPUT XXIV.

Apud Navarræos regia in Matrimonium potestas retenta.

ANNVS circumagebatur millesimus ducentesimus sexagesimus octavus, cum Henricus Theobaldi Navarræ Regis filius, & Theobaldi junioris itidem Navarræ Regis frater schedulam confecit, qua se sine Regis Navarræ consensu Matrimonium non esse contracturum pollicetur. Schedula seu charta hæc Parisiis apud Curiam Rationalium extat in libro Principum, & sic se habet: *Ie Henriz filz de Roy de Navarre, Cuens de Ronay, faz assavoir à toz celz qui ces presentes lettres verrons, que je por ce que je voi & entends, qu'infinités de mals pourroient avenir, si je me mariois fors des poins du Royaume de France, à Monsignor mon frere le Roy de Navarre, à moy & à toz mes amis, à toz les sougez Monsignor mon frere le Roy devant dict, & à mout d'autres. Et parce que je voi qu'il plaist à Monsignor le Roy mon frere & à mes autres amis, que je me marie dedans les poins dudit Royaume de France, où il y a assés femmes convenables pour moy: toutes choses veuës & pensées, je por tot bien à avancier à non perir, & por tot mal abaissier de tant comme je puis, & je jure de tot mon bon gré, sans force & sans contrainte nule, que je ne me marirai & ne prendré femme nule quele quele soit fors des poins doudict*

Royaume de France, & qui doudict Royaume ne soit, s'en est par le commandement & par la volenté & par l'otroy Monsignor mon frere le Roy de Navarre avant dict. Et ce je jure de sur Sains & sur les Evangiles aux mieux & au plus certainement que je puis, & sans jamais venir encontre en nule maniere quele quele soit, &c. *L'an de grace* MCCLXVIII. *le Mardi devant Pasques.* Quod Latine dicitur: *Ego Henricus Regis Navarræ filius, Ronensis Comes, omnibus has præsentes literas inspecturis denuncio, pervidere me & cognoscere infinita mala, quæ domino meo fratri Navarræ Regi, mihi, & universis amicis meis, & cunctis domini mei fratris antedicti Regis subditis, & aliis quampluribus evenire possent, si uxorem extra regni Galliæ fines ducerem. Et quia scio dominum ac fratrem meum Navarræ Regem velle, & alios familiares meos cupere, vt ducam uxorem intra fines regni Galliæ, vbi sat multæ reperiuntur mulieres, quæ & dignitati & generi meo conveniunt: his rebus perspectis & pensitatis omnibus, vt quidquid est boni promoveam, discrimen omne fugiam, & quidquid est mali longe propulsem pro viribus, libenti prolixoque animo, sine vi & coactione vlla, iuro me vxorem extra regni Galliæ limites nullam vnquam ducturum esse. Et si quæ vxor extra illos limites ducenda esset, me, nisi consentiente & volente domino meo antedicto Navarræ Rege, ducturum. Et id per Sanctos, & in codicem Evangeliorum iuro: & si quid certius esset & angustius, per quod & in quod iurare possem, vtique iurarem: ita vt modo & via quacunque constet, me nunquam facturum esse quidquam, quod sacramento huic adversetur,* &c. *Datum anno reparatæ salutis humanæ millesimo ducentesimo sexagesimo octavo, die Martis ante Pascha.* Sic Henricus, decernente Rege Navarræ, ad contrahendum Matrimonium efficitur inhabilis, nec efficietur habilis, vsque dum impleverit, quod iurata promissione cautum est. Profecto meras ageret nugas, qui quod ita factum est, ita fieri non potuisse contenderet.



CAPUT XXV.

Lotharingiæ Duces suam in Matrimonium auctoritatem retentam vindicarunt.

HANC potestatem, quæ vt Regibus, ita & aliis supremis Principibus convenit, illustri confirmabimus testimonio illius instrumenti, quod anno MCCCCXXV. die Decembris XIII. confectum est. In hoc igitur instrumento Ducatus Lotharingiæ, *Barones, aliique nobiles viri Carolo VI. Duci promittunt, se Isabellam filiam natu majorem, quæ tunc vxor erat Renati Andegavensis, & per eam Barensis Ducis, pro Ducissa habituros, eique tanquam dominæ obedituros.* Sed adjiciunt, *quod si obeunte viro, Isabella nuberet alteri sine consensu Caroli patris, aut post hujus obitum, sine consensu trium Ducatus Ordinum, neque ipsam habituros pro Ducissa, neque ei tanquam dominæ obedituros, neque procreatos ex tali copulatione liberos pro Ducibus habituros, neque illis tanquam legitimis dominis obedituros: immo statim atque celebratæ fuerint nuptiæ, Catharinam sororem Isabellæ natu minorem Badensem Marchionissam pro Ducissa habituros, eique tanquam veræ dominæ obedituros, neque ipsi tantum, sed & iis, quos ex legitimo Matrimonio procrearet.* Hoc autem instrumentum asservatur in Nanceii Chartophylacio.

CAPUT XXVI.

Sabaudiæ Duces suam in Matrimonium suorum potestatem retentam demonstrarunt.

PHILIBERTVS Emmanuel Sabaudiæ Dux anno MDLXXI. legem tulit, qua cautum est, ne quis subditus Matri-

monium cum exteris contrahat sine suo consensu. Qua de re sic Jacobus Augustus Thuanus lib. L. hist. ad annum MDLXXI. *Cum vero Colinius ante quadriennium Carlottam Lavallam uxorem Aureliani amisisset, de secundis nuptiis cogitanti de Iacoba Intramontana Claudii Batarnai Antonini reguli pugna Sandionysiana occisi vidua, nobilissimae & juxta opulentae in Sabaudia familiae herede, quae protestantium doctrinae in occulto favebat, mentio injecta est. Id cum rescivisset Philibertus Emmanuel Sabaudiae Dux, publicationis bonorum addita poena prohibuerat, ne quis ex sua ditione injussu suo cum quoquam alterius ditionis Matrimonium aut affinitatem contraheret. Cumque Rex postea in rei commendationem ad Sabaudum scripsisset, ut edicti prohibitorii gratiam Intramontanae faceret, nihil impetrari potuerat. Verum Intramontana, quae Colinii amori ex illius virtutum praedicatione concepto periculum omne posthaberet, injussu Sabaudi, & spreto proscriptionis metu Rupellam sub id tempus venit, & Colinium in maritum accepit.* Idem Sabaudiae Dux Intramontanam jussit in carcerem conjici, atque ita captiva decessit Jureae anno MDXCVIII. quamvis pro ea Henricus IV. Sabaudum rogasset, ut testatur Petrus Matthaeus in historia pacis. Si quis autem tergiversetur, hoc Sabaudi edictum tale non esse, quod Matrimonium dirimat: illud profecto tale esse potuisse, prima tractatus pars ostendit.

CAPUT XXVII.

Apud Florentinos Duces suprema civilis in Matrimonium procerum auctoritas apparet.

IN novo statu seu principatu nec vetera, nec nova multa exempla esse possunt. Unum tamen dabit novus Florentiae Ducatus, in quo examinando si quis caste integreque versetur, idipsum, quod in ceteris Imperiis vidimus, deprehendet. Illud mutuabimur ex tribus historicis, Joanne Nestore, Aldo Manutio, & Joanne Baptista Cino, quorum primus Gallico,

duo alii Italico ſermone vitam magni Coſmi Etruriæ Ducis conſcripſerunt. Hic itaque magnus Etruriæ Dux renunciatus pacatis & amplificatis rebus ſuis animum ad nuptias appellit, Margaretam Auſtriacam Alexandri Ducis viduam poſtulat ab Imperatore, vt ſicut hereditati Alexandri, ita & ejus Matrimonio ſuccederet. Noluit Cæſar, cauſatus, quod Margaretam promiſerat Octaviano Farneſio Pauli III. vt volunt, nepoti. Statuerat Cæſar hac affinitate Pontificem in ſuas partes pertrahere, ab eoque magnam pecuniæ vim obtinere. Coſmus vbi vidit Margaretam Octaviano collocatam, expetiit ſororem Octaviani nomine Victoriam. Noluit adhuc Cæſar eam Coſmo concedere: verebatur quippe, ne ſi Romana potentia & amplitudo Florentinorum opibus conjungeretur, in Italia grande aliquod negotium ſibi accideret. Tunc Dux gemini fœderis ſpe dejectus paulo ſollicitior fuit: vſus tamen ſuorum conſilio, tertium a Cæſare vxorem efflagitat, ex qua liberos ſibi ſucceſſuros relinqueret. Ille vero qui antea ſemper promiſerat ſeſe Coſmo de muliere proviſurum, conjicit oculos in Leonoram Petri Toletani filiam, qui tunc vices Regis Neapoli gerebat, eamque ſibi conjunctiſſimam accerſivit, & Coſmo nuptum dedit. Quod factum votis Imperatoris reſpondit, Leonora perpetuam viri cum illo ſic fovit amicitiam, vt quoties bella Cæſarianos inter & Gallos exarſerunt in Italia, a partibus Imperatoris ſtetit, ejuſque conatus pro virili juvit. Quis vero ex hac hiſtoria non advertit, Coſmum Etruriæ Ducem habuiſſe omnino perſuaſum, quod ſine Imperatoris conſenſu vxorem ducere ſe non poſſet? Non habetur quidem hoc loco diremptum Matrimonium; ſed ne dirimeretur, ſumma Ducis & Imperatoris cautione proviſum. Quaſi vero politica prudentia & auctoritas non æque in impediendis, ac in vindicandis peccatis eluceret, aut aliquando vitioſas partes ſanare, quam exſecare non præſtaret, ſumma Regum & Imperatorum felicitas ſubditorum obſequio magis, quam rebellione metienda eſt: neque malos cives caſtigandi jure, quia boni forent omnes aliquando, privandi ſunt Reges, qui neminem morte multarent.

❧

CAPUT XXVIII.

Romani Pontifices suam in Matrimonium subditorum potestatem retentam demonstrarunt tanquam temporales domini.

QUOD primæ tractatus partis art. 1. cap. XII. jus in terrenis Principibus Romani Pontifices agnoverunt, hoc & ipse terrenus Princeps memorabili exemplo illustratum posteris reliquit Paulus IV. Res sic se habet. Cum in Tridentino Concilio Decretum illud, quo ne quis dominus suos subditos ad ineunda conjugia pœnis adigat aut minis, vetatur, sic formaretur, ut nominatim Imperatorem & Reges comprehenderet, Guillelmus Cassadorus Barcinonensis Episcopus obstitit, causatus, credendum non esse, Christianos Principes sese in Matrimoniis, nisi gravissimis de causis & propter publicum bonum interposituros. Volebat quippe legitimas causas excipi, quibus quis subditus ab Imperatore vel Regibus ad Matrimonium cogeretur, & Decretum ita formari, ut eos solum caperet, qui contra jus & rectum ordinem adigunt ad Matrimonia. Quod & jure factum fuisse alibi ex auctoritate plurium Doctorum ostendimus.

Porro Cassadorus aiebat posse multos casus occurrere, in quibus divinas & humanas leges impugnaturus sit, qui dixerit, Principem non posse, & id præcipere, & ad Matrimonium contrahendum cogere. Tunc ille protulit exemplum, quo illud sic a Paulo IV. factum anno MDLVI. IV. Non. Januarii constabat. *Paulus siquidem IV. monitorio quodam denuntiaverat Joannæ Arragoniæ uxori Ascanii Columnæ, nequam e filiabus suis sine licentia sua collocaret in Matrimonium; si secus faceret, irritum fore, quantumvis consummaretur. At illud sapientissimus Papa, & notæ probitatis vir haud unquam fuisset ausus, nisi liceret Principibus boni publici causa subditos ad conjugium cogere, aut ab eo contrahendo impedire.*

Cur

Cur autem Paulus IV. id Joannæ Arragoniæ prohibuerit, fecit perduellionis crimen, quo Ascanius Columna tenebatur: ac proinde timuit Paulus, ne elocatis filiabus novas sibi affinitates adjungeret, quarum ope fretus in contumacia ob. firmaretur. Hæc Petrus Suavis ita refert in libro VIII. historiæ Tridentini Concilii.

Ceterum, quod Paulus id genus Matrimonii non impedierit vt Pontifex, certum est, quia nullos vt Pontifex in causis temporalibus rebelles habuit, sed tantum vt temporalis dominus: & eos habere cœpit, ex quo supremus in ejusmodi causis dominus esse cœpit. Qua in re certa sunt tria, & incertum vnum.

Et primo quidem certum est, fuisse tempus, quo Romanus Pontifex Imperatori vt temporali domino subderetur. Id profitetur Gregorius Magnus in lib. II. Indict. XI. epistola LXII. ad Mauritium Imperatorem ita scribens: *Omnipotenti Deo reus est, qui serenissimis dominis in omni quod agit & loquitur, purus non est: ego autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione, neque vt Episcopus, neque vt servus, jure Reipublicæ, sed jure privato loquor: quia, serenissime domine, ex illo jam tempore dominus meus fuisti, quando adhuc dominus omnium non eras. Longino viro clarissimo Stratore veniente dominorum legem suscepi, ad quam fatigatus tunc ægritudine corporis respondere nil valui, in qua dominorum pietas sanxit, vt,* &c. *Ego vero hæc dominis meis loquens quid sum, nisi pulvis & vermis?* Infra: *Dominis meis tacere non possum. Ad hoc enim potestas dominorum meorum pietati cælitus data est super omnes homines, vt,* &c Infra: *Ego quidem jussioni subjectus eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci: & quia lex omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis dominis nunciavi. Vtrobique ergo quæ debui exsolvi, qui & imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi, minime tacui.*

Deinde in ejusdem libri & Indict. epistola LXV. ad Theodorum medicum: *Quanta bona omnipotentis Dei & serenissimi domini mei Imperatoris habeam, lingua mea non sufficit explere.* Infra: *Modo autem eidem domino aliqua suggessi.* Infra: *Quod si ideo serenissimus dominus noster fecit, quia,* &c.

Tum in libri IV. epiſtola XXXI. ad Mauritium Imperatorem : *In sereniſſimis juſſionibus ſuis dominorum pietas, dum me de quibuſdam redarguere ſtuduit, parcendo mihi minime peperci.* Infra : *Hoc tamen piiſſimo domino ſuggero.* Infra : *Sacerdotibus autem non ex terrena poteſtate dominus noſter citius indignetur.* Infra : *Inter hæc ergo incerta ad ſolas lacrymas redeo, petens vt idem omnipotens Deus piiſſimum dominum noſtrum ſua hic manu regat.*

Denique in ejuſdem libri epiſtola XXXII. ad eundem Imperatorem : *Piiſſimus atque a Deo conſtitutus dominus noſter inter ceteras Auguſtorum ponderum curas conſervandæ quoque ſacerdotali charitati rectitudine ſtudii ſpiritualis invigilat.*

Id profitetur Agatho in epiſtola ſynodica, quæ in Synodi VI. actione IV. lecta & approbata eſt. *His itaque*, inquit, *manſuetiſſimi rerum domini, divalibus apicibus animatus, & ad ſpem conſolationis de profundis angoribus alleviatus, orſus ſum melioris refectus confidentia paulatim iis, quæ per manſuetiſſimæ fortitudinis veſtræ ſacram dudum præcepta ſunt, efficaciter promptam obſequentiam exhibere, vt perſonas, quales ſecundum temporis hujus defectum ac ſervilis provinciæ qualitatem poterant inveniri, pro obedientiæ ſatisfactione inquirerem : & cum conſilio confamulorum meorum Epiſcoporum, tam de propinqua hujus Apoſtolicæ Sedis Synodo, quamque de familiari Clero amatores Chriſtiani Imperii, & ſequenter de religioſis ſervis Dei, vt ad piiſſimæ tranquillitatis veſtræ veſtigia properarent, hortarer. Et niſi longus provinciarum ambitus, in quibus humilitatis noſtræ Concilium conſtitutum eſt, tanti temporis protelationem ingereret, olim hoc quod vix tandem nunc fieri potuit, ſtudioſa obedientia, famulatus noſter impleret. Sed dum de diverſis provinciis familiare nobiſcum Concilium congregatur, & dum perſonas, quaſdam de hac ſervili veſtri sereniſſimi principatus Romana vrbe, vel de proximo dirigere procuramus, quaſdam de longe poſitis provinciis, in quibus verbum Chriſtianæ fidei ab Apoſtolicis exiguitatis meæ prædeceſſoribus miſſi prædicabant, remeare præſtolamur, non parvus temporum curſus elapſus eſt, vt corporales ægritudines mei famulatus ſilentio tranſeam, in quibus nec vivere licet, nec libet aſſiduis ægrimoniis laborantem. Ideoque, Chriſtianiſſimi domini & filii, ſecundum*

piissimam jussionem a Deo protegendæ mansuetudinis vestræ pro obedientia, quam debuimus, non pro confidentia eorum scientiæ quos dirigimus, præsentes confamulos nostros, Abundantium, Ioannem & Ioannem, reverendissimos fratres nostros Episcopos, &c. Sic Pontifex ad Constantinum, Heraclium & Tiberium Imperatores scribit, quorum dominio subjici se multoties significat.

Id profitetur Gregorius II. cum paucis, sed efficacibus verbis, ad Leonem Isaurum in posteriori scribit epistola: *Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac regias dignitates deferendi.*

Id testatur Luitprandus, seu quisquis vitam Joannis XII. composuit. *Interea*, inquit, *Ioannes Pontifex ad defectionem sollicitatus immemor juramenti præstiti Adelberto* (rebelli) *se conjunxit*. Deinde in epistola, quam Otto Imperator cum Romana Synodo ad Joannem XII. qui Synodo adesse noluit, direxit. *Ioannes*, inquit, *oblitus juramenti & fidelitatis, quam mihi supra corpus beati Petri promisit, eundem Adelbertum* (rebellem) *Romam venire fecit, & contra me defendit*. Hæc ad annum DCCCCLV. contigerunt, quo Joannes XII. Ottoni I. sacramentum fidei præstitisse dicitur.


Deinde certum est ad annum MCXCVIII. quo Innocentius III. Romanæ præsidere cœpit Ecclesiæ, jam desiisse Romanum Pontificem Imperatori subesse, & cœpisse supremam in rebus temporalibus potestatem exercere. Id videre est in tit. *Qui sint legitimi filii*, in cap. *Per venerabilem*, vbi res ita se habet ad Guillelmum Comitem Montispessulanum: *Per venerabilem fratrem nostrum Arelatensem Archiepiscopum tua nobis humilitas supplicavit, vt filios tuos legitimationis dignaremur titulo decorare, quatenus eis quominus tibi succederent, natalium objectio non noceret. Quod autem super hoc Apostolica Sedes plenam habeat potestatem, ex illo videtur, quod diversis causis inspectis, cum quibusdam minus legitime genitis, non naturalibus tantum, sed adulterinis etiam dispensavit, sic ad actus spirituales illos legitimans, vt possint in Episcopos promoveri: ex quo verisimilius creditur, & probabilius reputatur, vt eos ad actus legitimare valeat saculares, præsertim [illegible] r[illegible]ter Romanos Pontifices inter homines superiorem alium non cognoscant, qui legitima[illegible]di habeat*

CCcc iij

potestatem, quia cum major in spiritualibus tam providentia, quam auctoritas & idoneitas requiratur, quod in majori conceditur, licitum esse videtur & in minori. Et paullo post: *Videretur siquidem monstruosum, vt qui legitimus ad spirituales fieret actiones, circa seculares actus illegitimus remaneret. Unde cum in spiritualibus dispensetur, consequenter intelligitur in temporalibus dispensatum. Id autem in Patrimonio beati Petri libere potest Apostolica Sedes efficere, in quo & summi Pontificis auctoritatem exercet, & summi Principis exequitur potestatem.* Et paullo post: *Super Ecclesiæ Patrimonio plenam in temporalibus gerimus potestatem.* Sic Innocentius designat eam terræ partem, vbi Romanus Pontifex, excusso imperii jugo, & veteri abjecta obedientia, exercebat summi Principis potestatem. Hanc terræ partem vocat, nunc beati Petri, nunc Ecclesiæ Patrimonium: quod an tunc iisdem contineretur terminis, quibus Status, vt vocant, Ecclesiasticus, seu Romani Pontificis Ditio hodie continetur, hujus loci non est disquirere. Ad institutum nostrum satis est id nosse quod modo indagamus, & mox observavimus.

Tum certum est intra annorum illorum, qui a Joanne XII. vsque Innocentium III. elapsi sunt, spatium, Romanos Pontifices Occidentalium Imperatorum obedientiæ subductos fuisse, & a præstando illis sacramento fidei destitisse. Sed quo anno, quo Pontifice, quo Imperatore id contigerit, incertum est. Carolus Sigonius cum ad annum DCCCCLXXIII. quo a vita decessit Otto I. Italiæ statum describit: narrat quidem Imperatorem hunc Romano Pontifici Romanum Ducatum, Spoletanum, Thusciam, Marchiam Anconitanam & Exarchatum concessisse; sed aperte non dicit, num supremum dominium concesserit. Utut sit, cum primum Romani Pontifices supremo in illis locis dominio potiri cœperunt, ii æque ac reliqui Principes potuerunt leges condere, quibus, si opus esset, Matrimonia dirimerentur.





Universi Tractatus conclusio.

CUM æterni legislatoris, a quo omnis potestas in cælo & in terra derivatur, inviolabili statuatur lege, reddenda esse Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei: in hoc vniverso tractatu, omni omnino ratione studuimus, vt ab hac divina regula ne latum quidem vnguem discederemus. Neque vllus, opinor, veræ Theologiæ principiis imbutus, qui rectis oculis aspiciat, ibit inficias. Ostendimus itaque duplicem potestatem, qua Christianorum Matrimonium regatur, temporalem & spiritalem a Deo concessam esse, & vtramque sic inter se differre, vt temporalis ac politica potestas matrimonialis contractus, & eorum quæ ad eum validum vel invalidum reddendum pertinent, vel quæ civilem contractum perinde sequuntur ac sequerentur, si Sacramentum non esset, curam gerat. Spiritalis vero & sacerdotalis rerum illarum temporalium fines transiliens, & vltimum æternæ vitæ finem intuens, Sacramento aliisque rebus, quas Deus contractui Matrimonii jam legitime peracto superadjecit, ordinandis disponendisque incumbat. Quo in negotio primum ante oculos semper habuimus Gelasium & Nicolaum Pontifices, qui hanc vtramque potestatem propriis actibus a Christo distinctam fuisse constantissime docuerunt. Deinde beatum Augustinum tractatu CXV. in Joannem ex parte Christi Sacramentorum auctoris ita differentem: *Audite omnia regna terræ, non impedio dominationem vestram in hoc mundo, regnum meum non est de hoc mundo.* At justam quorumlibet Principum dominationem non impediret tantum, sed vel nobilissima sui parte mutilaret; si quia Matrimonium in Sacramentum instituit, id fecerit quod fecisse volunt Basilius Pontius, Hurtadus Mendoça, Antoninus Diana, Optatus Gallus: id est, si Christianos Principes sanciendarum pro bono pacis legum Matrimonia dirimentium jure privarit.

Verum absit ab ordine sacerdotali tam dura sententia, qua

ſponſa a ſuo ſponſo tam vehementer diſſentiret, & religionem, cui propagandæ ſemper incubuit, Principibus ethnicis diſſuaderet, & Chriſtianis tandem a quo defenditur, ſuſpectam redderet ac formidoloſam. Porro de impedimentis Matrimonium dirimentibus, & eorum auctoribus ea diſſeruimus, quæ homini ad prudenter ſentiendum in hac materia parato, non ſenſuto autem nimis multa videri poſſunt. Illam, ſi Deo placet, ſecuti ſumus diſputandi methodum, quæ omnem finem faciat altercandi. Illam quæ exponi potuit, antiquitatem expoſuimus, vt quod nos forſan alteri alteris quibuſdam ſuſpecti non ita commode poſſumus, hoc priſcorum ſæculorum veneranda canities ab hac lite remotior decideret arbitrio. Univerſitatem vidimus, cum ad explendam curioſitatem omnem percurrimus Academiarum judicia, Imperiorum, Regnorum, Provinciarum leges, mores, exempla, & Romanorum Pontificum teſtimonia, quæ de vtraque memoria, nova & veteri ſpirant, & jura Principum in diſponendis Matrimoniis cumulatiſſime teſtantur. Sed quod ſpectat ad Principes & Imperia, credibile non eſt, tot ac tantos Principes, tot ac tanta Imperia in vnum, quod non fuiſſet ſuum, vſurpaſſe tandiu, vel in vnam intolerabili errore conſpiraſſe ſententiam, vel demum id permiſiſſe ſacerdotalem ordinem, qui pro illorum ſalute Deo juſto judici rationem redditurus eſt. Conſenſionem denique poſt exortas certe Lutheri novitates exhibuimus, omnium pene Magiſtrorum definitiones & placita ſectati: atque ita quidquid de nativo jure Principum non vnus aut duo tantum, ſed omnes propemodum vno pariter eodemque conſenſu aperte, frequenter, perſeveranter tenuiſſe, docuiſſe, ſcripſiſſe cognovimus; id nobis quoque intelleximus abſque vlla dubitatione tenendum, docendum, ſcribendum. Sed *abſit*, ait Gelaſius, *ab homine Chriſtiano, vt intimatam ſuis ſenſibus veritatem arbitretur injuriam.* Si quis igitur, vt cum Nicolao Oreſmio Pariſienſi Theologo, Caroli V. præceptori, & Lexovienſi tandem Epiſcopo, concludam, *amore veritatis inveniendæ his dictis voluerit contradicere vel contraſcribere, bene faciet: & ſi male locutus ſum, teſtimonium perhibeat de malo; ſed ſi cum ratione, ne ipſe videatur condem-*

nare quod non poterit impugnare. Quidquid id eſt, in omnem eventum ego de regia in Matrimonium poteſtate argumentatus, ea vtor proteſtandi formula, qua Joannes XXII. de viſione beatifica ſermocinatus, vti ſic voluit : *Ne quis ſiniſtre interpretari poſſit nos ſenſiſſe aliquid aut ſentire quod ſacræ Scripturæ obviet, aut fidei orthodoxæ : dicimus & proteſtamur expreſſe, quod quidquid in quæſtione ſeu materia viſionis animarum, videlicet an animæ a peccatis & pœnis peccatorum purgatæ videant divinam eſſentiam illa viſione, quam Apoſtolus vocat facialem, ſeu in quacunque alia materia, in ſermonibus & collationibus noſtris diximus, allegavimus, ſeu propoſuimus, non intendentes aliquid determinare vel decidere vel credere, quod eſſet quovis modo Scripturæ ſacræ obvium, vel contrarium fidei orthodoxæ; ſed illud ſolum tenere & credere, quod & Scripturæ ſacræ poteſt & poterat Catholicæ fidei convenire. Et ſi forſan in prædictis ſermonibus vel collationibus aliqua, quæ vel Scripturæ ſacræ, ſeu fidei orthodoxæ quovis modo eſſent vel viderentur obvia, ipſa præter intentionem a nobis fuiſſe prolata dicimus & aſſerimus, eaque revocamus expreſſe, non intendentes illis adhærere, nec ea in præſenti defendere, nec etiam in futurum.* Hæc apud Odoricum Raynaldum in tomo XV. Eccleſiaſticorum Annalium ad annum MCCCXXXIV. Quis, quæſo, in quavis materia non imitaretur hunc Pontificem, cum ait beatus Cyprianus : *Non vincimur, ſed inſtruimur, dum offeruntur meliora.*

FINIS.



Addenda paginæ 16. *lin.* 12. *post* sacramentum est.

XVI. Isaacius Habertus in libro VI. de consensu Hierarchiæ & Monarchiæ, vbi regium de connubiis edictum tuetur: *Constantis*, inquit, *ac perspicuæ veritatis est, Principis titulo ac potestate condendarum de Matrimonio legum, vim facultatemque in suo ordine supremam comprehendi: nominis enim regii amplitudine non sola facultas, sed etiam officium continetur instituendi decernendique omnia, quæ ad Reipublicæ finem bonumque cumulatissimum necessaria, vtilia, fructuosa judicantur. Nihil autem ad Reipublicæ incolumitatem & conservationem arctioris Matrimonio necessitatis est, ex quo videlicet sibi seritur, ac veluti renascitur, semperque constat, & artificiosam quandam humano generi immunitatem elaborat. Unde prima legum omnium Dei ore dicta & promulgata lex de conjugio fuit. Quod sapientissimi postea Philosophorum Principibus tanquam Dei Proregibus incumbere docuerunt. Theologum vero simul cum Philosopho agens sanctus Thomas contra gentes, quam solido sermone veritatem hanc suffulcit! Quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem, quia finis est proportionatus agenti*, &c. vt supra. Hæc ille, qui postea in Vabrensem Episcopum evasit.

Addenda paginæ 188. *lin.* 12. *post* excusarentur.

Celestinus III. in epistola ad Michaelem Senonensem Archiepiscopum: *Cum in regno Galliæ Catholici semper æquitatis cultores fuerint Principes.* Infra: *Et quidem si magnitudo regia considerasset attentius, attendissent & secum nihilominus, qui hujus præsumptionis cooperatores fuerunt, quantum sit Matrimonii sacramentum, non fuisset, vt credimus, hoc modo processum. Constat enim cuique divinam paginam revolventi, quod ipse Dominus Matrimonium instituit & in paradiso, ante peccatum ad officium propter sobolem propagandam, dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete terram. & extra paradisum, ad remedium propter peccatum, propter fornicationem. Unde ipse primus homo Spiritu sancto afflatus inquit: Propter hoc relinquet homo patrem &*

matrem

matrem, & adhærebit uxori, & erunt duo in carne una. Quanta sit etiam Matrimonii dignitas, & quam circumspecta debeat ad tractandum de eo procedere gravitas, Dominus innuit, qui cum interrogatus fuisset, si licitum esset uxorem dimittere, & quæsitum esset ab eo super hereditate duorum fratrum communiter dividenda, in uno tacet, & in altero sic respondet: Quicunque dimiserit uxorem suam, præter causam fornicationis, mœchatur. Per hoc nimirum ostendit, quod Ecclesia in cognitione Matrimoniorum, quasi cæteris difficiliori, cum majori quam in aliis procedere debeat gravitate. Et cum ipse alibi dicat: Quod Deus conjunxit, homo non separet; adverti potest quam graviter ille delinquat, & quantum sit ei ab ira ventura timendum, per quam tanti Sacramenti Christi & Ecclesiæ religio perturbatur. In ea epistola quam Radulfus de Diceto integram recenset in libro chronicorum. At quantum sit Matrimonii sacramentum, Pontifex id cum ex veteri, tum ex novo fœdere confirmat.

Addenda paginæ 192. *lin.* 2. *post* Matthæi XIX.

Petrus Sotus, qui ex parte Romani Pontificis Tridentino Concilio interfuit in lect. 11. de Matrimonio: *Ad hoc igitur breviter dicimus: primo, institutionem illam (de qua in Genesi) etiam ad Sacramentum pertinere. De illa enim inquit Paulus: Sacramentum hoc magnum est. Propterea enim (ut superius dicimus) omnia ibi facta prophetica fuerunt & supernaturalia, quanquam natura videretur perfici. Ubi igitur institutum est Sacramentum hoc, ibi & significatio & indissolubilitas (quæ ex significatione est) institutæ sunt, hoc ipsum Christo Domino apud Matthæum aperte testante, & legem permittentem repudii libellum prohibente. Ait enim: Ab initio non sic erat; sed masculum & fœminam fecit eos. Et dixit: Propter hoc relinquet homo,* &c. *ubi, ut postea dicetur, & uxorum pluralitas, & repudium tanquam contra primam institutionem invecta rejiciuntur a Christo. Ex quo etiam secundo dicimus Sacramentum hoc peculiariter novæ legis esse, quia in ea probatur & reducitur ad priorem suam originem: itaque in eo loco Matthæi merito dicere possumus a Christo institutum, vel potius confirmatum in Ecclesia: nam & quod nuptiis interfuerit Dominus,*

approbatio etiam fuit ipsius. Fuit igitur Matrimonium in lege veteri Sacramentum, Paulo id aperte testante. Nam & pluralitas illa vxorum, vt Augustinus inquit, gentium omnium Ecclesias significabat conjungendas in Christo.

Addenda paginæ 460. *lin.* 32. *post* permissum sit.

XII. Epiphanius Salaminæ seu Constantiæ in Cypro insula Episcopus, Basilio æqualis, in libris quos de hæresibus ad annum CCCLXXVI. conscripsit, in hæresi LIX. quæ est Catharorum seu Novatianorum : *Ceterum in populo propter ejus imbecillitatem tolerari istud potest, vt qui vxore prima si contenti esse non possint, ea mortua, secundam sibi copulent. Quamquam, qui vnam duntaxat habuit, majori Ecclesiæ judicio honore dignus est. Sed cui mortua vna sufficit, cum occasione aliqua stupri, πορνείας adulteriique, μοιχείας aut alterius flagitii, κακῆς αἰτίας, cum ea divortium fecerit is : si alterum duxerit, aut alteri viro mulier nupserit, sacrarum literarum auctoritas ab omni culpa illos absolvit, neque ab Ecclesia vel æterna vita rejicit, sed propter imbecillitatem tolerandos existimat. Non ita tamen, duas vt altera superstite vxores simul habeat; sed vt ab vna separatus, alteram sibi legitime, si lubet, adjungat.* Hic doctissimus Antistes perinde loquitur, ac si tunc nulla fuisset ea de re quam tractat dubitatio.


Addenda paginæ 571. *lin.* 10. *post* deferendi.

Id profitetur Romanum Eugenii II. Concilium quod anno DCCCXXVI. coactum est. *In nomine Domini Dei Salvatoris nostri* JESU CHRISTI, *imperante domino nostro piissimo augusto HLodouvico a Deo coronato magno Imperatore, anno* XIII. *& regni ejus anno* XIII. *sed & HLothario novo Imperatore ejus filio anno* X. *Indict. IV. mensis Novembris die* XV. *Eugenius sanctissimus*, &c. Sic Romanum Concilium, cujus caput erat Eugenius, Ludovicum Imperatorem dominum suum appellat, id est, Imperio subjectum.

Id profitetur apud Anastasium Bibliothecarium Sergius II.

qui anno DCCCXLIV. Sedis Apostolicæ clavum tenere cœpit, vbi auctor narravit Ludovicum Lotharii Imperatoris filium ab Sergio Longobardorum Regem coronatum esse, subjicit: *His igitur peractis, a prædicto postulaverunt Pontifice, vt omnes primates Romani fidelitatem ipsi Ludovico Regi per sacramentum promitterent, quod prudentissimus Pontifex fieri nequaquam concessit. Sed sic orsus est illis: Quia, si vultis domino Lothario Imperatori hoc sacramentum vt faciant, solummodo consentio atque permitto; nam Ludovico ejus filio vt hoc peragatur, nec ego, nec omnis Romanorum nobilitas consentit. Tunc demum in eadem Ecclesia sedentes pariter tam beatissimus Pontifex, quam magnus Rex & omnes Archiepiscopi atque Episcopi, stantibus reliquis Sacerdotibus, & Romanorum & Francorum optimatibus, fidelitatem Lothario magno Imperatori semper augusto promiserunt.*

Id profitetur Romanum Leonis IV. Concilium, cujus exordium sic se habet: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Incipit sancta ac veneranda Synodus, quæ per Domini gratiam, & ejus divinum consilium congregata est in Ecclesia beati Petri Apostoli, anno scilicet Pontificatus sanctissimi ac coangelici, & universalis quarti Papæ Leonis septimo, atque invictissimorum dominorum nostrorum HLotharii ac HLudovici Imperatorum; anno quoque Imperii eorum quinto, & trigesimo septimo mense Decembri, die* VIII. *Indict. II.* Sic Romanum Concilium quod habitum est anno DCCCLIII. Imperatores Lotharium & Ludovicum dominos suos nominat. Quo nomine Leo IV. & Præsules alii se in rebus terrenis Imperatoribus subditos esse luculenter ostendunt.



Ad primam partem tract. art. N. cap. IV. Appendix in gratiam nonnullorum ἐπιπολαζόντων, qui caput hoc IV. cum assertione V. & VI. præcedentis capitis, conciliare non possunt, etiamsi facile conciliarent, nisi præjudiciis occupati nodum in scirpo quærerent.

Rationum momenta XV. quibus invicte probatur nomen Ecclesiæ, quod habent canones duo sessionis XXIV. Tridentini Concilii, de sacerdotali ordine, quatenus talis est, intelligi non posse sine ejusdem Concilii injuria.

Si quis dixerit eos tantum consanguinitatis seu affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, non posse Ecclesiam in nonnullis dispensare, aut constituere, vt plures impediant & dirimant, anathema sit.

Si quis dixerit non potuisse Ecclesiam constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errare, anathema sit.

Canones hi duo anathemate feriunt Lutheri propositiones duas. Prima est: *Conjunctio viri & mulieris tenet, quocunque modo contra hominum leges contigerit.*

Altera: *Debent Sacerdotes ea omnia Matrimonia confirmare, quæ contra Ecclesiasticas vel Pontificias leges fuerunt contracta, in quibus Papa dispensat, & quæ non sunt in sacra Scriptura expressa.*

Propositio prior tangit latam ab Imperatore Theodosio legem, quam ab Ambrosio & Augustino illustribus Ecclesiarum magistris laudatam viderat Lutherus, & quæ præterea testimonium habet sui in canone V. Lateranensis Concilii, cui Callistus II. præfuit: *Conjunctiones consanguineorum fieri prohibemus, quoniam eas divinæ & sæculi prohibent leges.*

Propositio posterior tangit maxime Pontificias ejusdem Theodosianæ legis dispensationes.

Facultas Parisiensis Theologiæ propositiones duas Lutheri non separatim sed conjunctim damnandas esse censuit, vt jura civili & Ecclesiastico foro convenientia simul tueretur.

Censura est ejusmodi : *Vtraque harum propositionum est falsa, & Ecclesiæ potestati impie derogativa.* Facultas hac in censura, vt jam monui, humanas leges, quibus dirimuntur Matrimonia, & Pontificias, quibus humanæ communiuntur per anathemata & spirituales pœnas, in vnum conjunxit : quod curiosa diligentique animadversione indiget. Deinde quod in altera Lutheri propositione spectat personalem suppositionem, vt loquuntur Dialectici, in simplicem convertit. Quam enim dispensandi facultatem Novator Pontifici tribuit, eam Facultas Ecclesiæ vindicandam & asserendam esse duxit. Hic tractandi modus extraordinarius est, cum propositiones damnandæ damnari soleant vt jacent; sed id non caret mysterio, quod præ se fert suppositionis personalis in simplicem conversio.

Tridentina Synodus Facultatem imitatur & subsequitur, cum in canone priori legum Matrimonia dirimentium dispensationem non Pontifici, cui a Luthero illa tribuitur, sed Ecclesiæ transscribit : atque istud, ni fallor, admirationis habet quamplurimum, cum Synodus Pontifici id omne semper tribuat, quod videatur posse tribui. Sic & in posteriori canone potestatem instituendarum legum quæ Matrimonia dirimant, non Pontifici, sed Ecclesiæ consignat. Parisienses Theologi & Tridentini Patres cum agebant hocce modo, intelligebant viri prudentes, Christianæ religioni, & publicæ disciplinæ satis superque ita consultum iri.

Hic non ante rationum momenta exponam omnia, quam tria scitu necessaria notaverim. Primum est, ex superiori Parisiensium Theologorum, & Tridentinorum Patrum modo tractandi veram relatorum canonum sumendam esse intelligentiam. Id discimus ex sanctis Patribus, quos in materia non dissimili nos docentes audire juvat.

Primus est Hilarius in libro de Trinitate quarto : *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.*

Alter est Ambrosius in libro III. de Virginibus : *Quoniam vero beati Ioannis Baptistæ non strictim prætereunda est recordatio, interest, vt quis, & a quibus, & quam ob causam, quomodo*

& quo tempore sit occisus, advertere debeamus.

Tertius, Chrysostomus in homilia de verbis Jeremiæ (Non est in homine via ejus) cap. x. *Allatam in medium propheticam hanc sententiam diligenter expendamus, quis eam protulerit, & quorum causa, quo tempore & quem alloquens, & quo in statu res tum essent. Omnia denique pervestigemus, quæ ad inveniendum usui esse possunt.*

Quartus denique Cyrillus Alexandrinus in thesauro, assertione XX. *Primum quidem oportet eum, qui ad investigationem sacrarum Scripturarum accedit, observare tempus, quo aliquid dicitur, & personam a qua dicitur, propter quid, & de quo dicitur.*

Lutherus igitur impedimenta dirimentia, & inprimis consanguinitatis & affinitatis, quæ olim sæcularium Principum auctoritate laudabiliter, vt in articulo III. primæ partis tractatus per plura capita vidimus, instituta, Ecclesiasticis postea illata constitutionibus & variis modis asserta fuerunt, cum reprehendat: vel ex hoc vno manifestum est, quid definierit Synodus, & quam ad interpretationis lineam exponendi sint canones nostri duo, quæ impedimenta novator ille rejecerat, hæc Concilium retinuit, & retenta duplici anathemate communiit. Sic Tridentini Præsules & illorum Theologi, qui repetitam ab initio impedimentorum Matrimonia dirimentium historiam probe noverant, Theodosii Magni & Justiniani & aliorum Principum leges a nobis supra descriptas adversus Lutherum vindicarunt, & Christianorum pacem ac tranquillitatem confirmarunt.

Alterum est, Ecclesiam apud beatum Paulum Christi corpus semel atque iterum vocari. Semel in epistolæ ad Romanos capite XII. *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra.* Iterum in prioris ad Corinthios epistolæ capite XII. *Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa: omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus.* Et paullo post: *Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de*

corpore. Num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris, quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideo non est de corpor. ? si totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit. Auctor Commentariorum in hanc epistolam apud Hieronymum: *Per comparationem*, ait, *corporis ostendit, non naturam membrorum, sed officia esse diversa, & neminem debere curare, cujus sit officii, dum omnes uno eodemque spiritu animentur.* Theodoretus in eundem locum: *Christum*, inquit, *hic commune Ecclesiæ corpus appellavit: quoniam hujus corporis caput est Christus Dominus. Præcipit ergo in corpus intueri, & scire quod ex diversis quidem membris est compositum. Unum autem corpus est & dicitur, & hinc intelligere, quod etiam Ecclesia vocatur corpus Christi Domini. Habet autem membra multa & differentia, & alia quidem majora, alia minora, alia præstantiora, alia inferiora; sed omnia tamen necessaria & utilia.*

Bellarminus in libro v. de Rom. Pont. cap. VII. cum in Pauli loca duo hæc inspiceret, sic describit Ecclesiam: *Reges & Principes, Clerici & laici non faciunt duas respublicas, sed unam, id est, unam Ecclesiam. Sumus enim omnes unum corpus, Rom.* XII. *&* I. *Corinth. cap.* XII. Hic Cardinalis Romanæ Ecclesiæ & Curiæ opportunitatum non negligens, cur in narratione sua Reges Pontificibus antepofuerit, fecerunt duo. Et primum quidem quod sciret a Patribus & Ecclesiæ tractatoribus dici regnum & Sacerdotium, non Sacerdotium & regnum. Deinde quod Romanos Pontifices hunc ordinem servantes videret. Nicolaus enim I ad Michaelem Imperatorem ita scribit in epistola VIII. *Sed cum ad verum ventum est, eundem Regem atque Pontificem ultra sibi, nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum usurpavit.* Alexander III. leges canonibus sic anteponit in Appendice ad Lateranense Concilium cap. IV. de juramento: *Imperatorum secularium leges & Ecclesiasticæ Patrum constitutiones viros religiosos in omnipotentis Dei servitio protegunt.* Nicolaum & Alexandrum præcedit Hispalensis Synodus II. & cap. II. sic loquitur: *Hoc enim & secularium Principum edicta præcipiunt, & Præsulum Romana decrevit auctoritas.*

Tertium est, Ecclesiam, quæ est Christi corpus, a Gelasio Pontifice primo bifariam distribui in epistola VIII quam ad Anastasium Imperatorem dedit: *Duo sunt*, inquit, *quibus hic mundus principaliter regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas, in quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus Domino in divino reddituri sunt examine rationem.* Et quibusdam interpositis: *Si enim quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ: quo, rogo, te decet affectu eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus attributi sunt mysteriis?* Gallicana Ecclesia Gelasii doctrinam comprobando suam fecit.

Carolus Magnus, qui de Christiana religione tam bene meritus est in libro V. Capitularium, num. CLXVII. *Principaliter itaque*, inquit, *totius sanctæ Dei Ecclesiæ corpus in duas eximias personas, in sacerdotalem videlicet & regalem, sicut a sanctis Patribus traditum accepimus, divisum esse novimus.*

Lupus Ferrariensis Abbas in epistola LXXXI. ad Amulum Episcopum: *Idem Rex & Sacerdos Sacerdotum, qui solus potuit Ecclesiam regere, quam redemit, postquam humanitatem suam in cælum evexit, semper cum suis futurus divinitate, potestatem suam ad eandem gubernandam Ecclesiam in Sacerdotes divisit & Reges.*

Nicolaus I. Lupum hunc insignem virum excipit, & ita scribit ad Michaelem Imperatorem in epistola VIII. *Sed cum ad verum ventum est, eundem Regem atque Pontificum ultra sibi, nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum usurpavit: quoniam idem mediator Dei & hominum homo* CHRISTUS JESUS, *sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia utriusque potestatis discrevit: ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur.*

Nicolaum subsequuntur Concilia duo Galliæ. Unum, quod apud sanctam Macram in pago Remensi coactum est anno DCCCLXXXI. cap. I. *Hæc namque sunt sacerdotalis*

officii, & regii ministerii : quia sicut in sacris legimus literis, duo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regia potestas. Solus enim Dominus noster JESVS CHRISTVS *vere fieri potuit Rex & Sacerdos. Post Incarnationem vero Domini, Resurrectionem & Ascensionem ejus in cælum, nec Rex Pontificis dignitatem, nec Pontifex regiam potestatem sibi vsurpare præsumpsit, sic actionibus propriis dignitatibusque ab eo distinctis, vt & Christiani Reges pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium rerum cursu Regum dispositionibus vterentur.*

Alterum apud Trosleium in pago Suessionensi habitum anno DCCCCIX. cap. II. *In quo facto*, inquit, *pontificalem sic exerimus auctoritatem, vt non obliviscamur regiam a Deo constitutam esse sublimitatem, dicente Apostolo, Subjecti estote Regi, quasi præcellenti. Sicut enim regalis potestas sacerdotali religioni se devote submittit : sic & sacerdotalis auctoritas cum omni pietatis officio se regali dignitati subdere debet, sicut sanctus ostendit Papa Gelasius ad Anastasium scribens Imperatorem : Duo sunt, inquit, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas, in quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus in divino reddituri sunt examine rationem*, &c. *Ergo quia & Rex pro æterna vita indiget Pontificibus, & Pontifices pro temporalium rerum cursu regali indigent dispositione, & a Rege obediendum est Pontificibus recta, sancta & justa suadentibus, & vicissim a Pontificibus obediendum est Regi pietatis cultui religione, jure & solatio servienti.*

A tempore Gelasii, qui anno CCCCXCVI. vitam deposuit, vsque ad annum DCCCCIX. quo celebratum est Trosleianum Concilium, nec Romana, nec Gallicana Ecclesia cogitationem vllam suscepit, vel de statuendis legibus, quæ Matrimonium dirimant, vel de reddendis personis ad contrahendum Matrimonium inhabilibus, vel de concessione veniæ, qua consobrina vxor justa fieret ; & hoc est tam certum, quam quod certissimum. Ceteræ Occidentis & Orientis Ecclesiæ Romanam & Gallicanam imitabantur Ecclesiam, suis se finibus continebant. Profecto intelligebant omnes tria illa, de quibus non cogitarunt, ad regiam tantummodo

poteſtatem pertinere, cum in civili republica ſit nihil, quod ad eam magis intime pertineat.

Porro quæ notatæ ſunt epochæ duæ, præjudicium inferre nullum debent connubiali diſciplinæ, quæ vel Gelaſii tempus anteceſſit, vel Troſleiani Concilii celebrationem ſubſecuta eſt. Imperatores ante Gelaſium ſuis legibus Matrimonium, quatenus in officium communitatis inſtitutum eſt, rexerunt. Imperatores & Reges poſt Troſleianum Concilium jure ſuo tandiu ſunt vſi, quandiu ei conſervando ſtudioſe advigilarunt. Sed tandem aliquando regia poteſtas annorum vices experta eſt, & temporum detrimenta ſenſit: ita vt juris ſui memoriam pene amiſerit, & factum ſit continuo, vt hinc quibus ſoluti erant legibus, iis plane ſubjacuerint; inde quam contrahendi in gradu vetito Matrimonii concedebant ſubditis veniam, hanc illis & ipſis Regibus Pontifices, non Petri hac in re, ſed Theodoſii ſucceſſores conceſſerint. Hæc non juris eſt, ſed facti quæſtio, quam vulgus imperitorum fortaſſis neſcit; ſed quam eruditus in doctrina temporum nemo ignorat. Dicenda ſunt cum veritate, quæ vere geſta ſunt.

His autem tribus ita præmiſſis, exponenda ſunt rationum momenta XV. quibus invicte probatur, nomen Eccleſiæ, quod habent canones duo ſeſſionis XXIV. non poſſe intelligi de ſacerdotali ordine, quatenus ſacerdotalis ordo eſt, ſine injuria ejuſdem Concilii.

Ratio prima ex eo quæritur, quod Facultas Pariſienſis Theologiæ, & Tridentinum Concilium, vbi de Pontificia diſpenſatione agitur, ſuppoſitionem perſonalem in ſimplicem converterint, vt jam notavimus, & recte quidem. Nam in ſuppoſitione perſonali non erat ſemper verum dicere, veniam a Romano vel alio Pontifice datam eſſe, qua conſobrina legitima fieret vxor. Quid ita? Ab anno Chriſti CCCXCV. quo migravit Theodoſius ſenior, Imperatores & Reges vſque ad Gregorium VII. epocham multarum rerum, quarum diſcuſſio non eſt hujus loci, veniam illam dederunt: Gregorii ſucceſſores dare cœperunt. At in ſuppoſitione ſimplici ſemper erit verum dicere, Eccleſiam a tem-

pore Theodosii dedisse veniam, qua consobrina vxor justa fieret, etiamsi veniam illam aliter atque aliter dederit, nunc per Imperatores & Reges, nunc per Pontifices. Hoc tractatus nostri pars prima demonstrat in articuli capite VI. Accedit superior notatio tertia, vbi Romani & Gallicani Præsules auctoritatem sacram Pontificum, & regalem potestatem in Ecclesia concludunt. Sic priori canoni, in quo res historica tangitur, sua tantum constabit veritas: non constabit, vt apparet, si Ecclesiæ nomine sacerdotali ordo, quatenus talis est, intelligatur, & tunc Concilio fiet injuria.

In Occidente dixi, quia quo tempore in eo fieri a Pontificibus cœpit dispensatio, in Oriente facta non est, nec vllam ibi factam fuisse reperimus, quamdiu Orientale stetit Imperium. Præterea in Occidente Ludovicus IV. Imperator ad annum MCCCXL. Margaretæ Ducissæ Carinthiæ permisit, vt Brandeburgensi Marchioni consobrino suo nuberet.

Ratio secunda quæritur ex posteriori canone, in quo respectus ad superiorem ætatem habetur: *Si quis dixerit non potuisse Ecclesiam constituere impedimenta Matrimonium dirimentia.* At in ætate superiori non auctoritas sacra Pontificum, sed regalis potestas leges Matrimonium dirimentes instituit, & cum primis eas, quibus Lutherus bellum indixit. quocirca si nomine Ecclesiæ sacerdotalis ordo, quatenus talis, intelligatur, sua canoni constare non poterit veritas, atque ita Concilio fiet injuria. Sed si nomen Ecclesiæ intelligatur juxta superiores notationes, sua canoni constabit veritas, nec Concilio fiet injuria.

Ratio tertia ex eo quæritur, quod si nomine Ecclesiæ sacerdotalis ordo intelligatur, consectarium sit, Concilium eamdem tractans materiam nomen Ecclesiæ aliter atque aliter accepisse; in vtroque canone pro sacerdotali tantum ordine, vt ponitur, sed in capite de reformatione Matrimonii, vbi dicitur celebrandum esse Matrimonium *in facie Ecclesiæ*, pro fidelium collectione, vt Bellarminus tradit in suis ad Tridentinum Concilium declarationibus. *In facie*, inquit, *Ecclesiæ*, *Ecclesiæ nomen sumi pro fidelium collectione.* Hanc loquendi formulam *in facie Ecclesiæ*, si tam brevi negotio fieri posset,

posset, quam potest facili, per traditionem ad beatum Paulum reduceremus, qui in prioris ad Corinthios epistolæ capite VIII. sic scribit: *Ostensionem ergo quæ est caritatis vestræ, & nostræ gloriæ, pro vobis in illos ostendite in faciem Ecclesiarum*, quæ aliæ non sunt quam fidelium cœtus. His autem ita positis, Concilium eamdem tractans materiam, nomen Ecclesiæ non vno eodemque sensu, sed aliter atque aliter acciperet, & lectores suos ambiguitate nominis ludificaretur; atque ita Concilio fieret injuria. non fieret, si nomen illud vsurparetur in suppositione simplici, ex qua ad alteram e duabus personalibus suppositionibus veteri disciplinæ & traditioni juxta superiores notationes convenientem rectissime descenditur.

Ratio quarta ex eo quæritur, quod si nomen Ecclesiæ sacerdotalem ordinem importaret, Concilium novo & inusitato modo locutum esset. Quid ita? antequam Tridentinum cogeretur Concilium, Ecclesia definita est nusquam Clericorum, vel Sacerdotum primi & secundi ordinis cœtus. Qui accipiet Ecclesiam prout a beato Cypriano definitur, *Plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens*, vnum atque alterum feret incommodum: vnum quidem, quia definitio hæc non exhibet sacerdotalem tantum ordinem; alterum vero, quia sacerdotalis ordo in ea definitione locum non habet digniorem, sed plebs & grex. Siquidem locus in rei definitione dignior est, quem rectus, non obliquus casus exprimit. Deinde Patres reliqui & tractatores Ecclesiam definierunt *Fidelium* seu *Catholicorum congregationem*. Atqui hæc definitio non favet iis, qui nomen Ecclesiæ in Tridentinis canonibus enunciatum accipiunt pro sacerdotali ordine, & a Concilio acceptum esse maxime volunt: & sic Concilio fit injuria, cum illud inducunt novo & inusitato apud Patres & tractatores ecclesiasticos modo locutum, & adversus varia juris axiomata, quæ Matthæus Gribaldus in libro II. de ratione studendi refert: *Verba in statutis proprie accipi debent. L.* I. §. *Si ii qui navem. de exercito actio. L.* III. §. *Hæc verba. Item verba debent intelligi secundum communem vsum loquendi. L. Librorum.* §. *Quod tamen Cassius*, &c. *Item verba sunt stri-*

FFff

ete & proprie intelligenda. L. 1. §. Si ii qui navem. vt supra. Ceterum nulla fit Concilio injuria, dum nomen Ecclesiæ secundum propriam & receptam per ætates singulas definitionem accipitur, & ad suppositionem revocatur simplicem, ex qua ad alteram e duabus suppositionibus personalibus veteri disciplinæ & traditioni juxta superiores notationes respondentem rectissime descenditur.

Ratio quinta quæritur ex Sedis Apostolicæ Legatis, Præsulibus & Theologis, qui Tridentino Concilio interfuerunt. Hi numquam Ecclesiam Clericorum vel Sacerdotum primi & secundi ordinis, sed Fidelium seu Catholicorum congregationem definierunt: Hosius Varmiensis Episcopus, Cardinalis & Sedis Apostolicæ Legatus, qui vltimis Concilii sessionibus, ac proinde sessioni XXIV. in qua de Matrimonio agitur, præsedit, in libri de Symbolo cap. XIV. Martinus Peresius in libri de divinis traditionibus parte II. assertione V. Simon Vigoreus ex Parisiensi Theologo Narbonensis Archiepiscopus, in serm. XVIII. super Symbolum: Melchior Canus in libri IV. de locis capite II. Petrus Sotus in Compendio catholicæ doctrinæ: Joannes Hesselius in explicatione Symboli Apostolorum cap. LI. Alfonsus Salmeron in prolegomeno XLII. & in tomo III. part. II. tract. XXV. Gentianus Hervetus in catechismo. Nunc si nomen Ecclesiæ in laudatis canonibus accipiatur pro sacerdotali ordine, illustriores & doctiores Concilii Præsules & Theologi, & cum primis Sedis Apostolicæ Legatus aliter in suis scriptis, aliter in illis canonibus loquerentur, & in istud juris axioma incurrerent: *Verba ideo instituta sunt, non vt per ea se invicem homines fallant, sed vt eis quisque in alterius notitiam cogitationes suas proferat. C. Is autem* XXII. *q.* II. Matthæus Gribaldus ibidem. atque ita fit Concilio injuria. Non fiet injuria, si dicatur, quod vera cum ratione dicendum est, Concilium per illustriores & doctiores Episcopos & Legatum imprimis, qui sessioni XXIV. præfuit, nomen Ecclesiæ vsurpasse in suppositione simplici, ex qua ad alteram e duabus personalibus suppositionibus veteri disciplinæ & traditioni juxta superiores notationes congruentem rectissime descenditur.

Ratio sexta ex iis quæritur, quæ gesta sunt in Concilio, vbi inveniendus fuit modus, quo clandestinum Matrimonium cassum & irritum declararetur. Tunc habitis vltro citroque disputationibus, non potuit modus nisi vnicus inveniri, scilicet, reddendas esse personas ad ineundum Matrimonii contractum inhabiles. Invento huic modo reclamarunt quidam causati, eo vtendum non esse, quia ejusmodi contractus Matrimonii sic irritos & nullos facere, ad sæculares Magistratus pertineret: non fallebantur, quia ad sæculares Magistratus nihil verius pertinet ac certius, quam personas reddere ad ineundos quoscumque contractus, etiam Matrimonii, quod est politicæ communitatis fundamentum, inhabiles. Reclamarunt quidem illi, sed frustra, quod nullum alium modum, qui rescindendo contractui sufficeret, objecerint. Tridentini Patres excogitatum ad clandestini Matrimonii rescissionem modum, qui ad sæculares Magistratus vnice pertinet, securi, vt sibi videbantur, de sæcularium illorum Magistratuum consensu insumpserunt. insumpserunt enimvero, quia de proprio, vt ita dicam, fundo & penu nullum habuerunt, quem insumerent. Quis autem crederet Tridentinos Patres si quem habuissent, eum reliquisse in præteritis? At quicumque hoc totum capiet, facile quoque capiet, cur nomen Ecclesiæ Tridentinis illatum canonibus pro sacerdotali ordine haud vsurpaverint, ac proinde dum a nonnullis ita vsurpatur nomen Ecclesiæ, Concilio fit injuria. Sed nulla ei fit injuria, dum nomen illud sumitur in suppositione simplici, ex qua ad alteram e duabus suppositionibus personalibus veteri disciplinæ & traditioni juxta superiores notationes consentientem rectissime descenditur.

Ratio septima ex iis quæritur, quæ post Tridentinum Concilium gesta sunt ab Henrico III. Galliæ Rege, & Blesensibus Comitiis. Henricus & coacti in iis Comitiis trium ordinum Optimates, Tridentini Concilii decreto de rescindendis Matrimoniis clandestinis consentire noluerunt, persuasi juris esse regii & Rerumpublicarum personas ad contrahendum Matrimonium inhabiles efficere, & hocce pacto clandestinum Matrimonium rescindere. Sic edixerunt: Regio seu

Blesensi Edicto, nec Gallicani Præsules, vel Theologi, qui Tridentino interfuerant Concilio, & adhuc supererant, nec Romana repugnavit Ecclesia. Repugnassent sine dubio, si hinc penes Regem & regni Comitia non fuisset edicere quod edixerunt; inde sacerdotalis tantum juris esse decretum edere quod ediderunt, & nomen Ecclesiæ laudatis canonibus insertum nonnisi pro sacerdotali ordine vsurpari: quod dum a quibusdam non satis advertentibus vsurpatur, Concilio fit injuria, & Sedi Apostolicæ sancitorum a generalibus Conciliis canonum executrici, cujus modestia & silentium ducerentur in conscientiam. At nulla Concilio vel Sedi Apostolicæ fit injuria, si nomen Ecclesiæ capiatur in suppositione simplici, ex qua ad alteram e duabus suppositionibus personalibus veteri disciplinæ & traditioni juxta superiores notationes concordantem rectissime descenditur.

Ratio octava quæritur ex Milevitani Concilii canone, qui sic se habet: *Placuit vt secundum evangelicam & apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa a marito alteri conjungatur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pænitentiam redigantur: in qua causa legem imperialem petendam promulgari.* Quin autem Tridentini Patres canonem hunc probe noverint, momentis suis expenderint, & vt convenientissimæ disciplinæ regulam sibi proposuerint, merito dubitari nequit; & qui dubitaret, mihi videretur de tantis Patribus male mereri. Milevitani Patres, quos inter beatus Augustinus pietate & doctrina excelluit, notanda maxime tria suggerunt, & primum quidem statuunt, vt nec dimissus ab vxore vir, nec a viro dimissa vxor alteri conjungatur: deinde statuunt, vt qui contempserint, ad pœnitentiam redigantur: tum demum statuunt, vt ab Imperatore lex petatur. In secundo, potestatem apud se aliam non agnoscunt, quam imponendæ pœnitentiæ viro, qui dimissa vxore aliam duxerit, vel vxori, quæ dimisso viro alii nupserit. In tertio, eam ab Imperatore petunt legem, non qua imposita, vel imponenda ab Episcopis pœnitentia confirmetur vel exigatur, sed qua initum facto divortio connubium sub pœna rescissionis, vel alia graviori prohibeatur. Hoc prohibi-

tionis genus non petiissent ab Imperatore, si quam petebant ab Imperatore legem promulgari, eam se promulgare posse credidissent. Id, ni fallor, docet communis hominum intelligentia. Hæc autem omnia Tridentini Patres, qui passim Augustino suis in decretis tantum tribuunt, cum intelligerent, a ferenda ex se lege quæ Matrimonium dirimeret, non potuerunt sibi non cavere. Id genus prudentiæ Tridentinis Patribus qui voluerit denegare, deneget: ego denegare non possum. Hinc manifeste consequitur, vt sapientissimi Præsules nomen Ecclesiæ canonibus suis inditum pro sacerdotali ordine non acceperint: & qui eos accepisse diceret, ab illo fieret Tridentinis Patribus seu Concilio injuria. Non fieret injuria, si nomen illud acceperint, vt accepisse evincit hæc ratio, in suppositione simplici, ex qua ad alteram e duabus suppositionibus personalibus veteri disciplinæ & traditioni juxta superiores notationes congruentem rectissime descenditur.

Nona quæritur ex Romana & Gallicana Ecclesia docentibus, duo esse, quibus, vt visum est in notatione tertia, principaliter hic mundus regitur, auctoritatem sacram Pontificum, & regalem potestatem. At in mundo, cujus mentionem faciunt, Christiano, nisi Matrimonium, quod in officium naturæ & communitatis institutum est, regia potestate gubernetur & dirigatur, nihil quod sit alicujus ponderis, assignari poterit vnquam regia potestate gubernandum & dirigendum. Quare si tollatur e regia potestate matrimonialis contractus subditorum directio, abibit regnum in confusionem & perturbationem. Tunc Reges non erunt Reges amplius, sed vicarii eorum, qui matrimonialem contractum dirigent: hoc premimus, hoc vrgemus. Quæ Tridentini Patres cum tenerent egregie, nomen Ecclesiæ suis insertum canonibus pro sacerdotali ordine non acceperunt. Da oppositum: Romanæ & Gallicanæ Ecclesiæ & Concilio fiet injuria non fiet, mihi crede, si dicatur nomen illud a Tridentinis Patribus acceptum esse in suppositione simplici, ex qua ad alteram e duabus suppositionibus personalibus veteri disciplinæ & traditioni juxta superiores notationes respondentem rectissime descenditur.

Ratio decima ex eo quæritur, quod leges Matrimonium dirimentes ad naturalem & civilem ordinem simpliciter & absolute pertineant, easque Reges non alieno, sed suo jure ferre possint, vt probant fere omnes Theologi, & cum primis qui Tridentino interfuerunt Concilio, Ambrosius Catharinus, Jacobus Naclantus, Petrus Sotus & Dominicus Sotus, Magistri ex Ordine Prædicatorum celeberrimi, & quorum rationes pro jure Principum rem ita conficiunt, vt sacerdotalem ordinem, quatenus talis est, a ferendis legibus, quæ Matrimonium dissolvant, redditis ad illud contrahendum personis inhabilibus, excludant: non excluderent tamen, si vnusquisque in sua diœcesi Episcopus, vt Romanus in beati Petri patrimonio Antistes, & summi Pontificis auctoritatem exerceret, & summi Principis exequeretur potestatem; sed istud vere affirmateque dici non potest. Exinde sequitur non posse sine injuria Concilii doceri, nomen Ecclesiæ illius canonibus insertum pro sacerdotali ordine collocari: sed removetur injuria, vt eam removeri cupio, si nomen Ecclesiæ collocetur in suppositione simplici, ex qua ad alteram e duabus suppositionibus personalibus veteri disciplinæ & traditioni juxta superiores notationes consentaneam rectissime descenditur.

Ratio vndecima ex eo quæritur, quod Tridentina Synodus pugnaret secum, si nomen Ecclesiæ pro sacerdotali ordine sumeretur. Hinc diceret, vt ponitur, sacerdotalem ordinem, quatenus talis est, jure proprio ferre posse leges, quæ ex natura sua, objecto & fine civiles sunt, & mere naturalis ordinis, quales sunt eæ, quæ Matrimonium dirimunt, vt Theologi consentiunt vniversi; inde dictum hoc suum probare non posset, quomodo probandum esse statuit in sessione IV. cujus sunt hæc verba: *Præterea ad coercenda petulantia ingenia decrevit,* (Synodus) *vt nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum ad ædificationem Christianæ doctrinæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam*

ſacram interpretari audeat, etiamſi hujuſmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Hoc decretum in fidei confeſſionem tranſiit: *Item ſacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam, niſi juxta vnanimem conſenſum Patrum, accipiam & interpretabor.* At Scripturæ ſacræ locus nullus eſt; non ille, *Paſce oves meas;* non ille, *Quodcunque ligaveris;* non ille, *Qui vos audit, me audit;* non ille, *Qui Eccleſiam non audierit;* non alius quiſque ille ſit, quo juxta vnanimem conſenſum Patrum intellecto probetur, ſacerdotalem ordinem, vel vt eſt apud Gelaſium, auctoritatem ſacram Pontificum, ferre poſſe leges quæ Matrimonium dirimant, vel perſonas ad contrahendum Matrimonium inhabiles reddere. Profecto non memini legere me vel ex Patribus antiquis vnum, qui laudata vel alia Scripturæ loca ad illam legumlationem flexerit; tantum abeſt, vt Patres cuncti vel fere cuncti flexerint. Hæc eſt contradictio, in quam qui nomen Eccleſiæ de ſacerdotali ordine Tridentinam Synodum intellexiſſe contendunt, eam audent conjicere: atque ita fit Synodo injuria, a qua nos ſumus immunes, cum nomen Eccleſiæ a Tridentina Synodo intellectum de ſacerdotali ordine negamus, & acceptum dicimus in ſuppoſitione ſimplici, ex qua ad alteram e duabus ſuppoſitionibus perſonalibus veteri diſciplinæ & traditioni juxta ſuperiores notationes convenientem rectiſſime deſcenditur.

Ratio duodecima ex iis quæritur, quæ geſta ſunt in Tridentino Concilio, dum certi quidam Epiſcopi petierunt inſtantiſſime, vt cum Synodi vel Concilii mentio in actis fieret, *Synodus vel Concilium univerſalem repræſentans Eccleſiam* diceretur. Legati Sedis Apoſtolicæ petitioni huic vehementer repugnarunt cauſati, hanc loquendi formulam, nec in canonibus, nec in Conciliis antiquis reperiri: & eam ob rem formula prætermiſſa eſt. Nunc ego Legatorum ſincero animo præditorum exemplum ſecutus, ingenue diſputo & conſtanter affirmo, nec in Conciliis, nec in canonibus antiquis inveniri, ſacerdotalem ordinem, vel auctoritatem ſa-

dram Pontificum, leges quæ Matrimonium dirimant, condidisse, vel quod in idem recidit, personas ad contrahendum Matrimonium inhabiles reddidisse. Id autem cum ita sit, necessario sequitur nomen Ecclesiæ Tridentinis illatum canonibus, sacerdotalem non appellare ordinem, sed Ecclesiam in suppositione simplici, ex qua ad alteram e duabus suppositionibus personalibus juxta superiores notationes consentientem rectissime descenditur: alioqui fit injuria Concilio, quod erroris periculo exponeretur.

Ratio decima-tertia quæritur ex definitione, quæ in Florentina Synodo circa Romani Pontificis auctoritatem & auctoritatis limites facta est. Hæc autem ita se habet: *Item definimus sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro* JESV CHRISTO *plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur.* Sic legitur apud Blondum Eugenii IV. Notarium in decadis III. libro X. apud Marcum Vigerium Card. in decachordo chorda X. Joannem Roffensem in articulo XXV. contra Lutheranas assertiones, Joannem Ekium in libro II. de primatu Petri cap. XXV. Albertum Pighium in libro IV. de Hierarchia Ecclesiastica capite ultimo. Editioni huic incorruptæ concordat textus Græcus, *καθ' ὃν τρόπον, καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς κανόσι διαλαμβάνεται. Iuxta eum modum, qui & in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur.* Porro Florentina Synodus in prima editione sui, & in editionis privilegio, quod concessit Clemens VII. octava Synodus vocatur. Hinc fit, ut gesta œcumenicarum Synodorum septem tantum, Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ, Calchedonensis, Constantinopolitanæ II. & Nicænæ II. intelligantur. His ita positis, præ me fero in Synodorum istarum canonibus & actis, quibus Romani Pontificis auctoritas

ritas ad gubernandam Ecclesiam circumscribitur, nullos apparere canones, nulla legi acta, in quibus Romanus Pontifex, vel sacerdotalis ordo leges Matrimonium dirimentes instituat, vel personas ad Matrimonium contrahendum reddat inhabiles. Qua de causa necessario dicendum est, legum illarum institutionem, nec ad Romanum Pontificem, nec ad sacerdotalem ordinem pertinere: tum nomen Ecclesiæ Tridentinis insertum canonibus, sacerdotalem ordinem non importare; sed simpliciter Ecclesiam, ex qua ad alteram e duabus suppositionibus personalibus veteri disciplinæ & traditioni juxta superiores notationes cohærentem rectissime descenditur: alioqui Concilio Florentinæ definitionis non ignato fit injuria, quia quod sacerdotali ordini tribueretur, fundamentum nullum in canonibus & actis œcumenicorum Conciliorum septem haberet.

Ratio decima-quarta inde quæritur, quod Theologiæ veræ principia duo, Scriptura & traditio, nihil objiciant, vi cujus nomen Ecclesiæ Tridentinis illatum canonibus, ad sacerdotalem ordinem flectatur. Intelligenda est igitur simpliciter Ecclesia, ex qua ad alteram e duabus suppositionibus personalibus veteri disciplinæ & traditioni juxta superiores notationes respondentem rectissime descenditur, ad regalem scilicet potestatem.

Confirmatur hæc tota disputandi forma: Bellarminus Romanæ & Gallicanæ Ecclesiæ doctrinam supra notatam, & descensum hujusmodi callebat, vbi libro III. de laicis cap. XXI. scribit: *Ecclesia paulatim progressa est, & omnia remedia experta. Primo solum excommunicavit* (hæreticos.) *Deinde addidit mulctam pecuniariam, tum exilium, vltimo coacta est ad mortem venire.* Deinde sub finem capitis XXII. *Ecclesia experta est omnes alias rationes, antequam ad vltimum supplicium veniret. Nam initio, vt supra diximus, solum excommunicabat: deinde videns hoc non sufficere, addidit pœnam pecuniariam, tum amissionem bonorum, postea exilium, tandem huc devenit,* (ad vltimum supplicium) *vt satis patet ex variis legibus Imperatorum in C. tit. de hæreticis.* Hic nomen Ecclesiæ sumitur in suppositione simplici, ex qua primum descenditur ad personalem, nimirum

ſacerdotalem ordinem ratione excommunicationis, quā percelluntur hæretici : deinde ad perſonalem aliam, nempe regiam poteſtatem ratione mulctæ pecuniariæ, amiſſionis bonorum, exilii, & vltimi ſupplicii, quo hæretici plectuntur. Hoc in loco factioſa, & juri regio ſtolide inimica gens diffugiet, & vocem comprimet indicem ignorantiæ ſuæ, niſi fortaſſe velit, ſacerdotalem ordinem in hæreticos animadvertere mulcta pecuniaria, amiſſione bonorum, exilio, & morte.

Ratio decima-quinta ex eo quæritur, quod ne humanis quidem rationibus, iiſque ſacerdotali ordini vt tali propriis, & ſophiſtica fraude carentibus, probari poſſit, ſacerdotalem ordinem, quatenus talis eſt, jure ferendarum legum Matrimonia dirimentium potiri. Humanæ rationes jus iſtud Principibus cum afferant, ſacerdotali ordini ſimul denegant, quia alio ſpectat ſacerdotalis ordo, alio ſpectat regia poteſtas. Deinde erudiciſſimi quique Theologi, cum nervis omnibus contenderunt, atque in hoc elaborarunt, vt jus ſtatuendi impedimenta Matrimonium dirimentia ſacerdotali vindicarent ordini, nihil plane profecerunt, vt in prima tractatus parte, art. I. cap. X. demonſtratum eſt. Concludunt ſacerdotalem ordinem, quem Eccleſiam vocant, poſſe impedimenta Matrimonium dirimentia inſtituere, quia Principes inſtituunt vel poſſunt inſtituere. Vitioſa eſt diſputandi methodus, in qua ab ordine vno ad alium, ab genere vno ad aliud tranſitur. Abſolvit omnia Martinus Rithovius Iprenſis Epiſcopus, dum apud Card. Pallavicinum in libro XXII. de hiſtoria Tridentini Concilii, capite IV. ſic loquitur : *Certum eſt non eſſe certam hanc poteſtatem in Concilio reddendi irrita Matrimonia, a compluribus Theologis, qui ibi aderant, id negari, & ex affirmantibus alios ab aliis Theologis rationes afferri, & alterius ab altero rationem confutari. Unde in comperto erat, rem in nebuloſo, non in ſudo verſari.* Quæ omnia cum ita ſint, viri prudentis non eſſet nomine Eccleſiæ ſacerdotalem ordinem intelligere, ne Concilio fieret injuria : ſed intelligenda eſt ſimpliciter Eccleſia, ex qua ad alteram e duabus ſuppoſitionibus perſonalibus veteri diſciplinæ & traditioni juxta ſuperiores notationes convenientem rectiſſime deſcenditur, ad regalem ſci-

licet potestatem. Sed fortasse quis dicet, Nemo id dixit hactenus. Quis scit? Sed quid tum? Hoc ita dicendum esse, ne fiat Concilio injuria, & veritati consulatur, rationes singulæ quas proposuimus, evincunt. Deinde argumentum nullum est, seu Theologicum, seu Philosophicum, quo probetur, nomen Ecclesiæ sine Concilii injuria de sacerdotali ordine intelligendum esse. Tum inficialis est conjectura, qua qui vtuntur, ad pauca respiciunt, & continuo facile pronuntiant. Non omnis conjectura inficialis ad quidlibet probandum sufficit. Hoc argumenti genus magno cum delectu, circumspectione, & accurata consideratione adhibendum est; idque maxime, cum ponderosum & majestatis splendore lucens aliquod negotium tractatur. Exempli gratia: Qui in medium proferret laudatum in notatione tertia Gelasium Antistitum Romanorum omnium primum esse qui dixerit: *Duo sunt quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.* Et quia Gelasius id Antistitum Romanorum omnium primus dixit, qui continuo sibi sumeret, Gelasii dictum abjiciendum esse procul; audireturne? Minime vero. In Morboniam amandaretur. Ad hæc, qui pugnaret Gelasium Antistitum Romanorum omnium primum esse qui dixerit: *Uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi sedem præ ceteris oportere quam primam.* Et quia Gelasius id Antistitum Romanorum omnium primus dixit, qui putaret censoria severitate damnandum esse; audireturne? Minime vero. *εἰς κόρακας*, vel *εἰς κυνόσαργες* ablegaretur. Ceterum qui conjecturam inficialem objiciunt, sibi pro sua auctoritate credi cupiunt, & quod sibi fingunt, maxime volunt: egregie petunt principium; & quod in quæstione versatur, id pro causa dicti sui adferunt, & præterea nihil.

Porro qui probat efficaciter, sacerdotalis esse juris communione sacramentorum Ecclesiæ privare eos, qui privationem ejusmodi suis merentur criminibus, necessaria consecutione negat regii esse juris id pœnæ genus reo cuiquam irrogare; sic qui probat efficaciter, regii esse juris leges Matrimonium dirimentes instituere, consecutione pari negat sacerdotalis.

esse juris id genus legum instituere. Parium eadem est natura & eadem conditio. Ceterum qui ratiocinando aliquid potest assequi, hoc assequetur facile, nisi fortassis hinc illi displiceat mutua Regnum inter & Sacerdotium concordia, inde aperta juris in Matrimonium regii demonstratio.

Succenturiantur rationes numero tres, quæ ad regiam auctoritatem attinent. Prima est, qui nomen Ecclesiæ Tridentinis insertum canonibus ad sacerdotalem tantum ordinem flectunt, eos clam fovere opinionem, quæ directam sacerdotalis ordinis, vel Pontificum supra Regum temporalia potestatem constituit. Nam summi in temporalibus Principis auctoritatem exercet, qui fert leges ex natura sua, fine & objecto civiles, quibus hinc dirimatur Matrimonium, inde personæ ad illud contrahendum inhabiles reddantur, id est, ad primam eamque præcipuam politicæ communitatis functionem, ex qua & ejusdem communitatis conservatio, &, vt plurimum, pax & publica Regnorum & Imperiorum tranquillitas pendet. Hæc legumlatio non ad Regum modo subditos, sed ad ipsos etiam Reges omnino pervadit: ita vt qui tam ex subditis, quam ex Regibus procreabuntur filii, legitimi non sint, nec heredes, sed spurii, & ad cernendam parentum hereditatem inepti: quæ duo ad sæcularem statum maxime spectant, vel nihil spectabit vnquam. Magnifice nugaretur qui adferret, argumento quidem isto confici, posse leges Matrimonium dirimentes a Regibus ferri; sed sacerdotalem ordinem, quem homines literate periti vocant Ecclesiam, ab illa legumlatione non excludi. Qui hoc adferret, nullatenus adferret, si apud Bellarminum vel oscitanter legisset in libri 1. de Matrimonio capite XXI. Quod *eadem potestas ad duo diversa tribunalia æque immediate & proprie pertinere non possit.* Nescio an proferam Homericum illud, quod lippis notum est ac tonsoribus: *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.*

Altera consistit in hypothesi, quæ sic fieret: Rex noster, vt heterodoxo, sic & orthodoxo cuidam det veniam, qua consobrinam in vxorem ducat, & liberos suscipiat. His positis, excitetur de Matrimonio, & susceptis liberis contro-

versia, & ea deferatur ad Magistrum Ill. cui non placet assertionum nostrarum cum Tridentinis canonibus conciliatio. Si judicet irritum esse Matrimonium, & susceptos ex eo liberos spurios esse, nec heredes sacerdotalis veniæ defectu, captus est: quia sic ruetur opinionem eorum, qui sacerdotalem vel Pontificiam auctoritatem supra Regum temporalia constituunt. Si judicet legitimum esse Matrimonium, & susceptos ex eo liberos legitimos esse heredes, nullus est: quia factum de Tridentinis canonibus præjudicium abalienabit a se, & conciliationem nostram non poterit non approbare. Ceterum homo perverse religiosus coegit me fictam adhibere hypothesim, quo validior appareret nostra conciliatio, & errore pulso, & regnante veritate, suum vnicuique jus assereretur.

Tertia est ejusmodi: Si per nomen Ecclesiæ Tridentinis canonibus illatum sacerdotalis tantum ordo intelligeretur, & abrogaretur regia, quam in articulo 1. tractatus nostri descripsimus, & suis confirmavimus momentis, in Matrimonium potestas; his canonibus regno vel reipublicæ plus inveheretur damni, quam invehitur in sessione XXV. constitutione XIX. quæ est ejusmodi: *Detestabilis duellorum vsus, fabricante diabolo introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quicunque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione & dominio civitatis, castri aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur, & si feudalia sint, directis dominis acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant.* Vis rationis hujus quæ in comparatione consistit, vltro se objicit. Magnum quidem damnum est, quod ex hac constitutione ad Reges & paucos eorum subditos pervenit; sed majus esset, quod ex duobus Tridentinis canonibus inveheretur. Nam Reges & eorum subditos vniversim attin-

git. Et primum quidem e nutu facerdotalis ordinis penderet nonnunquam, vt Regum Matrimonium legitimum effet, vel non legitimum, fi venia confobrinæ in vxorem ducendæ negaretur, & quæ inde orta effet proles, non legitima, vel certe dubia cenferetur. En præfens civilis belli raro finiendi argumentum. Deinde Regum filii vtroque parente invito, & fpretis regni legibus, quam vellent vxorem, etiam reipublicæ inimicam acciperent, & confeftim ad arma procederetur, & cuncta refpublica vel regnum variis feditionibus & difcordiis concuteretur. Tum populi non poffent in partem turbarum non venire propter fua Matrimonia, & aditæ, vel adeundæ hereditaris jura, de quibus aliquando difceptaretur, & lites ad annos multos prorogarentur. In hac ratione ad hominem difputo, poftquam ad rei veritatem ante fatis fuperque difputavi.

Reliquum eft modo, vt Appendicis hujus lectorem de duobus admoneam. Unum eft, illos, qui nomen Ecclefiæ Tridentinis inditum canonibus pro facerdotali tantum ordine contendunt accipi, de Tridentina Synodo tam male mereri, vt nihil fupra poffit. Hanc tollunt in altum, quo lapfu graviore ruat. Alterum, illos ipfofmet occultos quidem, fed capitales nihilominus regiæ poteftatis hoftes effe ea in re, quæ regnorum & rerumpublicarum bafis & fundamentum eft perpetuum.

